



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


### **About Google Book Search**


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

**B**

3 9015 00230 124 3

University of Michigan - BUHR













**HISTORIA ECCLESIASTICA**

**GENTIS SCOTORUM.**

37

2

FROM THE LIBRARY OF

3

FEBRUARY 16 1966

1

LIBRARY

*Edinburgh*  
**THOMAE DEMPSTERI**

# **HISTORIA ECCLESIASTICA**

**GENTIS SCOTORUM:**

**SIVE,**



**DE SCRIPTORIBUS SCOTIS.**

**EDITIO ALTERA.**

---


**TOM. II.**

---


**EDINBURGI:**

**EXCUDEBAT ANDREAS BALFOUR CUM SOCIIS.**

**M.DCCC.XXIX.**













**HISTORIA ECCLESIASTICA**

**GENTIS SCOTORUM.**



*Edinburgh*  
**THOMAE DEMPSTERI**

# **HISTORIA ECCLESIASTICA**

**GENTIS SCOTORUM:**

**SIVE,**



**DE SCRIPTORIBUS SCOTIS.**

**EDITIO ALTERA.**

---

**TOM. II.**

---

**EDINBURGI :**

**EXCUDEBAT ANDREAS BALFOUR CUM SOCIIS.**

**M.DCCC.XXIX.**





**HISTORIAE**  
**ECCLESIASTICAE**  
**GENTIS SCOTORUM**

**TOMUS II.**

**39074I**

# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER VIII.

### S. STEPHANUS HARDINGUS. 627.

“ S. STEPHANUS Hardingus, non minus pius quam doctus, ordinis Cisterciensis jecit fundamenta,” ait Balaeus ; longaque religionis ergo peregrinatione suscepta, in coenobio a se erecto Cisterciensi, non sine sanctitatis opinione, obdormivit. Plura de eo Vincentius Bellovacensis lib. XXVI. Speculi cap. I. II. Vita S. Bernardi, et Vita S. Roberti, quam Odo abbas Molismensis describi curaverat. In sanctorum numerum relatus, memoratur ab ecclesia die XVII. Aprilis. Martyrolog. Roman. et Baron. qui non ad manum. Ex eo Arnold. Uvion lib. III. pag. CXXXVII. “ Cisterciensium Gallia S. Stephani abbatis, qui primus eremum Cisterciensem incoluit, et S. Bernardum cum sociis ad se venientem laetus excepit, quorum foetu monasticam observantiam restitutam, in posteros feliciter propagavit.” Annus autem quo S. Bernardum excepit numeratur MCXIII. Multis Sigebertus Gemblacensis Chronico ad annum MCVII. Edidit

Chartam Charitatis	lib. I.
Vitae monasticae Ritus	lib. I.
Exhortationes ad suos	lib. I.

Claruit anno MXXVIII. vel MCXXII. Late Malmesbur. lib. IV. Hist. pag. LXXI.

### S. HEBREDUS. 628.

S. HEBREDUS colebatur religiosa pietate a Pictis et Britannis meridionalibus ante adventum Augustini, Melliti, et Justi. Joan. Leslaeus lib. IV. “ Tres doctrina et pietate praestantes viri, natione Scoti, Hebreus, Dunstanus, et Conuallus, quorum memoria etiam hoc nostro aevo apud Scotos magna celebritate colebatur.” Scripsit

Contra externas Caeremonias	lib. I.
-----------------------------	---------

Ad Ecclesias Picticas lib. I.  
Vixit anno DC. Leslaeus ibidem pag. CLIII. in Aidano rege.

S. HELANUS. 629.

S. HELANUS ex Scotia, teste Sigeberto, cum fratre suo germano S. Gibriano profectus, mira sanctitate Campaniam Galliae illustravit. Molanus ad Usuardum die VI. Octobris: "In vico, qui vocatur Buxiolus, depositio S. Helani, presbyteri et confessoris." Acta Ecclesiae Rhemensis apud Galesinium eodem die. An aliquid scripserit, non comperi.

Vivebat anno DIX. quo Scotia egressus.

S. HARRUCHUS. 630.

S. HARRUCHUS, sanctissimis moribus Benedictinae familiae, Pattoni, Tanconi, et Cottilae familiaris ac successor, abbas primum Amarbaricensis, mox episcopus Verdensis. Alber. Crantzius lib. I. Metropol. cap. XXI. Gaspar. Bruschius in Catalogo, et alii. Joan. Gualterius v. CL. tom. I. Chronici Chronicorum pag. MXXXV. "Patto, Tanco, Cortila, Harruchus, sancti Scoti, et sub Harrucho Patto et Tanco in divorum numerum relati." Scripta omnia interierunt praeter

Institutiones Catechumenorum lib. I. quae nuper alicubi in Gallia, ut audio, prodierunt, ad me tamen non pervenerunt.

Floruit anno DCCCXXXI. sanctorum albo ascriptus. Arnold. Uvion lib. II. Lig. Vitae pag. LV. Vide Crantzium fuse disserentem, et Ant. Democharem tom. II. Sacrif. Miss. cap. XXXV. Colitur die XV. Julii. Mart. Angl.

S. HELIAS SOLITARIUS. 631.

S. HELIAS, a vitae austeritate Solitarius vocatus, "vir prudens et religiosus, gente Scotus," ait Marianus. Fuit abbas Scotorum Coloniae, ut viri docti probant ex Trithemio lib. III. de Viris illust. Or-

din. S. Benedicti cap. CCXLI. et Sigeberto Gemblacen. Chron. ad annum MXXVII. "Florebat hoc tempore ecclesiastica religio per abbates nominabiles: in Francia quidem, et Burgundia, per Odilonem Cluniacensem, pietate insignem, per Gulielmum Divionensem, in austeritate reverendum; in Lotharingia per Richardum Virdunensem, pia gravitate et gravi pietate discretum, per Poponem Stabulensem, per Heliam Coloniensem, per Osbertum et Stephanum Leodicensem, per Bernonem Augiensem." Idem S. Pantaleonis et S. Martini simul abbas periclitatus est, vocante in iudicium ejusdem Coloniensis ecclesiae archiepiscopo, uti a Mariano Scoto proditum Chronic. lib. III. anno MXXXIV. "Propter religionem destructam, disciplinamque nimiam, et propter aliquos Scotos quos secum habebat Helias Scotus abbas, qui monasterium S. Pantaleonis et S. Martini pariter in Colonia regebat, Piligrinus Coloniensis archiepiscopus, invidiosis viris instigatus, Heliam abbatem voluit expellere, et omnes Scotos monachos quos secum habebat. Helias Scotus abbas, statim cum de aula revertisset, dixit cum caeteris Scotis, Si Christus in nobis peregrinis est, nunquam vivus ad Coloniam veniet Piligrinus; et ita Dominus complevit." Pleraque edidit, sed omnia periere praeter opusculum unicum,

De Scotorum Peregrinorum Innocentia ad Imperatorem.

Florebat in Germania anno MXXVII. Sigebert. In discrimen vocatus ab archiepiscopo Coloniensi anno MXXXIV. Marian. Obiit II. idus April. anno salutis MXLII. eodem auctore, et praeter rerum Coloniensium scriptores, meminit Joannes Major lib. II. Hist. Scot. cap. XIII. Arnol. Uvion libro III. pag. CXXXIII. magnae prudentiae et sanctitatis eum vocat. Colitur die XII. April. Uvion.

S. HIGBALDUS. 632.

S. HIGBALDUS, sive Higebaldus, aut Hucbaldus. Beda lib. IV. cap. III. Uvion lib. III. Lig. Vitae pag. CDXVII. Abbas primum Lindissae insulae, ac mox episcopus: utriusque probata apponam testimonia. Quod abbas eo loci fuerit, ex Beato Marcellino liquet in Vita S. Suniberti capite tertio apud Surium tom. II. "Audierat quod in provincia Lindissae esset monasterium Bearnense, cui praefuit abbas Higbaldus, vir mansuetissimus et sanctissimus, in quo

multi sancti patres ex Hibernia, Scotia, Anglia, regulari institutione insignes, pietatis et charitatis opera diligenter observantes, die noctuque indesinenter in magna poenitentia Deo servirent. Erat autem natione Scotus." Episcopali eundem dignitate ornatum, est in confesso. Florent. Wigornien. " Higebaldus Lindisfarnensis episcopus obiit, pro quo Egbertus electus." Tota haec antistitum successio Scoti erant. Sedit hic numero XI. sub quo decretum, ut, quia praedones insulam infestabant, sanctorum corpora in continentem transferrentur, ait Gulielmus Malmesburiensis. Ejus sunt :

Monasticae Vitae Regula	lib. I.
Expositio Psalterii	lib. I.
Homiliae ad Fratres	lib. I.

Obiit anno salut. DCCCIII. Nescio an idem sit cum Hucbaldo, de quo Trithemius lib. II. de Viris illust. Ordinis S. Benedicti cap. XLIX.

#### S. HIMELINUS. 633.

S. HIMELINUS memoratur a diligentissimo Joanne Molano Addition. ad Martyrolog. Usuardi die x. Martii : " In Vissenaken juxta Theuas in montibus S. Himelini confessoris, qui, natione Scotus, et Beato Rumoldo carne propinquus, praefato loco febre pestilenti tactus, diem obiit mirificante domino ejus obitum multis signis et miraculis." Pet. Cratep. de SS. German. pag. LXXXVI. " S. Himelinus confessor, et natione Scotus." Scripsit

Precandi Formulam lib. I.

Floruit circa annum DCCLXXV. uti infra lib. XVI. habetur. Non est ascriptus divis, sed tamen oppidum Fanum S. Himelini vocatur. Molan. Indic. Sanctorum Belgii pag. XXXVIII. ubi Scotum vocat.

#### S. HILDULPHUS. 634.

S. HILDULPHUS, seu Hidulphus, Uvion lib. III. pag. CCXXI. monasticae vitae professor, celebri sanctitatis fama, extra patriam peregrinatus, claruit. Laur. Surius tom. VI. die VII. Novemb. ex auctore vetusto anonymo : " Cum Dagobertus rex ad regni Francorum gubernacula sederet, Sanctus Florentius cum Beato Arbogasto, Theo-

dato, et Hildulpho, e Scotia venerunt in Alsatiam." Porro hic frater S. Eberhardi S. episcopi Ratisbonensis, Pet. Cratepol. SS. German. pag. xxcv. vel ut alii, et forte verius, praeceptor. Scripserat

Epistolas ad populares lib. I.

Quo tempore aut ubi loci vixerit post assumptos ad pontificatum Florentium et Arbogastum, haud facile dixerim, nisi sit Trevirensis archiepiscopus SS. albo ascriptus ad diem xi. Julii, Addition. ad Martyrologium Usuardi Molan. a Pipino, Caroli Magni patre, inauguratus. Trithem. lib. III. de Vir. illustr. Ordin. S. Benedicti cap. CCIII. qui archiepiscopum vocat. Petr. Cratepolius, et Arnoldus Uvion lib. II. cap. xxxii. ubi eum tria monasteria aedificasse ait. Claruit anno salutis DCLXXV.

Alius ab isto est Hildolphus, qui Annoni archiepiscopo Coloniensi successit, ut monachus Sigeburgensis habet lib. II. Vitae S. Annonis cap. VII. Eum Hildolphum vocat Marianus Scotus lib. III. anno MLXXVII. quo anno archiepiscopus ille renunciatus.

#### S. HUNALDUS. 635.

S. HUNALDUS Scotus, et S. Columbani Scoti discipulus, cui ille opera sua dedicavit, ut ex praefatione liquet:

Suscipe, Hunalde, lubens, et perlege mente serena  
Dicta Columbani fida te voce monentis.

Claruit anno DLII. depositus in Luxovio. Dies incertus.

#### S. HIERO. 636.

S. HIERO, seu Iero, a Petro Galesinio in Martyrologio, et a Joanne Molano in Indice SS. Belgii, et in Addition. ad Usuardum die xvii. Augusti, celebratur; sed illi non sunt ad manum. Arnold. Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. CCLXXI. "In Hollandia monasterio Edmunda S. Hieronis, presbyteri et martyris: hic, e Scotia evangelicae praedicationis causa eo profectus, dum ad suscepti muneris vigilantiam attentus homines e tenebris ad lucem revocat, a barbaris securi percussus, per martyrium abiit ad Dominum." Multis de eo tractat Petrus Cratepolius in Episcopis Germaniae. Zeronem male vocat Joannes Geerbrandus a Leidis Carmelita lib. I. Chron. Belgici cap. IX.



sed melius ad historicae veritatis fidem Renerus Snous lib. IV. *Rer. Batavicar.* pag. XLIX. "Eminentem sacerdotio Hieronem rapere, Scotia oriundum, ac nobili prosapia, praeditumque singulari doctrina." Rursus lib. V. pag. LVI. Nothbodó dives admonetur, ut S. Hieronis sepulturam latentem indicet, sed re, quasi somnio, neglecta, iterum cum minis terretur, ut gloriosum corpus revelet; sed dum adhuc non paret, equos amittit, qui ad sancti tumulum immoti perstant; qua re Theodorico comiti Hollandiae nunciata, decenter eum humeris suis suppositis transferendum curat, et Egmondae cum S. Adelberto condecendum curat: "sic urna una," inquit auctor, "ambos habet, quos patria una vivos junxerat." Ex eodem illo Molano Constantinus Ghinius pag. LVII. "In Holandia S. Hieronis, presbyteri et martyris Scoti." Scripsit.

Sermones multos ad Hollandos lib. I.

Exhortationes ad Fratres Egmundanos lib. I. ubi sepultus miraculis claruit, licet alii prope Egmundam in Castello Norwih, sed locus ille martyrii fuit, sepultum velint.

Passus est anno DCCCLVI. Monasterium Egmunda, totius Hollandiae opulentissimum, D. Adalberto Scoto sacrum, patrum memoria ab insanientibus haereticis ita subversum, ut vix hodie rudereta supersint.

#### S. HELIAS. 637.

S. HELIAS, socius laborum ac discipulus S. Levini, eum ex Scotia secutus in Belgium, operam praeclaram rei Christianae navavit, et cum Foillano et Kiliano sanctissimi viri magistri sui corpus post martyrimum illud illustre in pagum *Hauthem* sepeliendum detulit. Vita S. Levini, quam in epitomen coarctavit Franciscus Haraeus die XII. Novembris. Scripsit

Passionem Levini magistri lib. I.

Peregrinabatur anno DCXXXIII. XI. Novembr. Joan. Domins.

#### S. HADROUS. 638.

S. HADROUS Scotus, abbas in Belgio, coetaneus S. Forannano, ut in ejusdem sancti vita patet; et fere semper usu receptum, ut

Scoti sancti, aut limina apostolorum, locave sancta dominicae passionis visitaturi, discipulos secum ducerent, et vitae suae testes, et gloriae participes; usque adeo verum est, quod in *Theatro Conversionis Gentium* scribit Arnoldus Mirmannus: “Scoti et Angli, sive Britanni, crebro olim, dum aut Terram Sanctam, quam dicimus, aut apostolorum limina visitarent, passim evangelium praedicando serviebant.” Ex horum numero Hadrous noster; sed ubi substiterit, aut ubi depositus sit, aut denique quid scripserit, inexploratum.

Claruit anno DCCCXXCII. Molanus, Ghinius, alii. Dies incertus.

#### S. HELANUS. 639.

S. HELANUS Scotus, unus eorum qui cum S. Eloquentio Scotia egressi “per Saxoniam et Galliam multum populum Domino lucrati;” alius ab eo qui S. Gibrini frater a Flodoardo Rhemensi numeratur. Cum eodem S. Eloquentio, praedicatione finita, beato fine quievit in Waleiodorensi coenobio. Joannes Molanus *Nat. SS. Belgii*, et ex eo Ghinius pag. XCIX. Scripta perierunt.

Claruit anno DCLI. Dies cultus ignotus.

#### S. HETTO. 640.

S. HETTO, seu Otto, Scotus, S. Helani socius et collega, S. Eloquentii discipulus, apostolico spiritu afflatus, in Germania inferiore et Gallia evangelium concionabundus annunciavit. Molanus, Ghinius, locis laudatis, et Vita S. Eloquentii.

Claruit anno DCLI. Colitur XIII. Februar. Vita B. Osualdi Carthusiani. Ille vir sanctus e Belgio hujus reliquias in Scotiam intulit.

#### S. HERMANNUS. 641.

S. HERMANNUS Scotus, ut existimo, monachus Benedictinus; saltem, quod negari non potest, professus Coloniae in monasterio S. Pantaleonis, quod Scotorum ea aetate et diu antea fuerat, nisi fallit loci chartularium, et acta, ex quibus Conradus monachus in Vita S. Wolphelmi apud Surium tom. II. Uvion et alii.

Claruit anno MLX. Colitur die XXII. Aprilis et xv. Februar. Martyrol. Carthusian.

S. HILWARIS. 642.

S. HILWARIS, virgo Scota, cujus mentio in vita coetaneae et aequalis suae S. Oddae, ut ex vetustis scriptoribus observat Molanus, nec vero alibi de ea quicquam compertum, nisi una cum Odda Rhodae quiescere, et ut loci patronam honorari.

Claruit anno DCCXIII. Colitur die XXIIX. Novemb. Acta loci.

S. HONESTUS. 643.

S. HONESTUS, presbyter, confessor, et praeceptor S. Firmini, primi episcopi Ambianensis, ut supra Ghinius pag. LXIIX. “Ambiani in Gallia S. Firmini, primi ejusdem civitatis episcopi, et martyris, qui ex Hiberniae partibus ab Honesto presbytero literis eruditus.” Petrus lib. VIII. cap. CXIX. “Cum esset adhuc puer, traditus est in disciplinam Honesto presbytero sacris literis imbuendus, pro Honesto, jam sene, praedicationis officium supplens.” Uterque vult S. Firminum et ejus educatorem S. Honestum in Hibernia ortum; quo loci pro Scotiae ea parte quae, montibus et silvis horrida, Oceano Occiduo alluitur, ut in Martyrologio Romano die XVI. Decembris, ubi ecclesia in Hibernia ponit Aberdoniam nostram; nec vero in Hirlandiam haec quadrare possunt, cum diu post sanctos istos in idololatriae tenebris delituerit; nam senex erat Honestus dum puer esset Firminus, et hic passus anno aetatis LXIV. salutis CCC. ut plusquam CC. anni numerentur inter hujus depositionem, et primam primulamque Hiberniae conversionem, quae per S. Patricium Scotum facta, et LX. annis vix perfecta: atque etiam si fabellis anilibus illius gentis credamus, inter senectutem Honesti, et mulieris Picticae piam in Hibernos operam, anni sunt plusquam centum; quomodo igitur Hiberni Honestus et ejus alumnus Firminus, cum primum per ancillam Pictam Christus iis innotuerit? Fraudes sunt suffuciae, et fuit Honestus splendidum primitivae Scotorum ecclesiae jubar, nulla enim ea aetate Christiana Hibernia praeter Scotiam. Scripsit

Institutionem Cleri lib. I.

Ad Galliae Episcopos lib. I.

Claruit anno CCLIII. Colitur in monasterio S. Mariae in insula Traile xx. Septembris, ubi reliquiae ejus. Et hic canonicus regularis.

S. HUGO. 644.

“S. HUGO, prior de Maia, vir magnae sanctitatis et abstinentiae,” inquit Scotichronicon lib. X. cap. XXVI. Canonici ordinis ornamentum; patria Dumblanensis traditur, et habitum in Scona induit. Scripsit

Pro Regimine Claustri lib. I.

Depositus confessor anno MCCLXIX. colitur die II. Januar. Scotichron. Extat officium.

ADAMUS HANGALISIDE. 645.

ADAMUS Hangalaside, secundus prior Carthusiae Scotorum in Valle Virtuosa, “qui diu et sanctissime in ordine trans mare stetit, et religiosissime se gessit: successit Osualdo, et praefuit decem annis.” Scotichronicon lib. XVI. cap. XIIX. Scripsit

Quaedam Spiritualia lib. I.

Claruit anno MCDLX. Beatum eum habet Vita per Hugonem Stuartum scripta.

GEORGIUS HEPBURNUS. 646.

GEORGIUS Hepburnus, Dominicanus Deidonensis, unus eorum qui, cum provincialis Scotiae esset, monasticam disciplinam exemplo potius quam praecepto restituerunt: summa literatura, nec minore zelo, acris iudicii, firmae memoriae; ut semel dicam, vir tantus describitur, quantum illa aetas, literis melioribus sepultis, ferre poterat. Scripsit

Collectiones Theologicas lib. I.

Ad Fratres pro Reformatione lib. I.

Claruit in Scotia anno MCCCXXIV. Hect. Boeth.

## GEORGIUS HEPBURNUS. 647.

GEORGIUS Hepburnus, alius ordine temporis, vitaeque conditione ab eo diversus, quippe decanus Dunkeldensis, filius Baronis Halis, vir sapiens, inquit Brunus abbas pag. XLIX. turrem altam munitissimamque aere suo erexit, ne praesidiis suis careret ecclesiasticus ordo: insuper in eadem sua ecclesia solenne sacrum, in perpetuum hora XI. celebrandum, censu constituto, in sacello Deiparae Virginis instituit: saeviente annonae angustia maximas erogavit in pauperes impensas: quotidie chorum frequentabat, etiam si amici operam exposcerent: Joanni Adae, theologo Dominicano et provinciali, ordinis sui emendationem molienti, impiger adfuit, et iisdem patribus, ad D. Andreae, aere suo, claustrum fundavit, dotavit, et concessit. Scripsit egregium volumen,

De utroque Statu Ecclesiastico lib. I.

Floruit anno MDII. quo obiit, sepultus in eodem, quod diximus, sacello.

## JACOBUS HERRISIUS. 648.

JACOBUS Herrisius, prior in Tunland, ordinis Praemonstratensis, vir eximius, in theologicis studiis versatissimus, nec secularium literarum expertus, doctor Sorbonicus, conventum suum ruiturum reparavit, aream exteriorem quadrato lapide stravit, claustrum muro circumducto extendit. Concilio Constantiensi adfuit. Scripsit

De Validitate Traditionum lib. I.

Pro Georgio Merchiarum Comite lib. I.

## NATHANIEL HUNTERUS. 649.

NATHANIEL Hunterus Dornensis, presbyter theologus, S. Revoci curio, turbata Catholicae fidei puritate, et haeresi praevallente, cum amplius resistere non posset, solum vertit, ac primum Brugas se contulit; inde in Italiam descendens, archiepiscopo Mediolanensi in paucis carus, literarium otium nactus, usque ad vitae finem magna aestimatione egit; ubi multa scripsit, ut erat

vir exercitatissimus. In manus meas venit e typis Venetis Junctarum opusculum,

De Causis Haeresis apud Scotos lib. III.  
 Exilium passus anno MDL.

JOANNES HURREY. 650.

JOANNES Hurrey Aberdonensis, poeta patria lingua elegans et disertus, auctor heroici illius poematis, quod tanti faciunt,

De Penardo et Laissa lib. I.  
 Vivit adhuc, et suos studio honestat.

GILBERTUS HUNT. 651.

GILBERTUS Hunt D. Bernardi habitum induit Lutetiae, et rara ingenii fama claruit. Scripsit

Lecturas Theologicas lib. I.  
 Replicationes Scholasticas lib. I.  
 Scribebat anno MCCCXLIII.

NICOLAUS HEBRON. 652.

NICOLAUS Hebron, seu Hepburnus, seu Hexbron, sub D. Francisci regula sobrie et pie diu vixit, sanctae conversationis et eruditae. Scripsit

Enarrationes Evangeliorum Quadragesimalium lib. I. quae Germanica lingua prodierunt Coloniae.

Enarrationem lamentatoriam in Psalmum LXXVIII. Francisc. Gonzaga part. I. de Orig. Relig. Seraph. pag. LXXXVIII. Henricus Villot Belga Athenar. Orthodoxar. pag. CCLXXVII. eum "guardianum conventus Brulensis provinciae Coloniae, et generalem commissarium Cismontanum," vocat, eique opera alia ibidem loci assignat.

Paradoxa Theologalia lib. I.

Conciones in Evangelia Quadragesimalia lib. I. aliud a praecedenti opus.

Enchiridion Locorum communium	lib. I.
De tribus Votis et Obedientia Religiosorum	lib. I.
Monada sacrosanctae Evangelicae Doctrinae, contra Franciscum Lambertum Avenionensem apostatam,	lib. I.
Methodum concionandi	lib. I.
Epistolas ad Minoritas	lib. I.
Monotesseron Passionis Domini Nostri Jesu Christi	lib. I.
Optimam Apologiam	lib. I.
Veteris Vitae Emendationem	lib. I.

Vixit anno MDLII.

SAMSON HAYUS. 653.

SAMSON Hayus, monachus Gulielmita Parisiis, quem ordinem, ab habitu, *Alba pallia* vocant, cum ex Scotia studiorum ergo eo se contulisset, religioso voto se lubens obstrinxit, et magna eruditionis, nec minore pietatis fama floruit. Scripsit vero

Theologiae Scholasticae Theses	lib. I.
Sorbonicas Conclusiones	lib. I.
De Ordine suo	lib. I. quod opus laudatur a Joanne Marques Augustiniano cap. de Antiqui- tat. Ordin. sui § XI. Ego sane non vidi.

Vivebat anno MDIV. ut aiunt: si ita est, ergo ille ordo in Scotia fuerit, nam hic in patria monachum induerat.

THOMAS HENDERSONUS. 654.

THOMAS Hendersonus, J. C. sui aevi clarissimus, Edimburgensis propraetor, morum elegantia conspicuus, scripsit, ut est amoeni ingenii, plurima, sed ego tantum vidi

Gesta sui Seculi	lib. I.
------------------	---------

Vivit adhuc in patria.

HUGO. 655.

HUGO, episcopus Sancti Andreae, sedem illam abjurare, et Dunkeldensem transire coactus a Rollondo Dolensi antisti-



te, et Selvano Rievallense abbate, ut narrat Rogerus de Hoveden Annal. part. II. pag. CCCLII. Extant Urbani III. epistolae super ea controversia ad Wilhelmum regem, et ad Jocelinum, Glascuensem episcopum, apud eundem pag. CCCLXI. et Clementis III. decretum ad Glascuensem et Aberdonensem antistites recitatur in eodem pag. CCCLXVIII. Ad ultimum gradu ecclesiastico dejectus, et sacris interdictus, Romam concessit; et absolutione, clementissimi pontificis commiseratione, impetrata, ex peste cum tota familia ibidem loci interiit. Idem pag. CCCLXX. Scripsit

Pro Causa sua ad Apostolicos lib. I.

Mota ei controversia anno MCLXXXII. Obiit MCLXXXVIII. mense Augusto. Silent historiae nostrates.

#### HUGO. 656.

HUGO, abbas de Neubotle, memoratur in literis Clementis III. super negotiis Joannis episcopi S. Andreae. Roger. Hoveden Annal. part. II. pag. CCCLXIX.

Floruit anno MCLXXXVIII.

#### B. HEREBERTUS. 657.

B. HEREBERTUS, Glascuensis episcopus, memoratus a Rogero de Hoveden lib. II. pag. CCLXXXIII. scripsit

De Sumerledi Motu et Poena lib. I.

Claruit anno MCLXIV.

#### B. HERBERTUS. 658.

B. HERBERTUS, prior Coldinghamiae, exemptionem Scoticarum ecclesiarum ab Eboracensi impetravit. Scripsit, ut est apud Hoveden pag. CCCXI.

De Pactis Eboraci initis lib. I. Meminit Fordunus MS.

Claruit anno MCLXXV.

## HARTMANNUS. 659.

HARTMANNUS, sub S. Columbani regula, S. Galli in Helvetiis monachus, vir pius et poeta clarus, cum ipso coenobiarcha Gallo ex Scotia veniens, eo loci substituisse creditur. Innuit ipse quodam epigrammate :

Inde Columbanus, noster pater atque magister,  
 Alpibus excursis, aeriisque viis,  
 Hic aderit praesens, alacrisque ad gaudia tanta,  
 Agmina conjunget consociata simul.  
 Coniunguntur ei celebres, gressusque fatigant  
 Tres quoque Francorum, Scotigenae pariter.

Inter illustres illius ordinis viros censetur, et nuper ejus edidit in tomis Antiquarum Lectionum Henricus Canisius

Epigrammata varia lib. I.

Poemata varia lib. I.

Floruit anno DCLXX. sub Conrado II. imperatore, et Ferquharo II. Scotiae rege.

## HERVAEUS. 660.

HERVAEUS, nobili familia ortus, quae etiamnum apud nostrates viget, in aula Anglica diu vixit, primusque Bangorae episcopus sedit, sed eam "sedem spe majorum divitiarum reliquit," ait Guilielmus Malmesburiensis, "causatus, quod sibi et Wallensibus non bene conveniret." Ei successit David Scotus, de quo supra hoc opere suo loco; ille vero alio translatus, sed haud facile eruere quaenam illa fuerit ecclesia. Franciscus Godwinus pag. DCLXIII. putat eum fuisse primum Eliensem episcopum, sed falso; nam a Bangorensi in Anglia cathedra ad Lexoviensem in Normania, rege Angliae volente, transivit. Docet epistola MS. S. Anselmi, Cantuariensis archiepiscopi, ad Henricum I. regem: "Henrico suo karissimo domino, gratia Dei regi Anglorum, et duci Normannorum, Anselmus archiepiscopus fidele servitium cum orationibus. Mandavit mihi dignatio vestra per electum episcopum Wintonien-

sem, ut sibi scriberem, utrum Dominus Hervaeus, episcopus Bancoronensis, posset constitui episcopus in ecclesia Luxoviensi. Hoc utique facile fieri non intelligo. Sicut enim nullus episcopus sacrari debet alicujus ecclesiae sine consensu et consilio archiepiscopi, et aliorum episcoporum totius provinciae; ita qui consecratus est episcopus, non potest constitui in alia provincia episcopus canonice sine consilio et assensu archiepiscopi, et episcoporum ejusdem provinciae cum apostolica autoritate, nec sine absolutione archiepiscopi et episcoporum, in qua sacratus est; quae absolutio fieri nequit sine magna et communi consideratione et consilio eorum, sine quibus consecrari, ut dixi, non possit. Omnipotens Deus dirigat vos in hac et in aliis actionibus vestris. Amen." Haec de illo ab Anselmo, qui licet translationi ipsius videretur adversari, tamen rex eum consecrari voluit. Auctor Robertus Coenalis.

In epistola illa manifestus error; nam ecclesia Luxoviensis celebris in Burgundia abbatis est, a S. Columbano Scoto, ut dixi, structa, quae et Lussedium vocatur a vetusto scriptore in Vita S. Eligii, Noviom. Episcopi, lib. x. cap. xxi. Producit Surius tom. vi. Lexoviensis sedes in Normania Rothomagensi suffraganea: et tamen idem error in Ivone Carnotensi epistola CLIII. ad Gilbertum Ebroicensem comitem: "Quod de Luxoviensi ecclesia bene incoepistis." Corrige, "de Lexoviensi ecclesia." Idem iterum epist. CLIV. "Luxoviensem ecclesiam per violentiam Anglici regis invadat," eodem modo corrigendum. Et cap. CLVII. "In ecclesia Luxoviensi paternitas vestra cognoscere poterit." Totus contextus convincit de Lexoviensi intelligendum. Sed et apud Petrum Venerabilem "episcopus Luxoviensis" mendose scriptum notat Franciscus Juretus. Quantum temporis ecclesiam rexit, non deprehendi, neque ubi obierit. Scripsit

Epistolas ad Henricum Regem Angliae lib. i.

Floruit anno MX.

#### JOANNES HEPBURNUS. 661.

"JOANNES Hepburnus, S. Andreae prior multo dignissimus, cujus civiles res gestae atque sacrae dignae sunt, quas perpetuis posteritas extollat laudibus," ait Hect. Boethius lib. xvi. Histor. Scot. pag. CCCXXXIII. Parisiis juvenis studuerat, et scripserat

De Venatione poema elegantissimum lib. I.  
Obiit Andreapoli anno MDI.

## HENRICUS CAECUS. 662.

HENRICUS quidam, a nativitate caecus, rara tamen ingenii felicitate, Homerus alter, patriam linguam supra aetatem suam ditavit. Scripsit operosum et grande opus versu vernaculo,

De Gestis Gulielmi Wallasii lib. X. Huic, filio Gulielmi ab Eldeslia, nepoti Adami a Ricarton, ingens gloria, et famae aeternitas cessit, quod libertatem oppressae patriae sola sui virtute restituit, tyrannide Anglorum multis praeliis excussa, et cum proceres in servitute ultro ruerent, unus tam potenti regi ac factioni resistere ausus, armis invictus, ac sola invidia debellatus.

Vivebat anno MCCCLXI.

## JACOBUS HARRISONUS. 663.

JACOBUS Harrisonus in aula Anglicana aliquamdiu vixerat; nam Eduardo Semaro, Somersetensium duci, regis minoris avunculo, ac regni administratori, opus inscripsit, quo Scotos et Anglos ad mutuam concordiam hortatus, graviter de utriusque regni viribus, et ex bello incommoda, ex pace emolumenta pertractat. Titulus operi

De duorum Regnorum Unione lib. I.

Claruit anno MDXLVII.

## EDUARDUS HENRISONUS. 664.

EDUARDUS Henrisonus, antecessor et professor regius Bituricensis, Franc. Duareni collega, in illius academiae grata memoria etiamnum hodie vivit vigetque, vir humanioribus literis instructissimus, solis Papinianis in juris cognitione inferior. Scripsit

In Titul. X. lib. II. Institution. Justinian. de Testamentis  
(Biblioth. Jurid.) lib. I.

Librum de Jurisdictione, pro Doctore suo Eguinario Barone

contra Antonium Goveanum. Alia non vidi.

Plutarchi Commentarium Stoicorum Contrariorum Latinitate donavit, et Franc. Duareno dedicavit. Lugduni, MDLV.

Claruit anno MDLXXI. Meminere ejus cum laude Elenchus Jurisconsultorum, Joan. Nenizanus, Ludovic. Gomesius, Joan. Fichardus, Joannes Baptista Ziletus, Jo. Wolfgangus Freymonius.

#### HENRISONUS. 665.

HENRISONUS, Eduardi filius, advocatus in senatu Edimburgensi Scotico, familiaris admodum, commendante virtute, Jacobo Stuardo regni cancellario, Araniae comiti, edidit

Apologiam pro Patre lib. I. Pictavii.

Obiit Edimburgi anno MDXCVII.

#### ALBANUS HILLUS. 666.

“ALBANUS Hillus, medicus nobilissimus, optimus, atque in omni literarum genere maxime versatus,” ait Bibliothecae Medicae auctor, et repetit Bassianus Landus. Fuisse Scotum, et gentilem suum Robertus Hillus, qui philosophiae professor Monspeli obiiit, asseruit lib. de Peregrinatione sua. Hic scripsit

In Galenum permulta lib. I.

De Anatomia Galeniana lib. I.

Incertum quo seculo floruerit.

#### HUNIBERTUS. 667.

HUNIBERTUS, clarum suae gentis nomen, Galliis, Germaniis, Italiaque lustratis, edidit

Chronicon Scotorum lib. I. Index anonymi.

Floruit anno DCCXXX.

#### PATRICIUS HAMILTONUS. 668.

PATRICIUS Hamiltonus, etsi illustri loco ortus, nomen tamen in hac nomenclatura non inveniret, nisi ad perpetuam nominis

infamiam etiam aeternis addicti poenis a sanctis ecclesiae doctoribus nominarentur: sic haereticorum catalogum contexit Epiphanius, et alii eum secuti. Hic ergo adolescens XXIII. annorum Marpurgae, quam Philippus Hessorum princeps academiam fecerat, primus professor. In Scotiam redux, cum execrandi dogmatis virus, quod in Germania nefarie hauserat, domi vomere inciperet, haereseos Andreapoli damnatus, ad stipitem religatus ultrice flamma poenas pependit. Laudat Franciscus Lambertus Avenionensis in praefatione operis sui in Apocalypsin, sed et ipse ejusdem veneni potor, et sectae haereticus. Scripsit vero hic

De Lege et Evangelio	lib. I.
De Fide et Operibus	lib. I.
Locorum communium	lib. I.

Exustus est pridie calend. Mart. anno salut. human. MDXXVIII.

#### S. HERMANNUS. 668.

S. HERMANNUS, unus ex iis est patribus qui Pelagii insanientis audaciam eo in regno represserunt: docet epistola, cujus haec est epigraphe tom. III. Concilior. in Decretis Honorii I. cap. XIX. "Dilectissimis et sanctissimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano, et Bathano episcopis, Chromano, Hermannoque, Laustrano, Stellano, et Segiano presbyteris, Sarano, caeterisque doctoribus, et abbatibus Scotis, Hilarius archipresbyter, et servans locum sanctae sedis apostolicae, et Joannes diaconus, et in Dei nomine electus item Joannes primicerius, et servans locum sanctae sedis apostolicae, et Joan. servus Dei, et consiliarius ejusdem apostolicae sedis." Sequitur deinde epistola ipsa, ex qua liquet eos Romam dedisse literas, quibus et Arriani perfidiam accusabant, ne in Scotia spargi inciperet metuebant, item de Paschatis observatione doceri cupiebant. Scripsit ergo Hermannus presbyter

Epistolas ad Hilarium, servantem locum sanctae sedis apostolicae, et alios, de Pelagiana Haeresi, lib. I.

Vivebat anno DCLXVI. Nomina haec corrupta magna ex parte, supra hoc opere ostensum.

#### S. HEREBERTUS. 668.

S. HEREBERTUS Scotus, S. Bonifacii Germaniae apostoli discipulus, ex eorum, ut puto, numero qui ex Britannia ab illo evo-

cati sedulam operam ad gentium Germanicarum conversionem navarunt; alios enim secum sanctus ille duxit, alios, Romae ordinatus et in Frisiam a Gregorio II. cum apostolica auctoritate destinatus, patria ad se accivit: ab eodem episcopus Frisingensis inauguratus, primus illius sedis antistes fuit, magna pietatis eruditionisque opinione. Meminit Joan. Trithemius lib. IV. de Vir. illustribus Ordin. S. Benedicti cap. CCXXI. Scripsit

Epistolas ad Bonifacium lib. I.

Officiarium suae Ecclesiae lib. I.

Floruit anno DCCLXXX.

#### FRANCISCUS HAMILTONUS. 669.

FRANCISCUS Hamiltonus, Scotorum D. Jacobi Majoris in suburbio Herbipolitano abbas, vir pius et literatus, magno labore monasterium illud, Scotis ademptum per Laurentium episcopum, Orientalis Francia ducem, et bullam Alexandri VI. pontificis, in Teutones jure illius transmissa anno MCDXCIX. Scotorum nationi iterum [restituit], concedente illustrissimo Julio episcopo Herbipolensi, praesentibus ecclesiae cathedralis canonicis, quorum liberalitate Embricho episcopus illud olim fundarat anno MCXL. Scripsit

Orationem de Reformatione Monasterii Scotorum Herbipolitani lib. I. Habita est coram Julio episcopo, principe Orientalis Francia, et caeteris optimatibus; prodiit Herbipoli. Joannes Busaeus, Soc. Jesu presbyter, in praefatione ad opera Trithemii.

Controversa Fidei Capita, et alia multa, quae posteritatis memoriam merentur; sed ego non vidi.

Floruit anno MDXCV.

#### JOANNES HAMILTONUS. 670.

JOANNES Hamiltonus, S. Andreae archiepiscopus, frater Jacobi Arraniae comitis, et ducis Castri Herald, quod religiosus esset subsidio, reginaeque dignitatem strenue tueretur, a perduellibus re-

gicidii suspectus, ne in iudicium quidem more patrio vocatus, inaudita causa suspensus et necatus. Sola accusationis umbra, sacerdotem in sacra confessione id ex poenitente quodam audivisse, quod pro ingenio suo haeretici finxerunt. Hujus fatum, tanto sane principe indignum, G. Buchananus salso epigrammate, nimium factioni perduellium addictus, perstrinxit :

Restis Hamiltonum necat, ensis ut ante Betonum.

Fuit hic magna in reginam afflictam caritate, et veluti unicum insanientis haereseos impedimentum. Scripsit

Rationes cur Regina Scotiae non deberet se fidei Elizabethae Anglicanae committere lib. I. Anonymus Gallice scriptor de Martyrio Mariae Stuartae, Reginae Scotorum, capita dissertationis ipse recenset, quibus nihil doctius aut argutius.

Exstinctus est impiorum manibus, et pietatis victima concidit anno MDLXXI. Vide G. Camdenum, et Jacobum Augustum Thuanum lib. LI. Historiar. pag. DCCCXXXII.

### S. HILDEBERTUS. 671.

S. HILDEBERTUS, Scotorum archiepiscopus, docuit Caium Sedulium seniorem : plene Petrus lib. XI. cap. LXXI. Scripsit

Epistolas ad varios	lib. I.
De felici Ecclesiae Statu	lib. I.
De Persecutione fidelium	lib. I.
Poemata sacra	lib. I.

Hic postea in Galliis Cenomanensis episcopus, ac mox Turonensis archiepiscopus, ut est apud Gulielmum Malmesburiensem lib. IV. pag. LXXV. scripsit praeter laudata [alia quoque] opera, et in his,

De Concordia veteris et novi Sacrificii lib. I. versu eleganti.  
Laudat Anton. Monchiacen. Demochares tom. III. cap. XXXVI. pag. CXVII.

De Roma versus suavissimos lib. I. "Venustae facundiae," ait idem Malmesburiensis : in alia editione est, "vetustae facundiae." Apponam quosdam, unde Itali, Germani, Franci hauserunt :



Par tibi Roma nihil, cum sis prope tota ruina,  
 Quam magni fueris integra, fracta doces.  
 Longa tuos fastus aetas destruxit, et arces  
 Caesaris, et superûm templa palude jacent.  
 Ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes  
 Et stantem tremuit, et cecidisse dolet :  
 Quem gladii regum, quem provida jura senatus,  
 Quem superi regum constituere caput :  
 Quem magis optavit cum crimine solus habere  
 Caesar, quam socius et pius esse socer :  
 Qui crescens studiis tribus, hostes, crimen, amicos,  
 Vi docuit, secuit legibus, emit ope :  
 In quem dum fieret, vigilavit cura priorum,  
 Juvit opus pietas, hospitis unda locum ;  
 Materiam, fabros, expensas axis uterque  
 Misit, se muris obtulit ipse locus ;  
 Expendere duces thesauros, fata favorem,  
 Artifices studium, totus et orbis opes.  
 Urbs cecidit, de qua si quicquam dicere dignum  
 Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.  
 Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis,  
 Ad plenum potuit hoc abolere decus :  
 Cura hominum potuit tantam componere Romam,  
 Quantam non potuit solvere cura deûm.  
 Confer opus, marmorque novum, superûmque favorem,  
 Artificum vigilant in nova facta manus ;  
 Non tamen aut fieri par stanti machina muro,  
 Aut restaurari sola ruina potest.  
 Hic superûm formas superi mirantur et ipsi,  
 Et cupiunt fictis vultibus esse pares.  
 Non potuit natura deos hoc ore creare,  
 Quo miranda deûm signa creavit homo.  
 Vultus adest his numinibus, potiusque coluntur  
 Artificum studio, quam deitate sua.  
 Urbs felix, vel si dominis urbs illa careret,  
 Vel dominis esset turpe carere fide.

Nemo unquam cultius Romae majestatem adumbravit. Alius est ab isto "Hildebertus Ostro-Francus, dux et episcopus Moguntinus, qui scripsit SS. vitas," ut in Catalogo Testium Veritatis docuit Gulielmus Eisingrinus Spirensis; eodemque in argumento versati, praeter eos, quos hoc opere sparsim nominavi :

Flavaldus, Monachus Rhemensis.

Albertus, Abbas Lobiensis.

Arnodulphus, Abbas.

Andreas, Bambergensis abbas XXXVII.

Heroldus, Monachus Spirensis.

Diemon, Monachus Hirsaugiensis.

Bruno, Monachus ibidem loci.

Ernestus, Abbas Zwifaltensis.

Berchtoldus, Abbas Campidonensis.

Erckenbaldus, Episcopus Argentoratensis.

Gilbertus Folioth, Episcopus Londinensis.

Gulielmus Thorney, Anglus.

Lambertus de Legia.

Quos ideo laudavi, quia ex iis multa potes petere, quae labores hosce meos et confirmare et augere non vulgariter possunt; nec tamen mihi eos videndi unquam copia fuit.

Celebratur et alius Hildebertus, abbas Blandiniensis, qui, contra fautores Caesaris, decretis pontificum de imaginibus habendis adhaesit, Meiero in Annalib. Flandr. auctore, sed multis post nostrum seculis.

Floruit anno CD. sedente Romae S. Innocentio I. Scoto, imperante Theodosio. Meminit Trithemius.

#### ARCHIBALDUS HAMILTONUS. 672.

ARCHIBALDUS Hamiltonus, nobili loco natus, nobiliori fama in Galliis claruit, Lutetiae bonarum artium professor, Sorbonicus socius, ad D. Quintini canonicus, ubi haud leve pietatis argumentum exhibuit; nam cum urbis illius praetor subjectus petisset ab eo sacrum sibi celebrari, maluit et sacerdotii jacturam et suppellectilis direptionem pati, et exilium subire, quam contra de-

cretum ecclesiae quippiam admittere. Romae magno loco a pontifice Gregorio XIII. habitus, majore a suis popularibus, quos in fide labantes non mediocriter confirmavit, publica cum Knoxio disceptatione habita, quem ita et vi veritatis et eloquentia depressit, ut non pauci, haeresi damnata, in ecclesiae gremium redirent. Scripsit

Dialogum in Controversia Fidei, quem Th. Smetonus apostata impugnavit contra Catholicam causam, lib. 1. Alia Patri Tyrio edenda reliquit; an prodierint ignoro.

Obiit in Vaticano, aedibus a S. D. N. sibi assignatis, anno MDXCIII.

#### ARCHIBALDUS HAMILTONUS. 672.

ARCHIBALDUS Hamiltonus, in insulis Scoticis natus, celebri fama Parisiis docuit, auditorio ingenio suo digno. Scripsit

De Philosophia Aristotelica lib. v.

Venit Lutetiam anno MDXXXI. Acta nationis Germanicae ad DD. Cosmi et Damiani asservata pag. CLXXIV.

#### ALEXANDER HAMILTONUS. 673.

ALEXANDER Hamiltonus Glascuensis, Lutetiae etiam in Luxoveo professor, magnam sui ab eruditione singulari excitavit expectationem, et implevit auditorum florente academia vota. Scripsit

Orationes lib. 1.

De illustribus Viris Familiae suae lib. 1.

Urbis Glascuensis Encomium lib. 1.

Docebat Lutetiae anno MDLXXVI. Eadem acta pag. CLXIII.

#### JOANNES HAMILTONUS. 674.

JOANNES Hamiltonus Dumblanensis, et ipse Parisiensis in Navarraeo, Barbarano, et Cardinalitio professor, ingens gentis suae decus, poeta elegantissimus, orator priscis conferendus, scripsit

De Laude Academiae Parisiensis lib. 1.

Profitebatur anno MDLXXVII. Acta ejusdem nationis pag. CLXIII. vigetque inter doctos etiamnum nomen.

## JOANNES HAMILTONUS. 675.

JOANNES Hamiltonus, alter Sanct-Andreanus, licet prius publici doctoris munus subierit, tamen posterius priori obiit, insigni in utraque lingua eruditione, nec minus Hebraicae, quam Graecae et Latinae, peritus. Docuit in Becodiano et Plessaeo; demum Sorbonicus socius in Collegio Navarraeo vixit, doctiorum doctissimus, ut Claudius Minos dicere solebat. Scripsit

Praefationes solennes	lib. i.
De eruditorum Praerogativa	lib. i.
Locorum e Thalmud Versionem	lib. i.
De Rabbinis	lib. i.

Venit Parisios anno MDLXI. Acta eadem pag. LXXXIII.

## JOANNES HAMILTONUS. 676.

JOANNES Hamiltonus iste, omnes sui seculi eruditos incomparabili virtute, et ingenii felicitate longe praetergressus, nobilissimo loco ortus, Thomae Hamiltoni, Scotiae secretarii, Comitum Mailrosiae ac senatoris, regni conservatoris, frater, Lutetiae philosophiam docuit, tum DD. Cosmi et Damiani in eadem academia parochus, socius Sorbonicus, adjuvantibus Busiaeo le Clerc, et Buchero doctore theologo, omnes regni ordines in caput Henrici IV. regis, nondum adhuc Catholici, concitavit, nescias ferventiori pietate, an viriliore animo, cum ipse armatus muros conscenderet, singulos hortaretur, e pulpitis fulminaret. Meminit satira Gallica illa ingeniosissima, licet parum pia, cui titulus Catholicon Hispaniae, cujus auctor Joannes Passeratius ferebatur. Sed soluta Parisiensi obsidione, et rege a Clemente VIII. pontifice interventu Gordonii Jesuitae Scoti absoluto, ipse Bruxellas concessit, Bucherus Tornacum, Busiaeus in Cimbriam. Noster vero, post aliquot annos, desiderio salutis suorum civium motus, in Scotiam trajecit, et a perfidis proditus, a Sathanae ministris captus, ac jussu regis Londinum

perductus, in Turrim conjectus. Ejus extant multa, sed ego paucissima vidi, quorum hi apices sunt :

Philosophiae Aristotelicae Epitome	lib. I.
Orationes Rectoriae	lib. I.
Conciones ad Populum Parisiensem de Officio Subditorum in Principes suos	lib. I.
Controversiae Religionis	lib. I.
Admonitiones ad Ministros	lib. I. vernacule.
Tractatus de reali Corporis Christi in Eucharistia Praesentia, item vernacule,	lib. I.

Obiit martyr, sub arcta in Turri Londinensi custodia, anno MDCX. uno solo crimine admissus reus, quod furente plebeiorum factione clarissimum et literatissimum Barnabam Brissonium, senatus Parisiensis praesidem, et tot scriptis celebrem, nullius compertum criminis in Lautumiis passus sit strangulari, et cadaver contumeliis affectum publico supplicii theatro in sacri ordinis dedecus aeternam suffigi. Erat sane paulo in rebus fidei ardentior, nam et Foulerium, virum domi nobilem, flagris caedi imperavit, et alios praepostera pietate offendit; cetera tamen, si causam religionis demas, mitissimo et moderatissimo ingenio fuisse perhibetur. Qui plura cupis, lege Ludovici Servini, regii in senatu Parisiensi advocati, forensem de eo actionem.

#### PATRICIUS HUMAEUS. 677.

PATRICIUS Humaëus, equestri dignitate, a gentilitio patrimonio Pouluartius vocatus, magno ingenio, praeclaro eventu poeticen Scoticam adornavit, regi non magis claritudine familiae, quam moribus suavissimis et rara eruditione carus. Scripsit

Cantiones Scoticas	lib. I.
Carmina amatoria	lib. I.
Odas [ad] Regem	lib. I.
Satiram in Alexandrum Montgomerium	lib. I. et alia quae ad manus meas non venerunt.

Obiit anno MDCXI.

## JACOBUS HALDENSTOUN. 678.

JACOBUS Haldenstoun, sacrae theologiae doctor, ac decanus, S. Andreae prior, haereticae pravitatis inquisitor, "severus in corripiendo, mansuetus in miserando, liberalis in exponendo, affabilis in colloquendo, et pronus in compatiendo," ait *Scotichronicon* lib. VI. cap. CLVII. cui hoc epitaphium posuerunt :

Qui docui mores, mundi vitare favores,  
Inter doctores sacros sortitus honores,  
Vermibus hic donor, et sic ostendere conor,  
Quod sicut ponor, ponitur omnis honor.

Scripterat ille, ut ex dicti coenobii bibliotheca apparebat,

Contra Lolardos	lib. I.
Processum contra Haereticos	lib. I.
De Privilegiis Claustri sui	lib. I. Nam cum abbas Calcoensis publico regni ordinum conventu locum priori S. Andreae praeripere vellet, prior, lato decreto, ei praelatus, et omnibus regni abbatibus. Ita S. Columba, cum esset tantum abbas, omnibus Hiberniae episcopis antepositus. <i>Scotichronicon</i> lib. VI. cap. XLIX.

Obiit XVIII. Julii anno MCCCXLIII.

## HONORIUS. 679.

HONORIUS, monachus Benedictinus celeberrimi coenobii de Cupro, tum Brechinensi episcopo vicarius, ut in *Scotichronico*, vir suo seculo literatissimus, scripsit

Linguarum Orientalium Synopsis	lib. I.
De Lingua Hebraica	lib. I.
Dictionarium Hebraicum	lib. I.
Paraphrasin in universum Testamentum Vetus, cum repertorio,	lib. IX.
Chronicon Rabbi Salomon	lib. I. Commentarium scilicet de rebus Romanorum Latinitate donavit.

Florebat anno MCDLII.

## HENRICUS. 680.

HENRICUS, monachus Benedictinus, et prior Calcoensis, Graece Latineque doctissimus, diu in Galliis, Germaniis, Italiaque haesit, Politiano et Marsilio Ficino familiaris, ut illius Epistolae testantur. Scripsit, ut in Scotichronico habetur, et extant in bibliotheca Medicea,

De Beata Virgine versus Graecos lib. I. Florentiae publicavit, et Laurentio Medici inscripsit.

Palladium Rutilium de Re Rustica Scotice vertit lib. XIII.

Synopsin herbariam lib. I. editam Lugduni.

Excerpta e Columella et Varrone lib. I. Est MS. Bononiae in interiori bibliotheca Dominicanorum.

Floruit anno MCDXCIII.

## HUGO. 681.

HUGO, Michaelis Scoti auditor, mox Carmelitani ordinis illustre sidus, omnium suo seculo mathematicorum doctissimus, Airensis coenobium diu rexit, et scripsit

De Judiciis Nativitatum lib. I. MS. in Petaviana bibliotheca.

De Conjunctione Planetarum lib. I.

De Revolutione certa Stellarum lib. I.

De XII. Domibus Coelestibus lib. I.

Pro Astrologia lib. I. prodiit.

Apologiam pro se lib. I.

Floruit anno MCCCXLI. Ultimum opus MS. in Petaviana, hac epigraphe: "Hugonis Scoti Apologia."

## GULIELMUS HAIUS. 682.

GULIELMUS Haius Gaureanus, eruditissimus suo tempore Parisiis professor, edidit

In Statium Papinium Notas lib. I.

In Quintiliani Declamationes, Observationes magni ingenii, et  
 utiles, lib. I.

Docere incepit anno MDLXII. Acta nationis Germanicae pag.  
 XCIX.

## GULIELMUS HAIUS. 683.

GULIELMUS Haius, alter a laudato, in Galliis bonas artes didicit, et,  
 ut puto, in Aremoricis docuit. Ejus in manus meas venit,

De longaeva et stabili Permanentia Regni Scotiae, Oratio  
 historica, lib. I.

Obiit Edimburgi, ut audio, magno suorum desiderio, anno MDXCI.  
 erat enim, ut nobili loco, ita ad Musas nato ingenio.

## EDMUNDUS HAIUS. 684.

EDMUNDUS Haius, nobili loco ortus, Societati Jesu nomen dedit, in  
 qua unicum sibi perpetuo scopum posuit, patriae suae prodesse, et  
 ecclesiam promovere; ideo multas in Scotiam peregrinationes obivit,  
 et parum abfuit quin Genevam, copiis admotis interceptam, haereticis  
 eriperet. Vir omni vita laudabilis, et sinceræ fidei, scripsit

Theologica quaedam lib. I. quae vide apud Ribadineiram  
 Catalog. Soc. Jesu pag. XLIX.

Obiit in Allobrogibus anno MDCVIII.

## JOANNES HAIUS. 684.

JOANNES Haius, ex familia Dalgattia nobilissima, ejusdem societatis  
 socius, magnam in omni literaturæ genere ingenii laudem consecutus,  
 edidit multa; ego vidi tantum

Theologica quaedam (apud eundem Ribadineiram Catalogi  
 pag. CXXI.) lib. I.

Librum P. Diechi de Torres de Rebus Peruænis Latinum  
 fecit lib. I.

Literas de Japonensis Imperii mirabili Mutatione Latinita-



te donavit lib. I.

Disputationes in Theologia (Bibliothec. Classic. auctor pag. CCCXXXVII.) lib. I.

In Bibliothecam Sixti Senensis Observationes lib. I. Bibliothecae Classicae pag. CCCIV.

Obiit anno MDXCVIII.

#### ALEXANDER HUMAEUS. 685.

ALEXANDER Humaeus, vir literatissimus, Glascuensis scholae moderator, edidit multa; ego tantum vidi

Bellum Grammaticale lib. I.

Grammaticam Latinam lib. I.

Vivit adhuc in Scotia.

#### DAVID HUMAEUS. 686.

DAVID Humaeus, nato ad Musas ingenio, cultissimus poeta, scripsit multa, sed ad me venerunt pauca; in his sunt

Poemata varia lib. I.

Laudes Patriae, versu, lib. I.

Adventus Regis in Angliam, versu, lib. I.

Contra Episcopos, vernacule, lib. I.

Apologia Ministrorum Vasconum, vernacule, lib. I.

Vivit adhuc in Scotia.

#### GULIELMUS HEGATUS. 687.

GULIELMUS Hegatus Glascuensis, omnis politioris literaturae omniumque humaniorum scientiarum peritissimus, varia ac rara lectione, fecunda memoria, summo iudicio, et nomen celebre acquisivit ac gloriosius meruit, nihil enim arduum, quod ille solertia non assequatur; ad haec mores suavissimi, gravitate festiva conditi. Pictavii primum bonas artes docere orsus, Lutetiam venit, ac in Lexoveo clarum nomen adeptus, Divionem in Burgundiam vocatus docuit, dum Jesuitae patres scholam eam sibi vindi-

carunt; inde iterum Parisios redux profiteri coepit; denique Burdegalam accitus, sedem Musis ac Mercurio in Aquitanico Lyceo fixit. Multa et elaboravit et emisit: ego, a suavissimo ipsius convictu a viginti pene annis divulsus, pauca vidi; in his

Poemata Graeca lib. I. In ea ei lingua nihil ignotum, et memoriter pene poetas omnes recitare solet, ac eorum scholiastas tam frequenter excutere, ut Athenis natus videri possit.

Epigrammata Latina acutissima lib. I.

Orationes eloquentissimas lib. I.

Epithalamium Henrici IV. et Mariae Mediceae, Franciae Regum, lib. I.

In Ausonium Commentarios uberes ac criticos, post Vinetum et Scaligerum, lib. I. dicitur emittere: utinam!

Vivit adhuc cum suavissimo suo Balforeo, et communes Musas colit.

#### JACOBUS BONAVENTURA HEPBURNUS. 688.

JACOBUS Hepburnus, nobili loco natus, dum in Orientem linguarum gratia contenderet, Avenione D. Francisci de Paula ordini nomen dedit, ac Bonaventura vocari voluit. Multa pietatem et eruditionem ostendentia conscripsit, quaedam emisit, nonnulla continet in scriniis: ego vidi

Dictionarium Hebraicum lib. I.

Dictionarium Chaldaicum lib. I.

Grammaticam Arabicam lib. I.

Commentarios in quosdam Psalmos lib. I.

R. Salomonis F. qui dicitur Keter Malcuth, id est, Diadema Regni, in Latinum vertit, lib. I.

R. Abraham Aben Ezra librum de Mysticis Numeris vertit in Latinum lib. I.

Ejusdem librum alium de septemplici modo interpretandi sacram Scripturam vertit lib. I.

Canticum Josephi Hysopaei, quod dicitur Kaaras Keseph, seu Τρύβλιον ἀργυροῦν, vel Scutella argentea, vertit, lib. I.

Sipher Kacabbola R. Abraham Levitae F. David vertit ; quem librum vertere volebat, et Latina civitate donare, Gilbertus Genebrardus, sed mors praevenit.

Epitomen Chronicorum Romanorum	lib. I.
Gesta Regum Israelis, incerto auctore,	lib. I.
Varias Rabbinorum Epistolas	lib. I.
Commentatores Rabbi Quinhi in Psalterium	lib. I.
Synonyma, quae in Bibliis habentur,	lib. I.
Simmus Tehillim, id est, Psalmorum Ministerium,	lib. I.

Haec ille secularis Latina donaverat civitate, et monastico habitu sumpto plura transtulit.

Sepher Jezira, Artis Cabalisticae Principia,	lib. I.
Historiam Judith	lib. I.
R. Salomonis F. Atar, et R. Isaac Leonis,	lib. I.
Commentarios in Decalogum	lib. I.
Libellum de Obitu Aaronis et Moysis	lib. I.
Chronica Moysis Legislatoris	lib. I.
Librum Tobiae	lib. I.
Librum Eldad de Tribu Dan	lib. I.
Parabolas Sandabar, in quo Gesta VII. Sapientum,	lib. I.
Proverbia I. Discipulorum	lib. I.
Librum Henoch	lib. I.
Saare Hiazzedele, id est, Portas Justitiae,	lib. I.
Officium B. Virginis, et Hymnos Hebraicos fecit,	lib. I.
Schema LXXII. Idiomatum ; quia Beata Virgo dicitur tot annis in vivis fuisse, et ille numerus discipulorum est Christi, et S. R. E. cardinalium, et tot mysteria in nomine Dei.	

Induit monachum Avenione anno MLXIX. vixit Romae in coenobio Gallico SS. Trinitatis ad Montem annis v. privatus, vi. sequentibus annis libris Orientalium linguarum in Vaticana bibliotheca praepositus. Obiit Venetiis hoc ipso anno MDCXX. quo haec scribo, ineunte Octobre : eo se contulerat, ut opera quaedam Syriaca, Hebraica, et Chaldaica in posteritatis ornamentum et compendium vulgaret. Meminit cum honore ejus Comes Vincentius Blancus, patri- cius Venetus, in opere de Literis in Manubrio Cultelli S. Petri.

## GUALTERUS HIRDAEUS. 689.

GUALTERUS Hirdaeus, ad Musas natus, summa ingenii gloria rhetoricam docuit Tolosae in Squillano; tum peregrinatione Romam suscepta, Cenomanis philosophiam est professus. Ejus sunt:

Excerpta Politica ex Dione	lib. I.
Notae in Aristaenetum	lib. I.
Compendium Philosophiae	lib. I.
Orationes Graecae ac Latinae	lib. I.
Poemata varia	lib. I.

Vivit adhuc Andegavi, et bona fruge, secundaque fama, ut audio, philosophiam docet.

## JOANNES HAKERSTONUS. 690.

JOANNES Hakerstonus utramque Palladem insigniter coluit, et miles fortis, et doctor eruditus, turmas in Suevia, Gallia, ac Belgio, varia sorte, magna semper fortunae indulgentia duxit: Comitibus Boduelli partes contra Metellanum cancellarium secutus, bonis omnibus exutus ac decreto publico proscriptus, ad arma rursus rediit, militaremque ferociam lenitate studii condivit ac temperavit. Scripsit

Poemata cultissima	lib. I.
Epigrammata acutissima	lib. III.
Arma an literis praestent,	lib. I.
Bellum domi an foris gerendum,	lib. I.
Judicium de Poetis Latinis	lib. I.

Tantus vir nuper dicitur Londini inedia periisse, fato haud dubie illa indole indigno. Sub annum MDCXV. obviam mihi factus paulo ante obitum ad aedes regias Westmonasterii, quae Cardinalis Vollsei fuerunt, cumque nomine proprio appellessem, tantum in vestitu squalorem, et in vultu maciem misertus, ille ad me: "Quid facis," inquit, "hic, coelo soloque Musis et virtuti aversis? *Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.*" Inter haec et similia pervenimus ad Janum geminum; mercatorum ea statio, ibi quidem Cam-

bium dicta, a Gallis Bursa: instante meridie ad prandium ei condixi, sed ille laeto et renitenti vultu, "Conditionem," inquit, "accipere non possum, teneor enim sacramento nullius unquam nisi meas mensas aditurum; sed si non erit tibi ingratum, hospitium meum in vicinia est, quo, si placet, concedamus." E vestigio illum secutus, venimus in gurgustium illiberale, et ipse mihi sellam humilem et stramineam porrexit, et, ut sederem, invitavit; ipse sibi cadurci titubantis ac male firmi spondam assumpsit, tum ad me stupore defixum conversus, "Haec mea sunt," inquit, "et est ista sedes senectuti et hisce canis reservata:" explicavit deinde mantile rusticum, ac ex parietina arcula protulit panem secundum et cepe: "Haec sunt," ait, "fercula quibus te, et carum et veterem amicum, accipio; non quia tu alia non merearis, sed ego meliora non habeo. His ego multis jam annis vitae reliquias protraho, et sunt sane dulciora quam magnatum mensae parasitica arte conciliatae." Post haec surrexit, et aquam fictili exemptam, poculo fagino propinavit: non refero reliqua, quae ille mira vultus gravitate protulit, et ego intentus non sine lacrymis excepi. Qui legit haec, clarissimi viri memoriam mecum honorabit, et quantum iniquitati temporum in virtutem liceat, secum perpendet, et mirari desinet Socratis parsimoniam, aut Epicuri abstinentiam. Pecunias aliquot mutui nomine accipere recusavit, quod se solvendo nunquam futurum prae fortunae acerbitate intelligeret; dono tamen aliquas sibi concedi passus est.

#### HUMFREDUS. 691.

HUMFREDUS, monachus Italus, in Scotia ad S. Andreae reliquias devenerandas venit, et substitit, in prioratu ejusdem sancti curam adeptus, cellariusque factus. Scripsit,

Ad Henricum Wardlaw, Historiam Pignorum sanctissimi An-  
dreae lib. I.

Vixit anno MCDXXXV.

#### HONORIUS. 692.

"HONORIUS Pisanus, archidiaconus Laudoniae," ait Vita S. Filani,  
"S. conversationis, ecclesiam Dei scriptis suis adjuvit, haereses op-

pugnavit;" sed ego nihil ipsius vidi.

Vivebat anno MCCC. ut epistola Mauriti abbatis probat.

**RICRARDUS HUNGFORDUS. 693.**

**RICRARDUS** Hungfordus Anglus, socius S. Joannis de Pottoc, episcopi S. Andreae designati, cum eo in Scotiam venit, cum eo Scotia expulsus, cum eo Romae multos annos, ad expeditionem causae, haesit; demum cum idem cum rege in gratiam rediisset, ecclesiae Dunkeldensi admotus, hunc sibi vicarium constituit: qui scripsit

Vitam Joannis de Pottoc lib. I. Extat ea rudi stylo exarata.

Vivebat anno MCXXXIX.

**GULIELMUS HACAT. 694.**

**GULIELMUS** Hecat, seu Hacket, operam strenuam Senensibus navavit, inter duces sui aevi militari industria comparandus, ut ex actis publicis praejudicatis summae vir diligentiae Celsus Cittadinus ostendit: uxorem duxerat ex nobili Petrussiorum familia, qua extincta, et bello haudquaquam ad vota finito, moerore confectus obiit. Ejus ego vidi MSS.

Relationes de Bello Senensi lib. I.

Vixit anno MDLX.

**JACOBUS HACKET. 695.**

**JACOBUS** Hacket, ludimagister Newarki ad Trentam, scripsit pro patria,

Contra Thomam Nevilium lib. I.

Videtur vixisse anno MCDL.

**JOANNES HUTTENUS. 696.**

**JOANNES** Huttenus presbyter, curio Divae Virginis ad nives Aberdoniae ante Hectorem Boethium, scripsit, ut ipse testis,

De Murthlacensis Sedis Translatione lib. I.  
 Vitam S. Palladii Apostoli lib. I.  
 Claruit anno MCDLXII.

## EDUARDUS HUENSIS. 696.

EDUARDUS Huensis, prior Benedictinus Scotus, concilio Constantiensi cum Thoma Dundranensi interfuit, et scripsit  
 De Concilii Bono lib. I.  
 Obiit anno MCDXLI. Brunus.

## NICOLAUS HARTUS. 697.

NICOLAUS Hartus, protonotarius apostolicus, natione Scotus, rei ecclesiasticae indefessus scrutator, laudatur a Marcello Coreyrensi. Scripsit  
 Caeremoniale lib. I.  
 Annus incertus.

## DAVID HERRIS. 698.

DAVID Herris, nobili loco oriundus, toparchae gentis adfuit cum Eboraci piissimae ac Christianissimae Reginae Mariae causa contumeliose, ac summa in Deum, in homines injuria, examinata. Scripsit ad Joannem Leslaeum episcopum, ego opus vidi,  
 De bona Reginae Causa lib. I.  
 Regibus in Reges jus non esse, lib. I. Tacite Buchananus perditus mordet.  
 Floruit anno MDLXX. Obiit in Germaniis.

## HIMBANUS. 699.

HIMBANUS monachus, curio S. Makkessagi in Levinia, loco qui dicitur Ecclesia Portus prope Menteth comitatum, deinde ad paroeciam S. Ernani translatus in Argadia, qui locus vulgo a sancti incolatu Killern audit. Scripsit, apud Ferrerium,





# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER IX.

### S. INNOCENTIUS. 703.

S. INNOCENTIUS I. pontifex, Albanus : Anastasius, Platina, Sabellius, alii omnes paene Itali hanc nobis invident gloriam : at nostrates annales, et in his Joannes Leslaeus lib. iv. *Histor. Scot.* et Gilbertus Genebrardus Gallus in *Chronologia*, Scotum faciunt ; certe enim eo seculo Albionem, seu Albaniam, magna pars scriptorum Scotiam vocabat, praesertim nostratium, usque adeo, ut in praeliis gentili voce exclamarent, Albani ! Albani ! Roger. Hovedenus *Annal.* part. i. pag. cclxxvii. Richard. Vitus Anglus lib. ii. *Histor. Anglic.* pag. clxii. “ Sed a Scotia, sub nomine Albania, Pontacus vocat Innocentium primum, Pontificem Maximum, Albanum sive Scotum ;” et Arnaldus idem ille Pontacus Burdegalensis aliis rationibus Scotiae eum asserit. Quid pontificatu gesserit, sigillatim Caesar Baronius in *immortali Ecclesiasticae Historiae opere* exquirat ; quem ego non exscribo. Arcadium, et uxorem Eudoxiam excommunicavit, Nicephor. Callist. lib. xiii. *Histor. Ecclesiast.* cap. xxxiv. eam etiam, quia contumacem, de gradu imperii lata sententia, nisi ab exilio revocaretur Joannes Chrysostomus, dejecit, auctore Georgio patriarcha Alexandrino, Godofredo Tilmano interprete.

“ Martyrem facit Martyrologium Romanum die xxviii. Julii,” inquit Franc. Maurolycus, “ ob constantiam,” eumque secutus Joannes Molanus in *Additionibus ad Usuardum* ; at nihil tale Romanum Martyrologium, cujus haec sunt : “ Romae passio S. Victoris, papae et martyris ; item Romae S. Innocentii, papae et confessoris.” Hujus aetate cruenta bella in Europa gesta, nam in Galliis Valens combustus, et in Alpibus Argobastus Eugeniusque a Theodosio Hispano superati necatique, et Ravenna foede expilata, cui excidio divinitus Innocen-

tius noster subtractus, et Roma ab Alarico expugnata direptaque, magno Christiani nominis ludibrio. Plura apud scriptores veteres, qui omnes affatim laudant, excepto uno Sozimo ethnico, qui in ipsum, et quoscunque alios Christi nomen professos, cum vesania debacchatur. Adeundi D. Hieronymus Epist. ad Demetriadem, Paulus Orosius lib. VII. cap. XXXIX. Scripsit multa; in his sunt

De Judaeis et Monachis Leges, seu Regulae. Franciscus Joannettus cap. XL. Et mentio cap. Canones, distinct. I. in Decreto Gratiani.

Contra Pelagium et Coelestinum, Haereticos et Cataphrygas, Decreta, lib. I.

Epistolae, in quibus sanctitatem ipsius miratur Basilius (Petr. Galesinius in Martyrologio die dicto); extantque in bibliotheca Vaticana ad eundem D. Basili Magni Epistolae MSS.

De omni Ecclesia Constitutum lib. I. Notkerus Balbulus et Rabanus in Martyrologiis suis die dicta.

Decretum Occidentalium et Orientalium Ecclesiarum contra Pelagianos lib. I. Idem, ut puto, est opus, licet vario nomine. Gennad. lib. de Viris illustr. cap. XLIII. et citat illud decretum Divus Augustinus lib. de Gratia cap. XXX. XXXI. et alii.

Creatus pontifex post S. Anastasium I. quod fuit anno salutis CDII. Honorii Augusti VIII. obiit vero anno CDXVII. Honorii imperatoris XXIII. Alii perperam.

### S. JOANNES. 704.

S. JOANNES, cognomento Magister, sive Scotus, vir fuit magna fortunae varietate jactatus, et festivissimo ingenio, maximeque libero, aut, ut loquitur Westmonasteriensis, "perspicacis ingenii, et facundiae singularis, qui, patria relicta, Carolum Calvum adiit; magna ab eo dignatione susceptus, individuus comes fuerat et mensae et cubiculi." Marini papae ad eundem Carolum epistola multae eum scientiae nominat. Gisibertus, sive quisquis est auctor libri qui inscribitur Altercatio Synagogae et Ecclesiae, eum coetaneum mul-

tis extulit laudibus. Richardus a S. Victore lib. I. Exception. cap. IV. "theologiae Christianae inventorem" celebrat; hoc est, ut puto, primus Graecas Latinis literas theologicis enodandis conjunxit, primusque mysteria Arabibus, Graecis, ac Latinis communia fecit fidei. Ipse ex Francia in Angliam transiit ad Aelfredum regem, et Melduni pueros erudiens, ab iisdem graphiis, seu S. Cassianus alter, gravi et acerbo tormento interiit. Anton. Sabellic. lib. I. Ennead. IX. pag. DCXXV. "Scotus, vir divinarum literarum sapientissimus, suorum assectatorum fraude periit stylo confossus, nec causa tam impiae caedis traditur." Quidam, quod corruptos juvenum mores argueret. Hect. Boeth. lib. X. Histor. Scot. pag. CCXIV. Alii, quod de Eucharistia eos doceret, posse scilicet sub una tantum specie sumi. Gisbertus loco laudato. Errant non leviter Palmerius, Gesnerus, Simlerus, et Petrus Crinitus lib. XXIV. Disciplin. honest. cap. XI. qui hunc Joannem cum doctore subtili, aut Joanne Airigena, aut etiam S. Joanne, qui sequitur, confundunt. Hic certe infinitis miraculis clarus, ex humili sepultura in basilicam majorem translatus, sanctorum albo ascriptus est, licet a Martyrologio Romano absit. Arae sepulcri hos versus sanctitatis indices inscripserunt, auctore Gulielmo Malmesburiensi lib. II. de Gest. Anglor. cap. IV.

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Joannes,  
 Qui ditatus erat jam vivens tempore miro.  
 Martyrio tandem Christi conscendere regnum,  
 Quo mernit, sancti regnant per secula cuncti.

Aliter idem epitaphium transcribere alii :

Clauditur hoc tumulo sacer ille sophista Joannes,  
 Qui dotatus erat, dum vixit, dogmate miro.  
 Martyrio tandem Christi conscendere regnum,  
 Quo meruit, vivet cum sanctis secula cuncta.

De gente ejus Rogerus de Hoveden part. I. pag. CCXL.

Sunt qui Athenis studuisse contendunt, et non Caroli Calvi gratia floruisse, sed Ludovici imperatoris, a quo maximis muneribus invitatus, legatus ad Alarudum regem missus, summa ingenii claritudine vixerit; quod si verum est, duos eo nomine celebres, imo et tres non longa aetate dissitos, fateri oportet; quod et forte verum est. Ejus sunt: Παρὶ φυσικῶν Μαρτίμαρος, De Rerum naturalium

Divisione lib. I. quod opus caute legendum, nam ex mira ingenii subtilitate, rerumque ingenti varietate, nonnulli, ansam reprehendendi arripientes, haeretico affinem ausi sunt criminari. Westmonast.

Divi Dionysii librum de divinis Nominibus Latina civitate donavit lib. I. quem cum aliis operibus ejusdem in Latinum transtulit Joachimus Perionius Benedictinus anno MDLVI. cujus tamen versio longe isti est inferior.

Ejusdem libros de Hierarchia Coelesti in Latinum transtulit lib. I. Marini papae epistola, et Aelfredus rex in scriptis suis non semel. Hos libros "Ludovico imperatori legati Michaelis imperatoris inter caetera munera obtulerunt," ait Sigebert. Gemblacensis Chron. ad annum DCCCXXIV. Id opus non solus Joannes noster traduxerat, sed et Anastasius Bibliothecarius circa idem paene tempus. Bapt. Platina in Joanne IX.

"Quaedam nostrae religionis acutissime disputata composuit lib. I." ait Platina ibidem.

Excerpta, sive Defloratio Macrobianae, lib. I. nam in fine libri de Differentia et Societate Graeci Latinique Verbi haec habentur: "Explicita defloratio de libro Ambrosii Macrobiani Theodosii, quam Joannes carpserat ad discendas Graecorum verborum regulas." Isacius Pontanus, Joannes Opsopoeus, et Petrus Pithoeus de hoc nostro Joanne intelligendum putant.

Aristotelis Moralia de Secretis Secretorum, sive de recto Principum Regimine, e Graeco in Chaldaicam, Arabicam, et Latinam convertit lib. I. Naclero auctore apud Gilbertum Genebrardum Chronologiae pag. DXLIV.

Urbanitate mira fuisse perhibetur: duo ejus apophthegmata id testabuntur, unum mordax sane, et nimia libertate salsum; regi enim inter epulas petenti, "quid inter *sotum* et Scotum interesse putaret," respondit, "Mensam;" notam infamiae a se in regem retorquens. Alterum, tres illi pisces una in paropside oblatis sunt, ut partiretur cum duobus aliis clericis, mensa etiam regis exceptis; piscium autem duo grandes erant, hos sibi asservans pusillae staturae homun-

cioni, tertium minimum duobus ingentis staturae clericis obtulit, festive dicitans, " Utrobique duos magnos et unum parvum ea in divisione, servata recta proportione, reperiri."

Vivebat anno DCCC. Gesner. in Bibliotheca, vel multo serius anno DCCCLXXXIII. Westmonasteriensis eo anno in Angliam venisse scribit. Vel anno CMIV. sub Gregorio Scotiae rege, vel sane anno DCCLXXIII. Verner. Rolevinchus in Fasciculo Temporum eo anno: " Joannes Scotus doctissimus in Franciam venit, et rogatu Ludovici Hierarchiam Dionysii de Graeco transtulit in Latinum, et post a discipulis confossus stylis, moritur, et nota, quod saepius libri Dionysii translati sunt." Sub Nicolao I. pontifice illum ponit. Plurium certe Scotorum eo nomine insignium multitudo magnam in aetate hujus discrepantiam induxerunt; videantur supra Joannes Airigena, Joannes Duns, et infra Joannes Mailrosius, nam et hic et omnes illi, imo et qui proxime sequitur S. Joannes, apud scriptores vetustos indifferenter sumuntur pro eodem, cum tamen et vitae genere, et scriptis, totoque vitae cursu, atque adeo multis seculis aetate distinguuntur. Miror illustrissimum Robertum Bellarminum lib. de Scriptorib. Ecclesiast. " duos tantum Joannes Scotos claros, nec plures eo nomine," tradidisse. Et magis miror Bernardum Lutzenburgum, in Catalogo Haereticorum, ejus librum de Eucharistia in concilio Vercellensi damnatum scribere, ideoque et ipsum inter haereticos collocare; librum certe ejus damnatum scribit S. Lanfrancus lib. de Eucharistia contra Berengarium; mirum, inquam, cum causa martyrii a quibusdam assignetur doctrina sana de sacrosancta eucharistia, et ipse inter sanctos repositus, quam longissime ab haereseos opinione absit. Hect. Boeth. loco laudato, et alii.

#### S. JOANNES. 705.

S. JOANNES alius a descripto, studiis, aetate, ac vitae professione; fuit enim hic noster monachus sub regula D. Benedicti, educatus, ut fertur, in Anglia in monasterio Malmesburiensi, Joan. Trithemius lib. III. de Viris illustrib. Ordinis S. Benedicti cap. CCXII. ac postea episcopus Mykelenburgensis, seu Melrelburgensis, seu Magnopolensis, seu Suerinensis. Democh. lib. II. cap. xxxv. Matth.

Ferchius v. CL. ordinis Seraph. socius, in Vita Scoti cap. III. "S. Joannes Scotus monachus, episcopus Mykeleburgensis, seu Magnopolitanus." Arnold. Mirman. Theat. Convers. Gent. in Chron. Chronicor. "Mechelburgenses primum episcopum habuerunt S. Joannem Scotum martyrem:" ex Munstero id assertit Joannes Gualterius, vir diligentissimus et doctissimus. Male hunc cum superiori confundunt, et in his ipse etiam Hect. Boethius, cum alter hunc praecesserit multis annis, nec alter episcopi officio functus reperiatur. Uterque certe sanctorum albo ascriptus, licet sileant martyrologia: hic colitur IV. idus Novembris. Albert. Staden. Chron. ad annum MLXVI. Helmoldus Chron. Sclavor. lib. I. cap. XXIII. Krantz lib. IV. Metrop. cap. XLIII. An aliquid scripserit, nescio, et si scripserit, opera non extant.

Floruit sub Henrico IV. imperatore anno salut. MLX. Idem Trithemius; vel anno MLXVI. Arnold. Uvion lib. III. Ligni Vitae pag. CCCLXVI. Post eum LXXXIV. annis sedes vacavit.

### S. JONAS. 706.

S. JONAS monachus, D. Columbani discipulus, et in Gallica, Britannica, Suevica, Italicaque peregrinatione individuus comes ac socius. Bibliotheca Patrum Min. Joan. Gualterii Chron. Chronic. pag. DCDXCI. "Jonas monachus, et discipulus S. Columbani, natione Scotus, vir studiosus, eruditus, ac scientia clarus, et non minus eruditione quam sanctitate insignis," ex Trithemio ait Balaeus. Alius ab illo quem ecclesia veneratur die XXII. Septembris, Petrus in Catalogo lib. VIII. cap. CVI. item ab eo cujus memoriam recolit ecclesia XXIX. Martii; erat enim ille martyr, sub Sapore rege Persarum, cum Barachisio. Usuardi Martyrologium. Et tamen in sanctorum relatus numerum. Arnold. Uvion lib. II. cap. LXX. Hunc cum omnes Scotum faciant cum Joanne Leslaeo lib. IV. pag. CLVI. Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptorib. Ecclesiast. Anglum vel Hibernum facit, nulla, quod sciam, ductus ratione, nisi forte Anglorum Hibernorumque relatione, nimis patriae suae laudibus, etiam cum gentis nostrae praedicio, faventium. Sed ego dabo vindicias, et cives meos, fremat licet et frendat Invidia, repositam. Ejus sunt:

Vita S. Attalae Scoti lib. I. "Edita a Jona Scoto abbate," ait Laurentius Surius tom. II. die X. Martii. Eadem tom. III. Beda, et alii.

Vita S. Vulfranni Archiepiscopi Senonum, rogatu Praesulis Tarvennae Bani, et Abbatis Fontanellae, lib. I. apud Surium tom. II. die XX. Martii.

Vita S. Eustasii, Abbatis Luxoviensis, lib. I. Refert idem Surius tom. II. die XXIX. Martii, Beda tom. III. Joannes Molan. Additionibus ad Usuard. Martyrologium: "Eustasii vitam Jonas Scotus discipulus ejus scribit;" dubito an vere, nam Columbani, ut monui, discipulus fuit, et Eustasii condiscipulus verius quam discipulus.

Vita S. Bertulphi, Abbatis Bobiensis, lib. I. Recitat Surius lib. IV. die XIX. Augusti, Beda tom. III.

Vita S. Columbani, magistri sui, lib. I. ad Waldebertum et Bolenum, Abbates Bobii et Luxovii, extat apud Surium tom. VI. ubi ille cap. I. "Patris Columbani, qui nostris floruit temporibus, historiam texere aggredimur." Errant ergo, qui eum discipulorum Columbani discipulum vocaverunt.

Claruit anno DCXXX. quando obierit non reperi, et nescio an idem sit, qui, ut Baronius docet ad XXIII. Decembris Not. in Martyrolog. "Claudii Taurinensis monstra refutavit," et existimo non hunc nostrum, sed Aurelianensem eum fuisse: vide supra hoc opere in *Claudio*.

#### S. JUDOCUS. 707.

S. JUDOCUS, canonicus Lateranensis, ut Zacharias Vicentinus putat ex Joanne de Nigra Valle, bibliothecario apostolico, in Chronicis epilogo XIII. cap. XIX. regis Scotorum filius, de quo Hect. Boethius in praefatione ad lectorem praefixa Historiae Scoticae: "Plurima a me ommissa fateor, partim rerum ignorantia, partim indiligenti earum indagine, praesertim in familiis et viris illustribus, qui ex nostra gente fuere, nobisque ingentem attulere splendorem, quales Sedulius, Levinus, Judocus, Villebrodus, Romaldus, Martinus historicus, plerique alii, enumerandis." Cujus regis fuerit filius, hac-

tenus non deprehendi, et video Anglos eum sibi vindicasse; quin et Galli suum faciunt. Uvion lib. III. pag. DIII. Belforest. Annal. Francic. lib. I. cap. XXXV. XXXVI. Stephanus Lusignan. Corona IV. cap. VI. et faventiores illis, quam oportuit, scriptorum nonnulli recentiorum. In his Joannes Molanus Addition. ad Usuard. die XIII. Decemb. "In pago Pontino S. Judoci confessoris, filii regis Brittonum, et peregrini." Eadem Franciscus Maurolycus Martyrolog. eo die, qui addit, "et eremitaе." B. Marcellin. in Vita S. Suniberti cap. IV. anachoretam facit, "et ad convertendum incredulos in solitudine diu vixisse, et S. Winoti (voluit *Winoci*) fratrem fuisse," ait. Vide librum ultimum hujus operis, ubi Sanctum Winocum Scotum fuisse idoneis testibus est probatum: et si verum est, quod a S. Marcellino jam proxime supra laudato proditur, "SS. Winocum et Judocum fratres esse," qui unum Scotum fuisse probavit, et alterum ex eadem gente non inficiabitur ostendere. Simpliciter Martyrologium Romanum die jam dicto: "In pago Pontino S. Judoci confessoris." Vitam ejus plene describit Flarentius abbas a Surio relatus tom. VI. secundae editionis, qui quia ad manum non est, certiora afferre non possum. Multa etiam de hoc invenies apud Vincentium Bellocacensem lib. XXIV. Hist. cap. CLXV. CLXVI. Petrus in Catalogo lib. I. cap. LXV. Sed nec ii apud me, uti nec Joannis Leslai Scotica Historia, qui de Judoco, et plerisque aliis, multa cognitu necessaria. Tu eos adi, mi lector. Felici in Ephemeridib. Belforest. in Cosmographia, ubi de Armorica. Robert. Coenalis lib. II. de Re Gallica perioche VI. Wandelbertus Prumiensis.

——— Judoch pariter colerisque sacerdos,  
Egregie oceani cedunt cui saepe procellae.

Ita lego antea pessime mutatis literis:

Vidoch pariter colerisque.

Huic Rudolphus Agricola votiva carmina dicavit:

Regia progenies, veterum stirps clara Britonnum,  
Ecce nitet rutila Judocus luce per orbem,  
Ingens quale micat sidus.

Interjectis deinde aliquot:

Maxime confessor, tibi nos debere fatemur,  
Quodcunque hoc vitae est.



Scriptis De Anachoretica Vita lib. I.

De Contemptu Mundi lib. I. et alia enumerata a Balaeo.

Obiit anno DCLIII. Sigebert. Gemblacen. in Chronico ad eum annum: "Judochus, regis Britonum filius, spreto regno et mundo, peregrinus et eremita, in pago Pontino requievit in Christo." Eadem Joar. Trithem. lib. I. Compendii Annal. Francicorum pag. LV. in Actis Clodovaei Regis. Structum ei monasterium prope Hesdinum, quod nunc Dommartinense dictum, primum habuit abbatem S. Milonem, postea Morinorum episcopum anno MXX. Ferreolo Locrio auctore.

#### S. JOANNES. 708.

"S. Jo. Scotus, discipulus S. Galli abbatis, primum monachus in Scotia, deinde in monasterio Sangallensi, electus est episcopus Constantiae XI. et cum per aliquot annos in magna sanctitate praefuisset, migravit ad Dominum," ait Arnold. Uvion lib. II. Lig. Vitae cap. XXXIX. Id etiam scribunt Ant. Demochar. tom. II. de Sacrificio Miss. cap. XXXV. Francisc. Belforest. in Cosmographia, et alii plerique. Scripsit

In Psalterium Florilegia lib. I.

Creatus antistes anno DCL.

#### S. JOANNES. 709.

S. JOANNES, cognomento Scotus, sed gente Anglus, electus episcopus S. Andreae, grave dissidium exercuit cum Rege Wilhelmo, super quo multum curae sumpserunt PP. Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. ut ex eorum literis patet, et ex legatione Rollandi Dolensis episcopi electi, et Selvani abbatis Rhievallensis. Meminit multis Rogerus de Hoveden part. II. Annal. licet historici nostrates ad unum omnes sileant. Cum octo annis exulasset, a rege revocatus episcopatu Dunkeldensi donatus est, ut latius in historia illius ecclesiae aperio. Ejus plurima feruntur, sed paucorum apices ad me pervenerunt; in his

Epistolae ad Pontifices super controversia cum Rege lib. I.

De Jure Ecclesiastico lib. I.

Submissio Causae suae lib. I.

Appellatio ab Interdicto lib. I.

Disceptabatur causa ejus anno MCLXXXIII. Obiit in Neubottil Coe-

nobio, et miraculis claruit anno MCLXXXVIII.\* Scotichron. lib. VI. cap. XXXIX.

S. ISENGERUS. 710.

S. ISENGERUS, Verdensis episcopus VII. unus ex eorum Scotorum numero, quorum praeclaram in bello et pace fidem remuneratus est "Carolus Magnus, devictorum Saxonum honores et dignitates in eos conferendo," ut narrant historici Francici, et prae aliis Philippus Belforest. lib. I. Historiae Carolor. Hic laudabilis praesulis partes obivit, magnamque sibi ab integritate morum laudem meruit. Vide Albert. Crantz. lib. II. Metropol. cap. XXX. et Suffrid. Petr. lib. I. Origin. Saxon. cap. XV. Scripsit

Ad suam Ecclesiam lib. I.

Vixit anno DCCCXXX. Sanctorum albo ascriptum fuisse docet Arnold. Uvion lib. II. Lig. Vitae cap. LV. ex Crantzio lib. I. Metropol. cap. XXIX. quem vide: XXI. Martii colitur.

S. INANUS. 711.

S. INANUS confessor sanctissime vixit, celeberrimus legis Christianae doctor: post peregrinationes Romanam et Hierosolymitanam in Scotia ad Urvinum obdormivit, cujus loci patronus est, et ante furiosam haereticorum ecclesiarum demolitionem miraculorum gloria, maximo pii populi concursu, frequentabatur. Scripsit

Locorum Sacrorum Nomina lib. I. MS. in bibliotheca archiepiscopi Pisani Bonciani.

Homilias ex S. Scriptura lib. I.

Epistolas lib. I.

Floruit anno DCCCXXXIX. sub Kennetho I. rege. Colitur die XVIII. Augusti. Gilberti Bruni Collectanea.

B. INGENOCUS. 712.

B. INGENOCUS unus ex S. Winoci Scoti sociis peregrinationis et discipulis. Anonymus in Vita ejusdem sancti apud Surium tom.

VI. die VI. Novembris: "Habuit in consortium suscipiendae peregrinationis conjuratos in Christi sacramenta tyrones; Quadanocum videlicet, Ingenocum, et Madocum, genere quidem spectabiles, et vita probabiles." Nec plura de illo. Beatum vocat Henricus Costerius in Arbore Bertiniana, et Ferreolus Locrius Chron. Belg. pag. LXXX. Scripsit, ut nonnulli putant,

De Actis Winoci Magistri

lib. I.

Claruit anno DCXCVIII.

### JACOBUS. 713.

JACOBUS I. Roberti filius (qui et ipse Roberti I. ex Mariotta nepos, primus sceptrum in Stuartorum familiam intulit) dum in Galliam contenderet, a praedonibus, ut nonnulli volunt, aut ab Henrici IV. Anglorum regis ministris, quod verius est, captus, patri ingentem moerorem attulit, quo victus tertium post diem audito nuncio obiit. Erat is, cum caperetur a classe Anglicana, natus XII. annos. Polydor. Virgil. lib. XXI. Histor. Anglican. ad finem. Verba Hectoris Boethii ex lib. XVI. Histor. Scot. pag. CCCXL. apponam. "Placuit captivum observare, benevolentia tamen regis adhibitis paedagogis omni ex parte probissimis, doctissimisque; qui cum liberaliori disciplina institueretur, nec, ut in propriis fit aulis, per adulationem corrumperetur, in tantam morum evasit probitatem, atque omnium bonarum disciplinarum eruditionem, ut in una qualibet sola exquisite versatus videretur. Ense cum altero dimicare, et hasta ad unguem certare sic callebat, ut si luctantem vidisses, athletam dixisses: in choreis saltationibusque levissimus, promptissimus, maximeque habilis erat: musicam exacte tenebat, ac quicquid illi arti affine est; citharam pulsabat appositissime atque id genus utebatur instrumentis peritissime. Jam vero humaniores artes, grammaticam, oratoriam, poeticamque, ut tum temporis, eximie noverat: in lingua vernacula tam ornata faciebat carmina, ut poetam natum credidisses; Latine vero, ut tum mos erat, temporis injuria incondita quidem, attamen gravissimis referta sententiis conficiebat, ut facile appareret, si meliores adhibiti praeceptores fuissent, qualis evasurus tum fuisset. Physices autem arcana comperta cuncta habebat; theologiam ac jus sic, ut nulli

cederet. Ea omnia octodecim annis, quibus in Anglia captus erat, unica Henrici regis cura addidit, dumque ibi ageret, in summa Anglorum ob omnigenam illam eruditionem fuit admiratione. Quamobrem non in captivitatem forte fortuna incidisse videri debuit, sed Deo ducente in maximam, quae mortalibus in terra contingere posset, felicitatem." Octodecim eum in Anglicana custodia annos egisse Boethius vult, alii decem tantum, et in his est Polydorus Virgilius lib. XII. qui addit: "Tanta verae gloriae cupido Jacobum cepit, ut nihil posthac antiquius habuerit, quam bonas literas passim docendas per viros doctissimos pretio accitos curare." Eadem alii.

Persolutis c. mille marcis, ad suos remissus, tumultuantes se absente severe excepit, ac seditiones sedavit. Scripsit multa; in his

Leges aequissimas	lib. I. Joan. Leslaeus.
Super Uxore futura	lib. I. Balaesus.
Cantilenas Scoticas	lib. I.
Rhythmos Latinos	lib. I.
De Musica	lib. I. Boethius.

Captus est anno MCCCCVI. Redemptus ad suum regnum rediit, uxore secum ducta Clarentii ducis privigna, anno MCCCCXXIV. Occisus Perthi a conjuratis indignissime, anno MCCCCXXXVI. sedente in Petri cathedra Eugenio IV. imperante Alberto, Francorum rege Carolo VII. Et haud temere ullius principis mors tam severe perduelles vindicavit. Sepultus ad Carthusianos in suburbano Perthano, quod ipse aedificaverat.

#### JACOBUS. 714.

JACOBUS II. superioris F. centesimus secundus a Fergusio regnum iniit, quod supplicio de seditiosis sumpto pacatum reddidit, et scripsit

Edictum pacificatorium	lib. I.
------------------------	---------

Bombardae dissilientis ictu in Roxburgi obsidione interiit XXIV. regni sui anno, Servatoris vero MCCCCLX.

#### JACOBUS. 715.

JACOBUS IV. Jacobo III. patri ab optimatibus Sterlingi occiso successit: diu felicissima administratione regnum suum administra-

vit, sed tum deinde in Francorum gratiam, qui graviter ab Anglis infestabantur, exercitu conscripto Angliam ingressus, collatis signis ad Floddum vicum, dum incautius in hostem contemptu periculi fertur, non destinato ictu perimitur. Scripsit pleraque, ut eo aevo principes literas amabant afflictim, sed extat tantum, quod sciam,

In Apocalypsin  
pag. CXI.

lib. I. Bibliotheca Classica

Regnavit annis xxv. Mors incidit in annum MDXIII.

### JACOBUS. 716.

JACOBUS V. patri in acie caeso successor renunciatus, laudabili principatu gesto Faklandiae moritur : cujus epitaphium hoc traditur :

Si rex, si juvenis miserandum funus obivi,  
Quid doleo? minime, quippe Jacobus eram.  
Haec pater, haec atavi subierunt fata Jacobi,  
Tam dira infelix omina nomen habet.  
Ut minus infelix hoc tantum exulto Jacobus,  
Haeres nullus erat tum mihi, cum caderem.

Erat illi amoenissimum ingenium, quod ab eo poemata relicta testantur ; quorum ego tantum vidi

De Choreis rusticis Fakirkensibus, epos vernacule, lib. I.  
quo nihil ingeniosius aut Graeci aut Latini ostentare possunt. Obiit anno MDXLII.

### JACOBUS. 717.

JACOBUS VI. Jacobi V. ex Maria Franciae dotaria, Scotiae regina, nepos, genitus Henrico Stuarlo Darlio, Matthaei Lenoxiae comitis F. In cunis coronatus, cessione per nefas et vim a matre, tum sub custodia detenta, per factiosos extorta, hic florentissima illa regna tam multis seculis, tam multo utrinque fuso sanguine concurrentia, invincibili pacis studio conjunxit, Britanniaeque titulum Magnae, depositis Scotiae et Angliae appellationibus, nummo percusso cum hoc elogio, FACIAM EOS IN GENTEM UNAM, assumpsit. Omnia opera in unum corpus collecta et digesta Latinitate donavit CL. V. Thomas Reidus Aberdonensis, pueritiae meae scholasticae collega,

quae quia nondum vidi, te eo, lector, remitto.

Natus Edimburgi die XIX. Junii, post horam IX. aequinoctialem, anno salutis MDLXVI. Angliam jure hereditario ingressus anno MDCII. obiit Londini anno MDCXXV. die VI. Aprilis.

JOSINA. 718.

JOSINA, rex Scotorum nonus, Therei frater, Reutheris regis VI. F. justus et pius princeps, foedus cum Pictis et Britonibus pepigit, Berigonii rex inauguratus, ibidem excessit. Scripsit vero, ut accepi, De Virtutibus Herbarum lib. I. Paschalis Gallus Villofanensis in Bibliotheca Medica, et alii meminere.

Claruit anno mundi III.MDCCCXXVI. ante natum humani generis assertorem anno CXXXVII. Annales omnes nostrates concordantes anno regni sui XXIV. a fundato Scotorum in Albione regno anno CXCI. [diem obiisse supremum tradunt]. Finnano filio regnum reliquit.

EUTYCHIUS IRLANDUS. 719.

EUTYCHIUS Irlandus, Joannis ex fratre nepos, in municipali Pictorum curia senator, scripsit

In leges libr. plures: cujus eruditionem commendat Scaevola Sammarthanus lib. I. Epig. ubi eum et Adamum Blacvodaem Consiliarios Regios vocat.

Irlandum nostri, Blacvodaemque, senatus  
 Rara duo atque suis lumina digna locis,  
 Hunc Scotum, Scotoque illum de patre creatum,  
 Jus sibi dicentes Pictonis ora colit.  
 Unde fit, hoc geminum sub eodem tempore nobis  
 Mittat ut Arctoo Scotus ab axe decus?  
 Num quod barbaries nobis hoc horrida bellum  
 Inferat, et medio jactitet arma foro?  
 Has sibi suppetias a gente accersit amica,  
 Ne sibi cum defit Gallia, victa cadat.

Obiit, ut puto, anno MDCI.

## GULIELMUS JARDANUS. 720.

GULIELMUS Jardanus, in Merchia, vicino Angliae comitatu, in Scotia natus, in Scotia educatus, D. Dominico se mancipans, missus Oxoniam, ut institutio academiae illius praeferebat ex decreto concilii Viennensis sub Clemente V. ut saepe dixi. Ibi Jardanus, incredibili studio theologiam capessens, omnes sui seculi facile post se reliquit, et doctorali apice insignitus ad scribendum animum compulit, et graves suscepit controversias cum viris doctissimis, in quibus Utredus Boltus Benedictinus, et Joannes Marchilleus Franciscanus, ut auctor est Adamus Cisterciensis in Chronico. Plerique, vicinia locorum decepti, et tacentibus scriptoribus nostratibus, illum Anglum dixerunt, cum singularem amicitiam cum Mauritio, Dumblanensi episcopo, exercuerit, qui juvenilia ipsius studia liberalitate sua promovit, ut Georgius Neutonus archidiaconus scribit. Hunc catalogum operum ipsius inveni :

Commentarios in Epistolam ad Romanos	lib. I.
De libera Electione ante Mortem	lib. I.
De clara Dei Visione	lib. I.
Super Sententias	lib. IV.
Determinationes varias	lib. I.
Contra Studium Monachorum	lib. I.
Quaestiones de Conceptione B. Virginis	lib. I.
Sermones curiosos	lib. I.
Contra Positiones Wicleffi	lib. I.
Pro Fratribus Mendicantibus, contra Utredum, Benedictinum Monachum,	lib. I.

Claruit anno MCCCII. pervenit usque ad annum MCCCCLXX.

## JONATHAS. 721.

JONATHAS, ut quibusdam videtur, Carmelitani ordinis socius, ordini illi se addixit in partibus transmarinis, ut in Collectaneis Gilberti Bruni habetur: locus professionis fuit Roma, unde in Scotiam

cum legato apostolico missus, exigendis pro bello sacro pecuniis ab eodem legato praefectus, tam timide et prudenter se gessit, ut neque non satisfecerit officio suo, et regi totique clero adeo placuerit, ut dignissimus visus sit, qui Dumblanensem ecclesiam reget. Scripsit

De Belli sacri Subsidiis lib. I. cujus fragmenta quaedam habeo, prudentiam et singularem eruditionem testantia.

Monita Papae lib. I.

Obiit anno MCCIX. Georgius Neutonus lib. de Successione Episcoporum Dumblanensium.

#### ALEXANDER IRWIN. 722.

ALEXANDER Irwin, presbyter suo seculo doctissimus, multum diuque peregrinatus, in Gymnasio Romano magna nominis claritate theologiam professus, scripsit

In Psalterium, et Versionem D. Hieronymi, lib. I. Ea enim apud Scotos magna auctoritate Malmesburiensis lib. III. de Gestis Pontificum.

De Peregrinatione sua lib. I.

De Laudibus Italiae lib. I.

Vixit anno MCCCLXXVII.

#### GEORGIUS INNES. 723.

GEORGIUS Innes, clarissimo sanguine ac innocentibus moribus, Aberdoniae monachum induit, vixitque pie et sobrie sub regula ss. Trinitatis pro Redemptione Captivorum, ordinis sui per Scotiam et Hiberniam provincialis. Scripsit

Planctum super Terra Sancta lib. I.

Descriptionem Hierusalem deformatae lib. I.

De Doloribus Mariae Virginis lib. I.

De Ordinis sui Fundatione lib. I.

Vixit anno MCDXIV. Obiit extra patriam.



## JOANNES JOHNSTOUN. 724.

JOANNES Johnstoun, honestis parentibus Edimburgi natus, patria egressus postquam literas Graecas et Latinas didicisset, Societati Jesu nomen dedit, et Duaci philosophiam professus, Viennam Austriae ire jussus, ac juventuti serenissimorum archiducum praepositus, summa gratia a morum lenitate, et aestimatione a literatura apud principes illos Ferdinandum, nunc imperatorem, et Leopoldum floruit. Et cum instante Jacobo Gordonio, symmysta suo, a patre generali in Scotiam destinaretur, haeretici, honoris obtentu, ut principis sui educatori, ad epulas condixerunt, et ne S. R. E. apud suos prodesset, venenata potione eum sustulerunt, magno principum dolore, nec minori indignatione. Scripsit .

In Aristotelem libros plures.

De Anactotrophia lib. I.

Exstinctus est sub annum, ut puto, MDC.

## S. JACOBUS. 725.

S. JACOBUS, patriarcha Antiochenus, martyr, illustre Scotiae sidus : hic negotia ecclesiae suae Romae procurabat, cum Ursula eo appulit ; itaque divino monitus instinctu, virgineae se socians turmae, in Ubiis caesus, ad Christum migravit. Petrus lib. IX. cap. LXXXVII. An aliquid scripserit, incertum, et non liquet.

Passus anno CDLIV. XXI. Octobris. Sedit Antiochiae annis septem.

## S. JOTHA. 725.

S. JOTHA Ursulana, eadem martyrum corona insignis ibidem loci, virginitatis servandae ardore incensa, coelum meruit, et ibidem culta. Acta Ecclesiae Coloniensis, et alii hagiologi.

## S. JULIA. 726.

S. JULIA ex ea familia Scotica quae, seculo sanctorum ferace, reginam Siciliae dabat, Scotiae episcopos, Deo XI. mille cum du-

ce Ursula martyres, e quarum numero haec fuit, Coloniae culta, quia ab Hunnis ibidem Christo immolata.

Passa anno CDLIV. XXI. Octobris.

INCERTUS AUCTOR  
NOTITIAE UTRIUSQUE IMPERII.

DIVISERAT Theodosius Hispanus imperium Romanum, ac partem orientalem, sive novam Romam, filio Arcadio, occidentis vires, sive veterem Romam, minori filio Honorio assignaverat. Et ne inter fratres aut successores regnandi ambitione, ut solet, dissidia nascerentur, placuit vires totius imperii describere, vocatusque hic liber "Notitia utriusque Imperii." Exemplum ab Augusto, qui, ut C. Taciti utar verbis lib. I. Annal. "libellum composuit, in quo opes publicae continebantur; quantum civium, sociorumque in armis; quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia, necessitates ac largitiones." Libellum istum Suetonius in Augusto cap. XXVIII. Rationarium vocat; L. Seneca epist. XXXIX. Summarium; Festus Rufus Breviarium; atque alii aliter. Ὑπομνήματα Commentarii Mithridatis Plutarch. Pompeio pag. DCXXXIX. Provinciarum Memoria vocatur a P. Victore, qui eam in bibliotheca Antoniana asservatam tradit in Reg. IX. urbis. Jurisconsulti, et in his Herennius Modestin. lib. IX. Regular. ut est in l. XXXII. ff. ex quib. Caus. Major. Commentarium Principis appellavere; de quo Franciscus Accursius, "Commentarium locus est, in quo captivi retinentur; unde Commentarienses dicuntur custodes illius loci, ut C. de Cust. Reor. l. ad Commentariensem; vel locus est, in quo princeps cum consiliariis suis ad mentem secreta revocat, a comminiscor, sceris." Sequitur deinde eodem loco glossa insignis: "Qui in commentarium principis delati sunt:" Accursius, "delati sunt a populo Romano." Hic est ille Accursius quem vulgus imperitorum laudat, admiratur, cujus ego nugas, ac bonarum omnium artium ignorantiam, magnas clarissimis J. C. veterum scriptis tenebras offudisse existimo; et quomodo meliores literas attingere potuit suo seculo in Italia demortuas? quinimo, et in ipsis legibus, quas vel contrarias vel confirmaturas adducit, saepe pueriliter ineptit. Haec ideo quod pessime me habeat,

eum leges nostras barbarie sua coinquinasse turpiter, et tamen sequaces ac laudatores invenisse. O tuam, Justiniane, vindicem manum! Est ergo eo loci Commentarius Principis nihil aliud quam Notitia Provinciarum. Joan. Maria Cataneus ad C. Plinii Junioris lib. III. epist. v. Scio esse etiam "Commentarium indiculum Militum," unde "Commentariensis gradum repetere" dicuntur leg. un. C. ad leg. Juliam de Ambitu. Accursius iterum, ut solet, Commentarienses qui praesunt carceri. At gradum hi vel promotionem in militia habent. Hesych. Illustrius in voce *κομνηταρχίσιος*, et Etymologici Magni auctor in voce eadem, Asconius Pedianus in III. Verrin. Sed hujus quisquillas ego libello singulari proferam, aut contemnam, singulas leges percurrens.

Notitiam hanc certum est scriptam sub Theodosio Juniore; nam "sub duce Aegypti meminit alae Theodosianae nuper constitutae," id est, "Theodosio Juniore imperante," sed et "limitis Saxonici in Britannia constituti," quod anno CD. factum, invadentibus tum eam insulae partem Saxonibus. Beda lib. I. Histor. Ecclesiast. Anglor. cap. XII. XIV. Neque vero ulla mentio vicarii Illyrici, quod ea gens nullum vicarium haberet, devastata scilicet ab Hunnis, ut auctores sunt Zosimus, Jornandes, et Prosper Aquitanicus, quod incidit in annum CDLV. neque sane scribi potuit post annum CDLV. quod Attila Concordiam et Aquileiam eo anno everterat, cum tamen in nostra Notitia mentio sit thesauri Aquileiae, et monetae ibidem percussae, et Concordiensis fabricae tunc extantium, ut recte Andreas Alciatus lib. v. Parerg. cap. XIII. Breviarium Theodosii Junioris vocet.

Auctorem ejus ergo constat Theodosium fuisse Juniolem; at de scriptore, vel compilatore, aut digestore, non aequè obvium definire. CL. v. Jac. Cujacius Mariano Scoto, monacho Fuldensi, attribuit; cujus viri cum auctoritatem in omnibus paene semper magni fecerim, in hoc uno liceat rejicere, nam antiquiorem multo illius scripti auctorem fuisse ex dictis satis evici: potuit tamen Marianus transcripsisse, atque ita gloriam compositi operis vindicasse; quod frequenter accidisse viri docti sciunt, ut exscriptores, pro auctoribus ipsis habiti ab ignaris operis, incautos fallerent. Sic Julius Celsus, qui Commentarios Caesaris exscripserat, auctor est existimatus multis annis; ita Marianum, Notitiae tantum exscriptorem, perperam auctorem fecere.

Auctor fuit Scotus quidam incerti nominis, ex iis forte, qui calamitatem Fergusii II. regis exulantis in Italiam secuti, sedem Romae fixerunt. Antiquissimus codex MS. pulcherrimo caractere, figuris etiam, miniatisque literis, diversicoloribus delineamentis in membrana oblonga venustissimus, quem ingenti pretio emptum CL. vir Pavillonus, senatus Parisiensis advocatus, possidet, ac mihi humanissime communicavit, hunc titulum praefert: "Liber Scoti, de Notitia utriusque Imperii." Aliud exemplar in Germania B. Rhenanus viderat cum eodem titulo, quo fit, ut ille saepe Scoti nomine hoc opus citet. Vetustissimus etiam codex Spirensi bibliotheca extractus a Petro Donato, Patavii antistite, cum Basiliensi synodo nomine Eugenii IV. praesideret, Cosmographiam Scoti appellat; idque ipsum, aut simile, aut diversum, apud Maphaeos Romae exemplar Joannes Pierius Valerianus se vidisse testatur anno MCDXXXVI. ex quo descriptum fuerat exemplar Fulvii Ursini, quod beneficio Joannis Vincentii Pinelli viderat Guidus Pancirolus, ut ipse in praefatione ad comment. suos profitetur. Wolfgangus Lazius lib. v. Comment. Reip. cap. v. "Legiones Solenses duae a Scoto recensentur."

Idem ille Pancirolus eo loci: "Notitia cum multo tempore latuisset, tandem, quae a Mariano Scoto, monacho Fuldensi, scripta fuerat, in ultimis Britanniiis annis abhinc xxxvi. inventa, in lucem prodiit." Varias ejus editiones, sed optima industria ejusdem procurata.

Scripta autem Romae Notitia circa annum salut. CDXLV. in Scotia inventa anno MDLXXI. edita primum ab Andrea Alciato.

#### INCERTUS POETA. 726.

INCERTUS quidam Scotus augustissimae Mariae Stuartae, Scotorum Reginae, versu elegantissimo Martyrium luxit, alius ab illo quem epico carmine inter Anonymos supra laudavi; nam hic, etsi in eandem Elizabetham Anglicanam invehatur, tamen alius est, et minori spiritu assurgit, et versu elegiaco scripsit. Inter alia, haec mihi nunc succurrunt:

Femina feminea debebat sorte moveri,  
 Sexus et in sexum mitior esse suum.  
 Mitia sed duras non tangunt jura Britannas,

Quas sol obliqua non nisi fronte videt.

Vivebat anno MDLXXXIX.

### INCERTUS CRITICUS. 727.

INCERTUS criticus, in Bibliotheca Regia Londinensi ad D. Jacobi, scripsit hoc titulo :

In Ovidium Commentarii Scoti lib. I. Non est magni, ut audio, momenti, sed tamen, ob venerationem antiquitatis, quam praefert, non omittendum.

Quo tempore floruerit, incertum.

### INCERTUS CRITICUS ALIUS. 728.

INCERTUS alius criticus Scotus in eadem bibliotheca edidit MS. [l. scripsit]

In Papinium Statium Notas lib. I. Non aequali, ut accepi, hic est cum superiori antiquitate, sed doctrina majori.

Quo tempore vixerit, aut quis, aut qua conditione, aut ubi gentium egerit, mihi est inexploratum; neque opus vidi, sed ab eleganti Patrio Junio literis ad me scriptis accepi.

### INCERTUS POLITICUS. 729.

INCERTUS alius Scotus de nobilitate Anglicani regni sub hoc titulo, opere in Barbicano Londini excuso, scripsit :

Nobilitas Politica per E. S. Scotum lib. I.

Vixit anno MDLXI. Eo opere adulatorie nobilitatem Anglicanam supra quosvis Europae proceres attollit.

### INCERTUS POETA. 730.

INCERTUS poeta Scotus, sonoro et eleganti carmine, deploravit

Bargiae Navis Naufragium lib. I. Hanc ingenti sumptu Jacobus Kennedius, Scotiae primas, S. Andreae episcopus, aedificarat, tempestas foeda corruperat, et in scopulos prope Bamburgiam colliserat.

Immanes ventorum animas, violentaque ponti

Jura trucis, caeco laxavit carcere nuper  
Neptunus, duris illisa est Borgia saxis.

Floruit anno MCDLXXIII.

INCERTUS THEOLOGUS. 731.

INCERTUS quidam Scotus, vir religiosus, et, ut puto, Franciscanus, edidit Romae,

Consultationem Theologicam et Politicam, An inter Henricum Walliae Principem, et Eleonoram magni Hetruriae Ducis Sororem, legitimae sine fidei dispendio nuptiae possent contrahi, lib. I. Vidi Romae apud illustrissimum Philonardium S. R. E. cardinalem : opus aiunt eruditum esse, et pium.

Scrpsit anno MDXXII.

B. ISRAEL. 732.

B. ISRAEL, Ottoni primo imperatori carissimus, ab eo episcopus renunciatus, S. Brunonis, archiepiscopi Coloniensis, praeceptor. Rothgerus Benedictinus, qui vixit circa annum salutis MXI. in ejusdem Vita cap. VI. apud Surium tom. V. "Israel episcopus, Scotigena, sub cujus magisterio illustrissimus hic, de quo loquimur, plurimum se profecisse testatus est, de moribus ipsius requisitus a quibusdam, quos ipsi audivimus, sanctum eum apprime virum esse respondit." Nec de illo alibi legere memini, aut ubi antistes sederit comperi. Scripsit

Epistolas ad Ottonem Augustum lib. I.

Floruit anno CMXXXVII. aut circiter.

JOANNES. 733.

"JOANNES episcopus Glascoviensis, officium pastorale, pertaesus vitae monasticae, propositum arripuit in monasterio Turonenai, sed haud paulo post ad ecclesiam suam redire coactus est." Ex historia Scotica Arnoldus Uvion lib. II. cap. LVIII. Ejus est

De Solitudinis Encomio lib. I.

De Amicitia spirituali lib. I.

Quando vixerit, non deprehendi, puto tamen MCLXXX.

JOANNES. 734.

JOANNES iste, sanctissimae vitae habitus, in Italia, Galliis, Germaniis, ac Anglia peregrinatus, jejunavit et foris XL. dies, et domi, a Jacobo V. rege jussus, totidem turri inclusus, et custodibus appositis, ut late describit Joannes Leslaeus lib. IX. pag. CDXXXI. Hanc tamen sanctitatis maximae operam sugillare sunt ausi plerique improbi, phrenesi ascribentes, quod revera pietati debebatur. Scripsit, prophético spiritu,

Vaticinium de Religione in Scotia evertenda, ac mox restauranda, lib. I.

Claruit anno MDXXIX.

JOANNES. 735.

JOANNES episcopus Candidae Casae, qui oleum et chrisma, appropinquante coena Domini, voluit Eboraci consecrare, erat enim officialis, ut vocant, Gaufredi archiepiscopi; sed decanus Eboracensis obstitit. Vide Rogerum Hovedenum part. II. pag. CDXXVIII. Forte ille est qui scripsit

Do Officio Episcopi lib. III. quos Balaeus aliis ascribit.

Vivebat anno MCXCV.

B. INGELRANNUS. 736.

B. INGELRANNUS, seu Angelramnus, ut in Scotichronico lib. VIII. cap. XV. archidiaconus suo seculo longe omnium praesulum clarissimus, de quo Rog. Hoveden. Annal. part. II. pag. CCLXXXIII. "Obiit Herebertus Glascuensis episcopus, cui successit Ingelrannus regis cancellarius, et consecratus ab Alexandro III. papa apud Senonem civitatem." Invictus vindex Scotiae ecclesiae libertatis, et disputando Eboraci, et a violentia Rogeri, antistitis Angli,

apud papam eam strenue defendendo, dum ille Scoticam ecclesiam sibi subjectam contenderet. Scripsit

Epistolarum ad diversos lib. I.

In Evangelia Dominicalia lib. I.

Rationes Regni administrandi lib. I.

Consecratus est anno MCLXIV.

### JACOBUS JOHNSTONUS. 737.

JACOBUS Johnstonus, vir doctus, domique clarus, magna medicinae clinicae fama, scripsit

De Plantis Scoticis lib. I.

Vivit adhuc in patria.

### ARTHURUS JOHNSTONUS. 738.

ARTHURUS Johnstonus, familia Karskibenia, praeclaro ingenio adolescens, doctoralem in medicina apicem Patavii cum laude adeptus. Scripsit

Epigrammata varia lib. I.

Poemata Latina lib. I. et alia.

In Scotiam reversus, ut puto, suos ornat.

### INGERAMUS. 739.

INGERAMUS, juris pontificii doctor, ex veteri, ut creditur, Lindsaiorum familia, Aberdoniae xx. antistes, Romam ab Alexandro, quodam aulico episcopatum ambiente, evocatus, a pontifice confirmatus, suis carissimus, domum rediit, templum metropolitanum mirifice ornavit, "constans in promissis, splendidus in familiae victu, parcus in suo," ait Hector Boethius in vita. Scripsit

In sextum Decretalium accuratas, et erudito viro dignas Enarrationes, lib. I.

In Clementinas lib. I. quae opera extant.

In Epistolas Pauli Commentarios inceperat, sed non absolvit.



Sedit annis XVII. Obiit anno XXII. Jacobi II. regis, humanae salutis [MCCCCLVIII.]

## JOANNES. 740.

JOANNES, Benedictinus monachus, e Scotia in Germaniam secutus S. Marianum, abbatem primum in Scotorum monasterio ab Henrico Burgravio II. nuper Ratisbonae erecto, "sancte vir doctus," ut loquitur Wolfgangus Ladius lib. VII. de Migrat. Gent. pag. CCCXII. [Scripsit]

Odas sacras lib. I.

Hymnos de Sanctis lib. I.

Floruit anno MCLVIII.

## ISAACUS. 741.

ISAACUS, comes ac socius peregrinationis Germanicae S. Mariani, primi abbatis Ratisbonensis, ut ex Wolfgango Lazio liquet loco laudato, scripsit

Paraphrasim in Ecclesiasten lib. I.

Commentaria in Libros Regum lib. I. et alia, quae MSS.

ibidem loci asservabantur : quaedam prodierunt.

Floruit anno MCLVIII.

## ROBERTUS JOHNSTONUS. 742.

ROBERTUS Johnstonus, Baroni Killosensi Brusio dum vivebat carus, vir variae lectionis, rarae eruditionis, scripsit

Historiam sui Seculi Latine lib. I. et tersissimam, ut est limati iudicii.

Vivit adhuc Londini virtutis merito, licet non aulicus, regi acceptus.

## JOANNES. 743.

JOANNES, Franciscanae familiae socius, Neapoli, ut existimo, monachum induit. Scripsit

Quaestionem de Matrimonio et Divortio Henrici VIII. et

Catharinae lib. i. Edidit Petrus Paulus Caporella Potentinus, et laudarunt Eligius Panhormius, Junius Albinus Termineus, Deodatus de Sancta Fide, Bartholomaeus Turris Selinuntius, Ant. Blandus Cuchareus. Prodiit Neapoli per Antonium de Jubenis.

Floruit anno MDXXXI. indicavit eximius concionator, Franciscanae et ipse professionis, R. P. Raphael Bononiensis.

## INGETHLINGENSIS. 744.

INGETHLINGENSIS, Benedictinus monachus, et prior illius coenobii quod a S. Columba vel conditum vel reparatum Coludiensis prodidit, vir pius et eruditus, scripsit

De Natura Avium lib. xv. Index bibliothecae Cuprensis.

Florebat anno DCC. aut circiter.

## INNOCENTIUS DECANUS. 745.

INNOCENTIUS Scotus, ex Camaldulensi monacho, ecclesiae Ravennatis decanus, magna et literaturae fama, et pietatis opinione floruit, Fortanerio archiepiscopo virtutibus carissimus, cui a secretis fuit in collegium principum purpuratorum ascito; ac postea, nescio qua occasione, ad regem Galliarum missus, Lutetiae excessit. Scripsit

Contra Schismaticos lib. i. Meminit Rambaldus Ferrariensis.

Vixit anno MCCCLX. et ulterius.

## THOMAS JEDBURGIUS. 746.

THOMAS Jedburgius, sive, ut alii, Jedwodius, Franciscanus, supra aetatem et professionem ordinis in seculari literatura doctus, scripsit, eleganti versu,

Deplorationem Patriae lib. i. Apparet Anglicum bellum ab eo defleri. Meminit index bibliothecae Cuprensis.

Scriebat anno MCCCCXCVII.

GILBERTUS JOSEPHI. 747.

GILBERTUS Josephi haud affirmarim an Scotus sit, in ejusdem tamen bibliothecae Cuprensis indice reperitur scripsisse

Cupri Successionem lib. I.

Nec, quo tempore vixerit, deprehendi.

BONAVENTURA IRLANDUS. 748.

“BONAVENTURA Irlandus, juvenis doctissimus,” ait Scaliger junior in Posthumis. Scripsit, ad Scaligerum,

Dubitationes doctissimas lib. I.

Vixit in Batavis anno MDLXXV.

JOHEL. 749.

JOHEL, S. Jacobi Herbipolensis abbas XIII. sub Andrea episcopo, scripsit, cum adhuc monachus esset,

De Bello ad Acconem gesto lib. I. Extat MS. apud Paulum Petavium, senatorem Parisiensem.

Obiit anno MCCXCVIII.

S. JOANNES. 750.

S. JOANNES, Wintchelsensis monachus in Anglia, in Scotia natus, et Scotis parentibus, monasterio illi Anglicano traditus, ut de S. Bonifacio Scoto dixi, eidem Bonifacio peregrinanti Romam comes adhaesit; tum “archiepiscopus Saltzburgensis, et generaliter omnium circumjacentium provinciarum” (verba sunt Joannis Trithemii lib. IV. de Viris illustrib. Ordin. S. Benedicti cap. CV.) “autoritate apostolica ordinatus, praedicans fidem Christi gentibus illis multos ad unitatem Catholicae ecclesiae congregavit, fuit enim doctus vir, et excellens.” Scripsit

Epistolas ad Bonifacium magistrum lib. I.

Exhortationes ad Gesodunenses lib. I. Sunt populi Germaniae superioris vicini Saltburgo, quod olim Gesodunum.

Claruit anno DCCLXX. vel DCCLIV. Arnoldus Uvion lib. II. Lig. Vitae cap. XXXI.

IMARUS ABBAS. 751.

IMARUS Scotorum Herbipolensium abbas XX. quo sedente Gerardus de Schwartzemburg, episcopus Herbipolensis, civium rebellionem, praelio ad Bertheym commisso, magna virtute, nec minore felicitatis successu, castigavit die XI. Januarii. Scripsit, ut referunt,

Homilias lib. I.

Floruit anno MCD.

JOANNES IRLANDUS. 752.

“ JOANNES Irlandus Parisiis inter Sorbonicos doctores plurimum excelebat. De eo cum audiisset rex (Jacobus III.) non quievit, donec honestissima conditione invitatum, in patriam ad se revocasset : quem quidem, ubi in Scotiam rediisset, non solum his literarum artibus, ut antea fama de illo vulgaverat, praezellens, sed pietate quoque, moribus, et concionandi ad populum mira dexteritate ornatissimus, humanissime excepit, et paulo post sacerdotio amplissimo donavit :” ut scribit Joannes Ferrerius Pedemontanus in Appendice Historiae Scotiae. Tanta hic dignationis, ut cum theologiam profiteretur, a rege Francorum in Scotiam legatus, ut regem ad bellum cum Anglis gerendum adhortaretur : in ea etiam legatione summopere curabat, ut Alexander dux Albaniae cum rege Scotorum suo germano in gratiam rediret, sed irrito conatu. Idem Appendicis pag. CCCXCIII. Laudat eundem in fine Appendicis : “ Viri doctissimi floruerunt, e quorum numero prodiit insignis e schola Parisiensi theologus, et evangelii concionator percelebris, Joannes cognomento Irlandus, natione Scotus.” Scripsit

In Magistrum Sententiarum lib. IV.

Conciones sacras lib. I.

Reconciliationis Modum, ad Jacobum III. Regem, super Dissidio cum Duce Albaniae, lib. I.

Epistolas lib. I. Vidi excusas Lutetiae.

Legationis munus obivit anno MCCCCLXXX. quando obierit, non deprehendi.

FINIS LIBRI NONI.

K

# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER X.

### S. KENTIGERNUS. 753.

S. KENTIGERNUS genitus Eugenio Scotiae rege, et Diva Thamete, sive Thami filia Lothi Pictorum regis. Frustra sunt Lelandus, Capgravius, Balaeus, Godwinus, et tota haeticorum caterva, patrem ei Britannum quendam affingentes; Scoti regis filium fuisse docet Arnoldus Uvion lib. III. Ligni Vitae pag. XIX. Joannes Leslaeus lib. IV. Hist. pag. CXLVII. et meminit Chorograph. Britan. pag. DXLVIII. Episcopus erat Glascuae, dum in Scotiam trajiceret S. Columba. Hect. Boeth. lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXVII. Sed sede pulsus, in Waliam se contulit, ibique ecclesiam struxit inter fluvios Elwyd et Elwy, unde illi in Annalib. Anglorum cognomentum Eluius. Camden. licet haeticus, tamen hunc et bonum et sanctum virum vocat, episcopum Glascuensem [p.] DXLIX. et Asaphum ejus discipulum, virum integerrimum, cujus sanctitatis fama brevi ingentem accivit numerum religiosorum hominum, ut monachi numerentur DCLX. crescente in dies merito Maglonis regis munificentia, sive Malgonis, aut Maglocuni. Ecclesiola illa in episcopatum versa est, qui Elguensis, Eluensis, et Lanelwensis tum dictus, postea a S. Asapho, ejus discipulo ac successore, Asaphensis vocatus, nomen et dignitatem hodie, licet tenui fortuna, retinet. Illud haetico Balaeo dignissimum commentum, matre virgine natum Kentigernum. Incredibiles sane ejus monasticae vitae cura ac continentia, adeo ut vir apostolicus, nec aliter, nominaretur; nam non solum Caledonios, Horestos, Athalos, vicinasque Scotiae insulas, ac occidentalem Angliae partem, praesenti pietate instruxit, sed et discipulos misit in Norvegiam, Orcades, et Islandiam. Post aliquot annos ab episcopatu, censibus ac immunita-

tibus fundato, Asaphum, ut dixit civem ac discipulum suum, successorem sibi inauguravit, et ad Glascuensem suam sedem redivit, ubi summa sanctitatis opinione excessit, in sanctorum numerum relatus, incredibilique studio ea a gente cultus; miror tamen cur Martyrologii Romani tabulis non sit ascriptus. Recolunt nostrates ejus solennitatem die XIII. Januarii. Joannes Molanus Addition. ad Usuard. Martyrolog. "In Scotia S. Kentigerni, episcopi Glascuensis, et confessoris." Altum apud alios silentium. O injurias tuas, Scotia! Ejus sunt:

Ad Rodericum Regem	epist. I.
Ad Avarum Regem	epist. I.
De Obitu S. Davidis	lib. I.
De Observatione Fidei	lib. I.
De Charitate mutua	lib. I.
De Pace Christiana	lib. I.
De Scripturarum Lectione	lib. I.
De Oratione continua	lib. I.
De Hospitalitate tuenda	lib. I.
Manuale suorum Ministeriorum	lib. I.
Orationes	lib. I.
Epistolae	lib. I.

Obiit anno aetatis suae CLXXXV. salutis vero DLX. vel, ut alii volunt, sexennio post. Locus mortis Glascua fuit.

#### S. KILIANUS. 754.

S. KILIANUS, Chilianus, Quilianus, aut Caelianus aut Cilianus. Wandelbertus:

Octavo ante idus Cilianus, Procopiusque.

"Scotus, monachusque, et martyr," ait Possev. Appar. pag. CCCXX. Amplissime nobis favet Eucharius Sangius, suffraganeus Wirceburgensis, Orat. de Translatione B. Macharii: verba vide supra in S. Bonifacio. Arnualis, Adamanni, Coludii, Adhelmi, Wilfridique institutor ac magister, ut docet Sigebertus Gemblacensis Chronico ad annum DCXCIV. Anton. Demochar. tom. II. de Sacrificio Missae cap. XXXV. Aegre ferens Romanos ritus de Paschate celebrando, et tonsura clericali, a Scotis non recipi, patriam fugit, Franciaeque

Orientalis apostolus martyrii palmam percepit. Auctor Egilunardus, S. Burchardi monachus prope Herbipolim, in prologo Vitae S. Burchardi: "Scotia, in Christo prudentissima, nobis lumen nostrum primitivum destinavit Kilianum, Burgundis Columbanum, Alamanis Gallum:" et lib. I. cap. IX. "Primus fundator vestrae fidei Kilianus, ab apostolica vobis pastoralitate transmissus, fidem, quam verbis docuit, hoc ipso in loco martyrii testimonio comprobavit." Sigebertus narrat eleganter in Chron. "Apud Wirziburh castrum Ostrofranciae S. Chilianus cum discipulis Colomanno et Tolmanno clam martyrizatur a Geilana uxore Gozberti principis Wirziburgensium, quae timebat separari a viro suo, arguente eum Chiliano, quod eam uxorem quondam fratris ejus etiam ipse uxorem haberet; quorum mors, cum diu omnes lateret, Geilana et percussoribus martyrum a daemonio arreptis, eorum confessione divulgata est." De martyrio certum, sed non aequae de modo convenit; quidam enim Gozbertum non principem, sed judicem faciunt, magna etiam nominum varietate: ascribam aliquot auctorum loca, tu lector judica. Martyrolog. Roman. die VIII. Julii, quo ejus memoriam ecclesia celebrat: "Herbipoli in Germania S. Chilianus episcopi, qui a Romano pontifice ad praedicandum evangelium missus, cum multos ad Christum perduxisset, una cum sociis Colomanno presbytero et Totnanno diacono trucidatus est." Eodem die in Martyrologio suo Petrus Galesinius: "Coloniae S. Kiliani, et duorum sociorum martyrum, Colomanni presbyteri et Jornani diaconi, qui ab Hibernia profecti Christi nomen praedicantes, Goberti cujusdam judicis mandato contrucidati, multis postea rebus admirabiliter claruerunt." Magna sane varietas, et ab historiae veritate dissensus: nam non Coloniae, sed Herbipoli constat passum, nisi forte dicatur pluribus in civitatibus ejus commemorationem celebratam, quod et verum infra patebit; neque enim unius alicujus civitatis apostolus, sed multarum fuit provinciarum: qui illi est *Jornanus*, ab omnibus aliis *Totnanus*. Mox ab Hibernia male, et contra omnium scriptorum fidem, eos deducit Wolf. Lazius in praefat. ad lib. I. de Gent. Migration. SS. Kilianum et Burchardum Scotos vocat Hieron. Platus lib. II. de Stat. Relig. cap. XXX. "Kilianus, monachus Scotus, Francorum gentem ad fidelium numerum aggregavit." Nicol. Manerrius ex Jacobo de Voragine in Julio pag. CDLXVII. Patriam ei Sco-

tiam apponit Bibliotheca Minorum Patrum. In Chronico Chronicorum collectione v. cl. Joan. Gualterii pag. CMXCIII. "Kilianus martyr Scotus." Trithem. lib. I. Compend. Annal. pag. LVII. "Conon S. Kilianum, natione Scotum, in episcopum ordinavit." Tum Gobertus ille non iudex, sed Hettani principis filius, et ipse princeps Herbipolensium. Egilunardus monach. in Vit. S. Burchardi lib. II. cap. IV. ut omittam non ipsius jussu, sed uxoris fraude eos morti addictos. Franciscus Maurolycus Siculus in Martyrologio eodem die: "Sanctorum Caeliani episcopi, genere Scoti, Colonati presbyteri, et Romani diaconi, martyrum in Germania apud Wizeburgum, Constantino imperatore, quos Gerlanda uxor Gutberti ducis interfici clam jussit, quod Caelianus ejus conjugium, quia viri fratrem duxerat, damnasset." Satis probe in historia, licet nomina sint corruptissima, et male sub Constantini imperio locatur, cum sint pene quadringenti anni interjecti. Notkerus Balbulus in Martyrologio die laudato: "In pago Austriae, id est, novae Franciae castro, imo civitate, ut Teutonico nomine prodit Wirzburg, juxta Moin fluvium sita, passio S. Chilian, primi ejusdem civitatis episcopi, et duorum discipulorum ejus, Colonati presbyteri et Totnani diaconi, qui ab Hibernia Scotorum insula venientes, et a pontifice sedis apostolicae auctoritate accepta, nomen Christi in eodem loco et circuitu praedicaverunt; cumque multum populum idem vir apostolicus signis et verbo Domino acquireret, a duce eorundem locorum, nomine Cozberto, pro eo quod eum a conjugio uxoris fratris sui disjungere niteretur, factione ejusdem incestuosissimae Geilae, cum sociis eodem zelo ferventibus, est interemptus." Pergit verbose poenam percussorum exsequi, ut supra Sigebertus: addit duce ipsum a servis suis interemptum, filium ejus principatu a populo dejectum. H. Rabanus et ipse in Gozbertum, non tantum in Geilam, sive Ceilanam, caedem martyrum rejicit: quem vide, ut et eadem transcribentem Joannem Molanum Addition. ad Usuardum.

Vitam S. Chilian habet Surius tom. IV. ex anonymo auctore, quem edidit et notis illustravit Nicolaus Serarius, Soc. Jesu presbyter, sed in manus meas non venit: in epitomen redegit Franciscus Haraeus, et multis Laurentius Francus de eo agit, Franc. Irenic. lib. III. cap. LXXVI. Consulendi sunt Trithemius lib. III. de Viris illust.



Ordinis S. Benedicti cap. CXXXI. et lib. IV. cap. CLXXII. Otto Frisingen. lib. V. cap. XIII. et Demochar. in Tabulis. Errant vero, qui S. Burchardum primum Herbipolensium antistitem faciunt, cum Kiliano primo, ab ipso pontifice ordinato, ille successerit. Praeter ea quae supradicta, Sigeberti Gemblacensis haec sunt ad annum DCLXXXV. "Sanctus Chilianus Scotus, Wirziburgensis episcopus, claret." Alius ab hoc episcopo Chiliano est ille, qui episcopi et confessoris nomine Albinici in territorio Attrebatensi apud Joannem Molanun Addition. ad Usuardi Martyrolog. die XIII. Novembris.

Cum ad sepulchrum ejus multa crebraque patrarentur miracula, omne honorum genus, ut ex dictis apparet, ei exhibitum a devoto populo, Egilunardus lib. II. de Vita S. Burchardi cap. VII. nam et basilicam ei sumptuosissimam aedificarunt. Engolismensis monachus anonymus in Vita Caroli Magni: "Natale celebravit ad S. Chilianum in Wizirnburg." Et corpora ipsius sociorumque a S. Burchardo honorifice translata; quod his verbis in Chronico ad annum DCCXLVI. describit Sigebertus: "Athalongus presbyter, per illatam sibi caecitatem, admonitus quaerere corpora sanctorum Chiliani et sociorum, inventis sanctorum corporibus, visum recepit; eaque re, S. Bonifacius Moguntiae episcopus, ab Athalongo ad se delata, castrum Wirziburch ad honorem Chiliani martyris, qui ad praedicandum ibi a Papa Conone episcopus ordinatus fuerat, ibique locum mortis et quietis a Deo acceperat, episcopalis sedis privilegio insignire decrevit, primumque ibi episcopum sanctum Burchardum ordinavit." Ergo primus episcopus Herbipolensis a S. sede apostolica extraordinaria consecratione fuit Kilianus, ordinaria vero inauguratione, quae per metropolitanum fieri solet, primus item antistes habendus Burchardus, qui male ab Adhelmo Benedictino in Francicor. Reg. Annalib. ad annum DCCXLIX. pag. CCCLXXXIII. vocatur Richardus. Translata vero corpora magnificentissime sunt collocata cum hoc elogio, quod apponam:

Hi sunt, Herbipolis, qui te docuere magistri,  
 Qua verum coleres relligione Deum;  
 Impia quos tandem jussit Geilana necari,  
 Celavitque sub huac corpora caesa locum.

Ne turpi sine laude situ defossa jacerent,  
Corpora Burchardus sub monumenta locat.

Paul. Langius Bosnaniensis Chronico Citizenensi ad finem : " Sancti et devotissimi patres, Columbanus, Gallus, Chilianus, Bonifacius, Wilibrordus, et Ludigerus." Scripsit

Contra Arrianismum lib. I.

Contra peregrinos Cultus lib. I.

Monita ad Gozbertum Ducem super Divortio cum fratris uxore lib. I.

Florebat anno salut. DCXII. ut vult Rhegino abbas Prumiensis, falso, ut opinor : melius Marianus Scotus anno DCLXXXVII. nam eo anno consecratum episcopum a Benedicto papa, non autem a Conone, ut supra voluit Sigebertus. Prodit compilatio chronologica anonymi auctoris. Passus est anno DCXCVII. Alii diversam ei aetatem astruunt, et sunt qui biennio serius martyrio coronatum velint ; nec tanti est res, ut anxie inquiratur.

#### S. KORTILA. 756.

S. KORTILA, aut Rortila, sive Cortyla, et ipse diu in Germaniis commemoratus, Tanconis Pattonisque familiaris et amicus, dignitatisque collega, episcopatum etiam Verdensem pie administravit, sextus ejus antistes, ut Gaspari Bruschio placet. Scripsit multa, sed omnia perierunt, praeter

Homilias de Sanctis lib. I.

Floruit sub Dungallo Scotiae rege anno salutis DCCCXXVI. quando obierit, haud facile divinarim. Inter sanctos habitus. Arnold. Uvion lib. II. Ligni Vitae cap. LV. Colitur XXIIIX. Aprilis. Martyrologium Anglicum.

#### S. KENNETHUS. 757.

S. KENNETHI templum memorat H. Boethius lib. x. Hist. pag. cc. sed quis ille fuerit, aut qua vitae conditione, aut quo tempore vixerit, quaerant alii, ego me fateor nescire : hoc modo constat, in Fifa cultum. Reperi postea S. Blanum baptizasse, et S. Congalli

socium fuisse sub annum CCCCLII.

S. KENNOTHA. 758.

S. KENNOTHA virgo magna fuit vitae innocentia: sanctimoniam Brechini censetur induisse, et viva defunctaque miraculorum gloria fulsit.

Claruit anno MVII. Templum ei, et arae in Scotia, ubique regni, erecta. Colitur die XIII. Martii. Breviar. Scot.

S. KENNEIRA. 759.

S. KENNEIRA virgo, nobilissima familia, et, ut nonnullis visum, regio sanguine orta, post solenne virginitatis servandae votum S. Ursulae se junxit, unaque cum XI. millibus virginum Romanam peregrinationem suscepit, et Roma rediens, Coloniae ab Hunnibus obsessae, cum in sancto perseveraret proposito, martyrio confecta, vitam futuram adeptam est. Ita historiae nostrates, et conformiter Elizabeth sanctimonialis, quae revelatione edocta est ita rem se habere anno MCLVI. ut refert Robertus Altissiodorensis Chron. pag. LXII. Vide lib. XIX. infra in *Ursula*. Delirat, more gentis suae, Richardus Vitus lib. VII. Histor. Britan. pag. XCIV. qui vir vix tanti est, ut nominari in serio opere debeat. Ad haec Wolfgangus Lazius et alii Germanici scriptores consulendi, praeter historicos.

Obiit cum sociis anno CDLIV. Colitur celebri gentis concursu, templis Deo, sub illius gentis [i. nominis] invocatione, erectis, et aris ubique regni dedicatis, die XXIX. Octobris. Breviar. Scot.

SS. KOLDINGAMENSES. 760.

SS. VIRGINES Koldingamenses, cum debaccharentur Dani libidinosis, exemplum S. Ebbae abbatissae secutae, labrum sibi superius amputarunt, ut deformitas pudoris custos esse posset; sed Dani, contumelia accensi, igne injecto monasterium cum sanctis omnibus absumpserunt. Vide supra lib. V. in *S. Ebba*. Hymno eleganti Ita-

lico Maphaeus Venierus, archiepiscopus Corcyrensis, martyrium istud describit apud Joannem Felicem Astolfum Novo Sanctorum Legendario pag. CXXV. ubi tamen *Collingam* pro *Coldingam* est, levi errore.

Passae sunt anno DCCCLX. qui numerus in Arnolde Uvione corruptus, qui habet annum DCXXX. Coluntur die XXII. Augusti.

## KENNETHUS. 761.

KENNETHUS rex, Alpini regis filius, regnum [adeptus], Pictorum tota gente deleta, et ad internecionem acie ad Stirlingum, obsidione ad Camelodunum, extincta, MCLXX. annis ex quo in Albionis eam partem descenderat, Britanniam etiam ulteriorem sibi vicinam bello petiit, victoriaeque praemium Northumbriam suo regno adjecit. Cathedram inaugurandis regibus fatalem Sconam detulit. Ediderat ille

Breviarium antiquarum Legum lib. I. Inutiles enim leges resecans, utiles in epitomen redegit: iis in foro Angli utebantur. Anton. Possevin. Appar. pag. CCCXX.

Novas Leges adjecit lib. I.

Obiit anno regni sui XX. sedebat in Petri cathedra Leo IV. imperabat Ludovicus II. Francorum rex, anno salut. DCCCLV. Annales nostrates.

## KINNATILLUS. 762.

KINNATILLUS rex, Eugenii III. et Conualli regum frater, Congalli regis F. Aidanum nepotem participem regni ascivit, et in sinu S. Columbae exspiravit, brevi principatu egregiam laudem adeptus. Scripsit

De Regimine Principum lib. I. ad D. Columbam. Meminit Joannes Fordunus.

Obiit anno II. regni sui, salutis vero DCCCLXXX. Annales nostrates.

## B. KINEARDUS. 763.

B. KINEARDUS Scotus, falso hactenus Einartus et Eginartus, Caroli Magni alumnus, creditus Germanus, cum fuerit Scotus; nam id nomen eo aevo in eo Britanniae tractu frequens. Hovedenus Annal. pag. CCXXXV. Alcuini, Rabani, Clementis, et Joannis socius, quos saepe hoc opere monui cum Gulielmo Achaii regis Scottorum fratre ex Scotia in Galliam venisse, et ut ceteri sub senium aula deserta monachus factus, ac deinde abbas, concilio Moguntino sub Bonifacio subscribit. Primum argumentum ab hominis Germani auctoritate sumetur: is est Conradus Gesnerus, qui "Vitam Caroli ab Albino Flacco Scoto" conscriptam docet; quem sequitur Josias Simlerus epitomastes, et concurs Flavius Blondus Hettrur. illustrat. pag. LII. in rebus Florentiae: "Gesta Caroli ab Alcuino ejus praeceptore scripta." Deinde est codex apud Petrum Petavium, senatorem Parisiensem, v. CL. cum hac inscriptione: "Scotus de Rebus Caroli Magni:" liquet ergo hunc vetustum esse Scotum, qui ab aliquibus Alcuinus Scotus putabatur, ab aliis anonymus. Sed et Clementem quendam Scotum auctorem facit Wolfgangus Lazius lib. III. de Migrat. Gent. pag. XL. Ego nunc primum nomen eruo e situ et latebris antiquitatis Scoticae, et gratias, puto, habebit nobilissima apud nostrates Kinardorum familia, quae etiamnum hodie potens est, et clara, ob tam insigne nobilitatis suae monumentum. Docuit me Florentius Vigorniensis in Chronico ad annum DCCCXIII. quem locum exscribam. "Pons quem apud Moguntiacum per decem annos ingenti labore, et opera mirabili, de lignis Carolus rex struxit, adeo ut perpetuo durare posse videretur, anno uno ante obitum suum ita tribus horis conflagravit, ut ne una quidem hastula super aquam remaneret. Pontem autem illum Ricolphus episcopus dicitur jussisse incendere, propter latrocinia, quae noctibus in eo exercebantur, dum homines spoliati in flumen ipsum jacti necabantur. Sed Kineardus, qui vitam istius Caroli scripsit, haec fortuito refert contigisse." Locus Kineardi non est fideliter a Florentio exscriptus, neque quicquam ille de fortuito casu; sic enim ille: "Pons apud Moguntiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis, nam tanta

est fluminis ibi latitudo; qui tamen uno antequam decederet anno incendio conflagravit, nec refici potuit propter festinatum ejus discesum, quanquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret."

Liceat pauca ex Marquardo Frehero v. CL. de eo annotare. Cum notarius Caroli Magni esset consuetudine furtiva cum Imma Caroli filia diu protracta, ad ultimum in facinore deprehensus, eam cum ingenti dote uxorem duxit, quam et auxit Ludovicus Aug. Hanc fato ereptam implacabili dolore luxit, ut ex epistolis ejus ad Lupum Ferrariae episcopum liquet, tum caelibatus impatientia ductus, et mundi pertaesus. Coenobium Salinstat aut Salingestat ad Moenum fundavit, ibique consenuit. Chronic. Laurishamense. Ambrosius Moralius lib. XIII. de Regibus Hispan. cap. XXIII. et Chronicon Snarzachense "scriptorem actuum Caroli" appellat. Ermoldus Nigellus in Panegyrico Ludovici Pii, Caroli F.

Tunc Heinardus erat Caroli dilectus amore,  
Ingenioque sagax, et bonitate vicens.

Anonymus Paderbornensis poeta sub Arnulpho imperatore, editus a Reinerio Reineccio:

De vita Caroli scriptum legat ipse libellum,  
Quem summo prudens Einardus nomine scripsit.

Scripta ejus enumerat Trithemius, quae videantur; ego pauca recensebo.

Vitam Caroli Magni, quam ex Suetonii Augusto expressit, integris interdum paginis exscripsit, lib. I.

Epistolas lib. I.

De Translatione et Miraculis SS. Marcellini et Petri Martyrum lib. I. Meminere Aimonius monachus et Chronicon Laurishamense: extat apud Laurentium Surium tom. VII. die II. Junii.

Monita Gabrielis Archangeli XII. capitulis comprehensa lib. I.  
Annales Fuldenses ad annum DCCCLXXIV.

Florebat anno humanae salutis DCCCI. quando obierit, non ego reperi.

## JOANNES KUNINGHAM. 763.

JOANNES Kuningham, seu Cuningamius, ex nobilissima comitum Glencarniae familia, clarissimum a S. theologiae studio nomen sortitus, tota Europa lustrata, Asia etiam ac Africa visis, Parisiis substitit, communi scilicet eo seculo literarum emporio : ac postea nescio quo fato, Paderbornensis episcopus renunciatus a Bonifacio IX. recusato honore ad Scotos suos redux, ad finem vitae bonis artibus incubuit. Male Anglum facit Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta lib. IV. et Kiningham vocat. Scripsit

Lecturam in Threnos lib. I.

Claruit anno MCCCXCIX.

## S. KILIANUS. 764.

S. KILIANUS hic, ab Herbipolensium apostolo diversus, S. Levini archiepiscopi ex Scotia comes itinerum, laborumque socius, sanctitatis discipulus, ac demum passionis spectator, sanctissimi martyris corpus in Hauthem, vicinum martyrio vicum, cum sociis suis ac condiscipulis Helia et Foillano religiose detulit. Vita S. Levini, cujus epitome apud Franciscum Haraeum, id ipsum testatur die XII. Novembris. Scripsit

Vitam et Gesta Levini magistri lib. I.

Scribebat anno DCXXXIII.

## S. KUNDAKAR. 765.

S. KUNDAKAR monachus, ac discipulus S. Bonifacii, Germaniae apostoli, auctore Othlono Fuldensi in Vita ejus lib. II. pag. CCCCLXI. forte et martyrii ejusdem socius, qui cum aliis enumeratur a Notkero Balbulo in Martyrologio Non. Junii, nisi quod Gundechar vocetur ; sed nomina illa saepe corrupta. Ejus est

Instructio ad Frisios lib. I.

Floruit anno DCCLV.

## KILIANUS. 766.

**KILIANUS**, a Wilhelmo rege ad pontificem cum aliis missus orator, ex itinere valetudine contracta substitit Bononiae, reliquis in patriam redeuntibus, et in eodem clarissimo literarum emporio languentes Musas sedulus excitavit, ac juris civilis scientiam, barbarorum insolentia post Justiniani pene principatum non dicam oppressam, sed emortuam et sepultam, ab inferis revocavit; cumque nuda philosophia, et eloquentiae studium tantum ibi vigeret, praeclara fama [scientiam] legalem primus in Italia coepit profiteri, ut testatum abunde reliquerunt Joannes Fichardus, Joannes Baptista Ziletus, Joannes Nevizanus, Ludovicus Gomesius, et Wolfgangus Freymonius. Comes ei tam praeclari facinoris Irnerius, quem quia Italum perperam auctorem faciunt hos secuti catervatim, Columbus Fasolus, Hugolinus, Bulgarus, Martinus Placentinus, Joannes, atque illi quidem sincere jus tractantes, tum Accursii, Jason, Bartolus, Baldus, qui venustissimum legum corpus foedissimis suis ineptiis coinquinarunt. Scripsit Kilianus

Lecturas in Pandectas lib. i. quae tamen perierunt.

Florebat anno **MXC.** Hujus fama ab orco revocata, gratias Scotiae debet Bononia, Scotia mihi.

## JACOBUS KENNEDIUS. 767.

**JACOBUS** Kennedius nobilissima familia, ingenio eminentissimo. Polydorus Virgilius lib. **XXIII.** *Histor. Anglic.* “Jacobus III. aetate puer rex creatur, cui praeceptor datur Jacobus Chennethus, Divi Andreae archiepiscopus, qui diu fuit etiam regni gubernator, quod vir esset probus, atque homo rebus omnibus longe ornatissimus.” Et in fine ejusdem libri: “Erant in procuratione regni, propter regis aetatem, complures principes, et in primis Jacobus Chennethus, Divi Andreae archiepiscopus.” Joannes Ferrerius Pedemontanus in *Appendice Histor. Scot.* “Erant tunc in aula Scotiae, ob aetatem sui regis, in regni totius procuratione viri principes et illustres permulti, quorum facile primus habebatur Jacobus Kennethus, S. Andreae



archiepiscopus, ipsius regis cognatus." Hujus prudentia et consilio, Henricus VI. Anglia pulsus, humanissime receptus in Scotia, et ad recuperandum regnum non vulgariter adjutus. Tria hic aequali fertur pretio aere suo fabricavisse; Collegium S. Salvatoris in Fano Divi Andreae, ibidem sepulchrum ex marmore sumptuosissimum in quo condi voluit, Bargiam navem, de qua supra hoc opere. Scripsit

Monita Politica lib. I. quae Justus Lipsius viderat.

Historiam sui Temporis lib. I. sed non prodiit.

Excessit in archiepiscopio suo anno MCDLXVI. die X. Maii.

#### S. KANILLUS. 768.

S. KANILLUS, eremita ordinis Benedictini, socius ac discipulus magni illius Buonis, cognomento Bardi, in Argathelia, aliisque plurimis apud silvestres nostros Scotos, erectis templis cultus; de quo nihil aliud habeo, nec scriptorum apices ad nos pervenerunt.

Floruit anno DCCXCII.

#### S. KEINA. 769.

S. KEINA, seu Keiana, virgo Britannica sanctissima, ut Camdenus, homo orthodoxae fidei infensus, fatetur pag. CLXIX. Britanniae; a cujus nomine Cainsham oppidum ad Anonam in agro Somersetensi, id est, Keinae domicilium; in quo tractu, cum serpentes incolas mirum in modum infestarent, eos virgo Dei in lapides permutavit; atque etiamnum hodie serpentis in gyrum revoluti effigiem lapides ostendunt, cujus caput in circumferentia prominet, caudas centum occupat: quod miraculum frustra heterodoxi rideant, dum nos Catholici depraedicemus, et Deo in virginis operibus benedicemus. Credibile porro est, hanc esse e genere illius Scoti Keiani, qui, ut Nennius apud Camdenum habet, Silures et Dimetas, sive *Glamorganshire* et *Caermardenshire*, imperio obtinuerat, ut in illarum provinciarum delineanda historia idem auctor est: nec si quid scripsit, ad nos devenit.

Vivebat anno CD. Colitur XXVII. Februarii.

## S. KESSOGUS. 770.

S. KESSOGUS, seu Bessogus, ex Scotia in Hiberniam navigans, monasticae et solitariae vitae sitiens, se totum Domino mancipavit; insignia ejus apud Deum merita, in Cathenesia pleraeque aedes sacrae loquuntur, et pluribus recolunt vicini.

Floruit anno DCC. Colitur x. Martii, ut in Florario. Vide in *S. Makhessogus* lib. XII. id enim nomen sonat filium Kessogi.

## S. KENTILLA. 771.

S. KENTILLA, episcopus Verdensis, ex illorum numero, quos saepe dixi a Scotia ad Amarbaricensis claustrum curam vocatos, inde ad regimen episcopale admotus: fortitudinis simul, et pietatis Scoticae in ea gente trophaea extare, ex Bruschio et aliis. Scripta perierunt.

Sedebat Verdae Caesaris anno DCCCCX. Colitur XXIX. April. Acta ecclesiae laudatae apud Krantzius et alios.

## S. KEVINUS. 772.

S. KEVINUS, abbas in Levinia prope Menteth, natus in insula Rothesay, quae postea Buta; et sane in ducatu Rosae cella visitur, vulgo *Kilkeuin*: postea tamen curam nescio cujus monasterii gessit, Alexandro Millo auctore. Putat non nemo eundem esse cum Koengo, de quo Giraldus Cambrensis in *Topographia Hiberniae*. Scripta non extant.

Vixit anno DCCCVII. Colitur III. Junii. ex nundinis concursu maximo celebratis constat.

## S. KENOCUS. 773.

S. KENOCUS, abbas Jedwodi, ordinis Lateranensis Canonico- rum S. Augustini, qui decem annis totis tumentes Scotorum Anglorumque regum animos, in bellum pronos, precibus assiduis

in pace continuit. Extat officium IX. lectionum, ac templum Deo, sub ejus invocatione, erectum in ditone Glascoensi, ut in Historia Miscellanea Brunus abbas habet pag. xxcviii. Scripta non reperi extare ulla. Florebat anno M. Colitur xiv. Novemb.

S. KIERANUS. 774.

S. KIERANUS, episcopus sanctissimus, ut plurimum insulas Scotiae occidentuas incolebat, ac tandem longo virtutum cursu peracto martyrrium, a latronibus jugulatus, consummavit; nec plura ejus acta supersunt, ita et scripta interiere.

Floruit anno DCLXV. Colitur v. Martii. Breviarium Dumblanense. In regione Kyntyre memoria ejus celebris; ibi enim lacus incolatu ejus ac miraculis frequentata, vulgo *Lochkilkeran*, id est, Lacus cellae Kerani. Gilbert. Brun. Histor. pag. xxcix.

S. KINEDUS. 775.

S. KINEDUS, eremita ex abbate factus, coelestium rerum contemplatione animum pasturus in Angliam secessit, ibique inter Wallos mirabili continentia diu se continuit. In divos relatum loquitur Camdenus pag. cxvii. Miracula Jo. Capgravius colligit ac recitat, ex quo discas eum genere Scotum, incolatu Anglum, utramque gentem conversatione sanctorum operum nobilitasse. Hinc habent illustrissimi Cassiliae comites, quo gloriantur; nam cum ipsorum nomen Kenedie sit, hunc gentilem suum jure venerentur, et in terris generis sui stemmatisque antiquitatem suspiciant, in coelo praesidium invocent. Scripsit

Ad Wallos lib. i.

Preces pias lib. i.

Vixit confessor anno DCXXCIV. Colitur xxii. Januar. eodem auctore.

S. KUNEGUNDIS. 776.

S. KUNEGUNDIS, virgo Ursulana et martyr, requiescit in territorio Constantinensi, parochia de Hischel, relata in divos anno M.

DII. ut processus, qui extat, indicat; ad quem te, lector, remitto. Jo. Molanus Additionibus ad Usuardum. Acta loci.

Passa anno CDLIV. colitur XXI. Octobris.

S. KUNERA. 777.

S. KUNERA, et ipsa Ursulana, et ab angelo custode, ut major Dei gloria, duriorque virginis passio fieret, educta, Hunnorum quidem gladios vitavit, sed paratam martyrii palmam non effugit, operibus suis et virginitatis voto respondentem. Cum in viri nobilis famulatum venisset, ob solam pulchritudinem in suspicionem zelotypae mulieris pervenit, quae ipsam injecto mantili strangulavit; sed Domino ancillae suae innocentiam signis manifestante, gloriosum corpus per S. Willibrordum Scotum translatum, et in civitate Renensi decenter collocatum. Molanus Indiculo SS. Belgii. Cratepol. de Sanctis Germaniae pag. LV.

Passa est anno CDLIV. XXIIX. Octob. translata XII. Junii. Vita S. Willibrordi.

JACOBUS KARDENUS. 778.

JACOBUS Kardenus, canonicus Dumblanensis, familia veteri, ingenio nobili, fama celebri, theologus supra aetatem suam doctus, scripsit

De Sacramentorum Numero	lib. I.
De Baptismo contra Haereticos	lib. I.
Sermones	lib. I.

Floruit anno MCCXCIV.

GULIELMUS KEITH. 779.

GULIELMUS Kethus, abbas Killos in Muravia, egregius concionator, eloquens rhetor, poeta ingeniosus, multa versu et prosa scripsit; in his index loci memorat

Quadragesimale	lib. I.
Hymnos de Sanctis	lib. I.

Claruit anno MCCCL.

## PETRUS KYNTYRE. 780.

PETRUS Kyntyre, sacerdos Catholicus, cum peregrinus in Italiam venisset, vitae integritate, ac literatura innotuit Gregorio X. beatissimo pontifici, cum quo diu vixit, laborum sanctorumque operum participes; et cum ille post concilium oecumenicum Lugdunense Romam rediret, ac Florentiam interdicto suppositam declinaturus, Aretii obiisset, hic Romam perrexit, ubi aliquandiu temporis haesit, donec in patriam revocatus, curam ecclesiae cujusdam suscepit. Hic scripsit

Laudes, Acta, Vitam, ac Mortem Gregorii Papae X. lib. I. "florido stilo," ait Joannes Fraserius in Oblatione ad Haereticum, ex bibliotheca Killossensi.

Vivebat anno MCCLXXV.

## QUINTINUS KENNEDIUS. 781.

QUINTINUS Kennedius, comitis Cassiliae frater, Crucis Regalis abbas, ingens literatorum fautor, magno et nobili animo haeresi in Scotia nascenti familiaribus colloquiis, ac scriptis restitit, nihil omittens quo Catholicam fidem strenue propugnaret. Ejus sunt opera, Joanne Leslaeo auctore:

De Conciliorum Auctoritate	lib. I.
De publico Ecclesiae Sacrificio	lib. I.
Contra Errores Germanorum	lib. II.
Fidei Capita quatuordecim defensa contra Georgium Sophocardium	lib. I.

Atque haec typis vulgata, inedita vero sunt:

Responsio ad Joannis Davidsoni opus	lib. I.
De vetitorum Ciborum Abstinentia	lib. I.
De illicito Presbyterorum Matrimonio	lib. I.
De Cultu Imaginum	lib. I.
Palinodia Willoxio reddita XXIX. Martii MDLXII.	lib. I.
Querimonia super Knoxii Fraude et Impietate	lib. I.
Oratio pro Obedientia supremis Potestatibus, habita die ul-	

tima Augusti MDLXII. lib. I.

De Praesentia Corporis in Sacramento Altaris lib. I. dicitur  
prodiisse.

Florebat anno MDLXIV. obiit autem die XXII. Augusti eodem anno.

JACOBUS DE KELSO. 782.

JACOBUS de Kelso, Benedictinus reformationis Tironensis, inter celebratissimos gentis nostrae scriptores jure laudatur, vir incomparabili judicio, mathematicarum callentissimus. Scripsit

Breviarium Astrologicum lib. I.

Canones Directionum lib. I.

Super Errores Veterum lib. I.

Defensionem Astrologiae lib. II. ut ex indice librorum illius  
coenobii Richardus Brunus prodidit.

Commentarios in quaedam Archimedis lib. I.

Poemata sacra lib. I.

Floruit anno MCDLXXV.

ANONYMUS KILWINNINUS. 783.

ANONYMUS Kilwinnius, aut Kilwinninus, ejusdem ordinis frater, coenobii sui etiam prior, ad eandem famam cum Jacobo superius nominato contendit, licet dispari successu. Scripsit

Pro Alphonsi Tabulis contra Fratrem Jacobum lib. I.

Nova Musica ex Platone lib. I.

Vixit anno MCDLXXV.

ROBERTUS KETHUS. 784.

ROBERTUS Kethus, frater Comitis Martialis, vir non minus eruditione, et vitae continentia, quam generis claritudine illustrissimus, abbas Deirensis, multa egisse dicitur, quo collapsos ecclesiastici ordinis mores restitueret, acerrimus vitiorum in illo hominum genere vindex et censor. Scripsit et publicavit

Ad Clerum Monitoria lib. I.

De Primitivae Ecclesiae apud Scotos Sanctitate lib. I. quod opus Jacobus Langius, Sorbonicus doctor, Scotus, publici juris facere voluit; an fidem liberarit, nescio.

Obiit Lutetiae anno MDLI. die XII. Junii, sepultus in aede sacra Carmelitarum ante aram S. Niniani Scoti:

DAVID KINEARDUS. 785.

DAVID Kineardus, Soc. Jesu presbyter pius et doctus, ut plerique ex illo grege, scripsit

De Vocatione Ministrorum	lib. I.
De Ecclesia	lib. I.
De Sacramentis	lib. I.
De Capite Ecclesiae	lib. I.

Vivit adhuc in Germaniis, et quotidie popularium suorum, ut audio, saluti scriptis studet, gravis, diligens, et famae magnae theologus.

DAVID KYNALOCHUS. 786.

DAVID Kynalochus bonas artes in Germaniis didicit, docuitque secunda ingenii fama. Ejus ego, e multis quae edidit, pauca tantum videre potui.

De Generatione Homini	lib. I. opus ingens et grave, versu eleganti.
De Morbis Corporis humani	lib. I.
In Galeni et Hippocratis locos difficiles	Comment. lib. I.
In Petrum Goldmannum Epigrammata, et Satyrae,	lib. I. ut audio, venustissimae, multorum manibus circumferuntur.

Vivit adhuc Alecti seu Deidoni, ubi natus, et medicinam liberaliter multorum commodo et fructu exercet.

JACOBUS KLELANDUS. 787.

JACOBUS Klelandus, nobili loco natus, duci Leviniae familiaris, bonis literis serio, et sine fuco, domi et in Galliis studuit, aulam

aliquandiu Britannicam secutus, tandem pertaesus vitae illius secessit. Ejus sunt :

Epistola ad Fratrem, qua e Galliis illum hortatur mitius Catholicos tractet. Ab eo opere magna in caput ipsius invidia derivata est.

De Rebus Britannicis lib. I. opus ingens, varium, et magnae famae.

Vivit adhuc Cantuariae, et Musarum delitias operose colit.

FINIS LIBRI DECIMI.



# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER XI.

### S. LUCIA DE MONTE. 788.

S. LUCIA, cognomento de Monte, regis Scotiae filia, cujus vita in officio, Breviario Scotico ei nuncupato, haec fere colligi potest. In aula a tenera pueritia educata, eleemosynis ac orationibus assidue vacabat: audito in ecclesia evangelio omnia vendere exhortante, ut perfecta esset, statim se totam Christo devovit; et furtim aufugiens, ut quod in aula non posset in eremo tentaret, transmissa Francia venit in Lotharingiam, et cum Mosam in episcopatu Viridunensi trajicere pararet, amnis miraculo intumescens transitum negavit. Eo igitur loco, quasi divinitus admonita, substitit, et a Theobaldo quodam viro insigniter pio recepta, praeclara sanctitatis argumenta exhibuit, victum labore manuum quaerens. Fons e sepulchro natus, qui languores quoslibet sanat, cui subscripti hi versus:

Flos sudans rorem ascendit ad montis honorem,  
Et super hunc florem Deus inspiravit odorem:  
Flos, virgo, ros, grata salus, odor, aura salutis.

Floruit anno . . .

### S. LEVINUS. 789.

S. LEVINUS, aut Livinus, Lebuinus, episcopus Gandavensis, ut placet Caesari Baronio: ut alii volunt, "Scotorum archiepiscopus, et martyr," ait Anton. Possevin. Appar. CCCXLIV. Bibliotheca Minorum Patrum. V. CL. Joannis Gualterii Chronic. Chronicor. pag. MVII. "Levinus archiepiscopus Scotorum, et martyr;" cujus vitam habet Surius tom. VI. ex Hucbaldo Elmonensi monacho ad Baldricum episcopum Trajectensem; quam vitae historiam laudat impensius Petrus archidiaconus Cameracensis. Lebuinus

autem ab eo auctore dicitur quasi Leswyn, quod sonat *carus amicus*; sed frequentior usus Livinum vocat, de quo plene Meierus in Annalibus Flandricis, et ejusdem acta celebraverat S. Bonifacius, archiepiscopus Moguntinensis, qui MS. extat Lovanii, teste Joanne Molano. Passionem vero versu extulit Henricus Ladius Latinus rogatu Letteri, Aegidius Honcarius presbyter, quem, licet Ascensiano prelo emissum, non potui adhuc videre. Acta etiam ecclesiae Gandavensis MSS. Hunc Apostolum Transiselanorum vocat Theatrum Conversion. Gent. apud Arnoldum Uvionem lib. II. Ligni Vitae cap. LVII. nisi forte alius sit, quod non putem. Petr. Cratepolius Episcop. German. "natus in Scotia," pag. XCIX. Verba Christiani Massaei Cameracenatis de eo sunt lib. XIII. Chronicor. Mundi: "Sanctus Levinus, natione Scotus, archiepiscopus Hiberniae, vel Sylvestris Scotiae, Gandavum venit cum tribus discipulis XVI. Julii indictione VI. et mansit illic mense uno; deinde profectus ad Escam praedicavit Christum, multosque convertit: quidam vero indurati occiderunt eum XII. Novembris ejusdem anni; decollatus autem, erexit se, et tulit caput suum, et portavit in Hontthem in sepulchrum angelicis manibus praeparatum, ubi quievit annis CCVIII. deinde levatus a Theodorico Cameracensi pontifice." Vide quae sequuntur. Hunc vero, Francorum Orientalium et Saxonum apostolum, ut loquitur Hucbaldus Elmonensis in Vita ejus cap. VI. Scotia protulit, primum sane, quod sciam, illius gentis archiepiscopum. Ut ecclesiam inter silvestres vel montanos Scotos, ita crediderim in ea regione illum natum, quae tum optima Scotici regni pars erat; declives enim et orientales tractus Picti ea tempestate occupabant. Molan. Indic. SS. Belgii pag. XLV. non tantum Scotum docet esse, sed sacro fonte susceptum a S. Augustino, Anglorum apostolo. Plane evincit idem in Chron. SS. Belgii pag. LXXXIII. "Multi etiam de Scotia vel Hibernia in Galliis peregrinantes, verbum Dei seminabant, multumque fructum Deo faciebant per Hannoniam, Brabantiam, Flandriam, et loca vicina: primum S. Livinus archiepiscopus, qui ex Scotia Gandavum venit." Persequitur deinde de SS. Fursaeo, Foillano, Ultano, Fredegando, Wasnulpho, Ettone, qui apud Avesnas concionatus, Bertuino, qui Maloniam monasterium condidit, Eloquio, qui Walciodorum fundavit, qui omnes aposto-

lici Scotiae meae viri fuerunt. Constantin. Ghinius pag. **xxcix**. “ In portu Gandensi natalis S. Livini, episcopi et martyris: hic adhuc puer in Scotia, non modo pietate, verum etiam miraculis clarus fuit.” Eum S. Radbodus, episcopus Trajectensis, ex Anglia venisse scribit, quia scilicet patres nostri eo aevo peregrinationem suam incipiebant per Angliam, vel quia pleraeque ecclesiae a Scotis ea in gente regabantur, ut saepe hoc opere ostensum, vel quia spes erat aliquam eos evangelii lucem Anglis adhuc infidelibus posse infundere, vel sane quia iter illud in Gallias est commodissimum. Sic ergo ille:

Inclytus Anglorum veniens Lebuinus ab oris,  
Sacris virtutum meritis, et remige Christo,  
Saeva procellosi compressit flumina Rheni.

Sacram ejus memoriam ecclesia recolit **xii**. die Novembr. quo martyrium est passus. Martyrologium Romanum: “ In portu Gandensi S. Livini, episcopi et martyris.” Subjungit deinde: “ In Belgis S. Lebuini, presbyteri et confessoris.” Unum eundemque Livinum, Lebuinum, et Levinum esse constat. Sed tamen distinguit et Joannes Molanus Addition. ad Usuardum eodem die: “ Apud Isclam fluvium Daventriae S. Lebuini, presbyteri et confessoris;” et tamen Christianus Massaeus supra Levinum nostrum ad Escam fluvium evangelium nunciasset dicit, qui non videtur alius ab Iscla. Subdit Molanus eodem die: “ Beatae Craphaildis et Brixii pueri martyrum cum S. Livino, quorum corpora Gandavi habeantur in tumbis portatilibus.” Idem die **xxvi**. Junii: “ In Gandavo elevatio S. Livini martyris, et translatio secunda corporis ipsius.” Hinc argumentum duco eosdem eos esse; et S. Lebuini corpus etiam secundo translatum tradit Hucbaldus in Vita ejus cap. **xvii**. Scripsit vero

Homilias aliquot

lib. i.

Epitaphium Allonini, Austrasiorum Ducum haeredis, lib. i.  
Latine, et docte, ait Balaesus.

Florebat anno **dcxxxiii**. ut verior sententia, Baronius, et alii, praesertim Breviarium Gandavense, ex quo vitam ejus compilavit Franciscus Haraeus pag. **mii**. qui distinguit **ss**. Livinum et Lebuinum. Sunt qui in annum rejiciant **mvii**. Possevinus loco laudato: quae opinio haudquaquam probabilis; nam qui in vita nominantur, aliud tempus convincunt.

## S. LOLANUS. 790.

S. LOLANUS, incomparabilis virtutis episcopus, cujus vitae continentiam crebra miracula apud Scotos loquebantur, cum invecta haeresis improbissima, pios Dei cultus regno eo eliminare ausa est. Fuit hic Regi Duncano familiaris, cujus neque consilium in occupando regno probavit, et exitum saepe praedixit. Scripsit

Commentarios in Biblia	lib. I.
De Republica Christiana	lib. I.
Hymnos sacros	lib. I.
De inaestimabili Dilectionis divinae Effectu	lib. I.
Passionis Christi Typum	lib. I.
De Incarnationis Mysterio	lib. I. Quae in bibliotheca Sconana extraxit furor haereticorum, et igne consumpsit; vir tamen pius memorias apicum saltem vindicavit.

Vixit anno MXXXIX. Colitur, templis ei variis regni locis erectis, die XXII. Septembris. Breviar. Scot.

## S. LAUSTRANUS. 791.

S. LAUSTRANUS, episcopus Scotiae, sed incertum cujus sedis, dum controversia ageretur de tonsura clericali, et celebratione Paschatis, ut saepe hoc opere est dictum. Extant tom. III. Concilior. in decretis Honorii I. cap. XIX. pag. LXIII. haec verba: "Dilectissimis et sanctissimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano, Bathano, et Laustrano, episcopis; Chromano, Hermanno, Stellano, et Segiano, presbyteris; Sarano, caeterisque doctoribus et abbatibus Scotis, Hilarius archipresbyter, et servans locum S. sedis apostolicae, Joannes diaconus, et in Dei nomine electus, item Joannes primicerius, et servans locum S. sedis apostolicae, et Joannes servus Dei, consiliarius ejusdem apostolicae sedis." Nec plura de illo, cujus mentionem cum aliis non fieri ab Hectore Boethio lib. IX. valde demiror, maxime cum ille hanc epistolam laudet, et quosdam in ea nominatos celebret. Scripsit, ut contextu epistolae illius patet,

Epistolas ad Hilarium et ceteros	lib. I.
----------------------------------	---------

Vixit anno DCLXIV.

## S. LACINUS. 792.

S. LACINUS, seu Lactinus, episcopus Scotus, in patria sua fidelis pastoris partes implevit, Pictos ad meliorem vitae normam revocavit, plurimum in insularibus erudiendis curae ac laboris impendit. Nescio cur Henricus Fitzsimon Societatis Jesu eum Hibernis suis donarit, cum Petrus Canisius et Martyrologium Carthensianum eum Scotiae adjudicent. Opera vel non edidit, vel ad nos non pervenerunt.

Annus incertus. Colitur XIX. et XX. Martii. Iidem auctores.

## S. LESMO. 793.

S. LESMO, abbas in montibus Argadiae, non longe monasterio S. Filiani, postea in Glentanire eremita, cujus praeclaram conversationem servant loca in Scotia; in provincia Stryla Killesmont, quasi *Lesmonis cella*, Thomae Dempsteri ac majorum, cum arce, patrimonio; in Argadia Kilmon, corrupte pro Killesmon, prope Touuart; in Glascoensi agro Lesmohago, licet haereticus historicus somnium fingat, ut sit e Gallico *Péglise de Mathul*, sive ecclesia Mathuli, nulla vocum vicinia. Acta omnia, quantum sciam, interierunt.

Vixit confessor anno DCCXXXI. Colitur IX. Decembris.

## S. LEVINUS. 794.

S. LEVINUS, cognomento Senior ab aetate sua, et simul tempore desumpto, episcopus in Italia Transpadana, urbe resedit Verbanis Lacui Maximo appositis. De hoc porro lacu, quem vulgo appellant *il Lago Maggiore*, Virgil. lib. II. Georgic. ut placet Varrerio, corrigendus levi opera:

Anne lacus tantos? te Lari, Maxime, teque,  
Fluctibus et fremitu assurgens, Benace, marino?

Prius erat *te Lari maxime*. Et Levinus quidem nostras populos huic lacui vicinos ita erudivit exemplo, ut jure regionis patronus

habeatur, ibidem etiam martyrio coronatus. Extant acta apud Philippum Ferrarium; opera interiere.

Floruit anno DCIX. dies est incertus. Plura S. Bonifacius in Vita S. Livini archiepiscopi.

#### S. LIBARIA. 795.

S. LIBARIA, aliis Liberta, et nonnullis Libraria, secunda soror e tribus martyrum pretiosorum SS. Eliphii et Eucharii; ipsa vero "martyr apud civitatem nomine Grandem:" nescio an non *Gandavum* legi debeat; nam eo Belgarum tractu et virgo passa martyrium, et regia ducum Burgundiae est: aliter tamen Ortelius censuit: "Grandis Galliae civitatis nomen in vita S. Eliphii martyris: circa Tullum est." Tu, lector, judica. Acta virginis petenda ex Vita fratris, quam scripsit Rupertus Tuitiensis abbas ad Albanum S. Martini Coloniae Scotorum abbatem, cap. I. quam ex eo recitat Surius tom. V. die XVI. Octobris.

Passa, est martyrium virgo innocens sub Juliano parabata anno CCXCI. Colitur Tulli die XIX. Januarii. Acta loci. Demochares.

#### S. LUA. 796.

S. LUA, aliis Luanus, monachus Benedictinus Scotus, civis ac discipulus, et peregrinationis apostolicae S. Columbani Scoti participes, ut illius sancti viri vita docet. Hic a nauta, praesente magistro, percussus, quod graviter Columbanus tulit, Jonas cap. XXIII. atque hoc actum in Ligeris ripa, post exilium Burgundicum; ex quo colligitur domo Scotum fuisse, nam Lexovio cum illo discedere nemo passus, nisi qui e Scotia una venisset, idem Jonas cap. XXII. Hic ad Benchorensem sedem ac monasterium, servus Dei populatissimum, Scotorum in Hibernia coloniam, reversus, ut apparet ex Vita S. Malachiae a Divo Bernardo descripta. Scotum autem facit, ut cetera omittam, ipse Jonas cap. XIX. Vitae Columbani; nam cum in patriam vir sanctus cum discipulis suis redire pararet, oblatae sunt ipsi naves commodum merces Scoticas ferentes, quod mire animum confirmavit; ac tum apostolatu relicto repatriasset, nisi

aliter Deo visum fuisset. Hinc colligo, et illum, et discipulos, et merces illas ejusdem esse gentis : vide lib. III. in *S. Columbano* : nam verisimile non est Scotum magistrum alienae gentis homines in comitatum suum adsciscere voluisse. Scripta Luae ad memoriam nostram non venere.

Floruit redux anno DL. Colitur XII. Julii. Martyrolog. Anglic.

#### S. LUCIA. 797.

S. LUCIA, virgo Ursulana, martyr, gloriosas suas reliquias divinitus revelare dignata, in regione Coloniensi ac Trevirensi colitur : sanctorum operum gloriam miracula, quae Deus per eam operatur, attestantur. Ado in Martyrologio, et P. Canisius.

Passa est anno, die, et loco cum aliis communibus, CDLIV.

#### S. LUGADIUS. 798.

S. LUGADIUS, abbas Scotus, Divo Columbae in Scotia triginta annis haerenti familiaris, ut auctor Adamannus in Vita illius, monasterium rexit a se conditum in insula modica, quae in freto medio sita, quod Scotiam ab Hibernia dirimit ; haec quidem una earum quas veteres Hebudes appellarunt, Giraldus Cambrensis Leucasas, sive Inchadas : Ethicas vero nescio qua ratione Beteoricas, nisi forte, quod fretum Hispanicum despiciant. Porro Lugadius Raclinam elegit, in qua domicilium Deo conderet, quo brevi tantus monachorum numerus convenit, ut opus fuerit in continentem multos remittere. Observa hic, lector, ecclesiae illius fervorem, et ardentissimum Deo serviendi studium ; nam cum monachi illi potuissent in continenti, locis fertilibus, coenobia sua constituere, unde et necessaria victui sibi ipsis pararent, atque aliis etiam prodessent conversatione, maluerunt tamen solitudine abditi suae animae prospicere, ac piscibus, lacte, fructibusque silvestribus vesci ; haec enim ipsula Richea, seu Ricina, ut et ceterae, fruges non producit, ut Solinus notavit : et haec erant aurea illa, ac divino cultui mancipata secula, quibus religiosi vinum, cervisiam, aut panem nescirent. Vir S. Lugadius unus e primis videtur, qui austeram hanc vivendi legem sibi suisque proposuerint, cujus discipulus S. Aidanus eandem re-

gulam a monachis ad praesules transtulit.	Scrripsit Lugadius
Doctrinale Monachorum	lib. i.
Laudes Paupertatis	lib. i.
Regulam ad suos	lib. i.

Depositus est ultimo senio anno DCXXX. Colitur die XXIIX. Novembris, ut nundinae fidem faciunt.

### S. LULLUS. 799.

S. LULLUS, sive, ut habet Krantzius Saxon. lib. II. cap. xv. Lullo, archiepiscopus Moguntinus, S. Bonifacii successor, ex abbate de Illminster in Boiaria. Educatus in Anglia, ut multi alii eo seculo sancti Scoti; quare in Martyrologio Romano Anglus vocatur, quod de conversatione est intelligendum; nam Scotus ortu, ac sanctus Bonifacii consanguineus ab Othlono Fuldensi vocatur, Vita S. Bonifacii cap. xxx. deinde in Scotchronico sic habetur de Sancto Lullo Scoto, S. Bonifacii Scoti successore:

Antistes Lullus, quo non est sanctior ullus,  
Occurrit morbis, ut totus praedicat orbis.

Qui plura cupis, adi ad Surium tom. v. qui vitam ejus affert ex Breviario Moguntino, Vincentium in Speculo lib. xxiii. cap. clvii. Hermannum Contractum, Trithemium, et alios. Scripta habentur apud Pitseum.

Creatus antistes anno DCCLV. depositus est anno DCCXXCVII. Colitur die xvi. Octobris. Omnes hagiologi.

### S. LUPITA. 800.

S. LUPITA, virgo Scota, Divi Patricii Scoti, apostoli Hiberniae, soror uterina, fratrem suum ad evangelicum opus proficiscentem secuta, magnorum laborum particeps evasit, et in divorum album relata ab utraque gente colitur. Jocelinus de Furno in Vita S. Patricii cap. l. et alii auctores.

Claruit anno CDXCII. Dies cultus incertus.



## LADILANDIUS. 801.

LADILANDIAE dominus N. Graimus, vir Catholicis virtutibus instructissimus, cum sectariis ministris morem gerere nollet, sed Catholicae ecclesiae adhaereret, saluti suae animae prospecturus, conficto crimine ab iisdem petitus, cum ab eo sceleris poena exigeretur ab alio admissi, subducens se eorum violentiae, nec contra leges, etsi falso insimulatus, se movens, ad Ailzenam in mare actus, ne simplici quidem morte defunctus, demersus, ac glande plumbea trajectus, quasi terra et aqua innocentis in caedem conjurassent, vitae exitum felicem sortitus. Brunus Miscellanea Historia Ecclesiastica pag. I.

Caesus est sub annum MDC.

## ANDREAS LECHA. 802.

ANDREAS Lecha, doctor theologiae, strenuus Christi athleta, veritatem evangelicam, sanctaeque matris ecclesiae unionem verbo et scripto firmavit, jure merito illis annumerandus, qui nascenti haeresi obstiterunt. Joannes Leslaeus pag. DLXVII. in Histor. Scripsit, quod prius disputaverat,

De reali Praesentia lib. I.

De Consensu Ecclesiae Catholicae lib. I.

Haeresis Mores lib. I.

Florebat anno MDLXII.

## EPIPHANIUS LINDSAY. 803.

EPIPHANIUS Lindsay, nobili sanguine, non longe Dumfrisio, oriundus, sed factis, et morum continentia nobilior, Capucinatorum regulae se tradens, crebro in patriam remissus, haereticos disputando impietatis convicit. Scripsit

Controversias lib. I.

Vivebat anno MDCXX.

## JOSIAS LOGAN. 804.

JOSIAS Logan Scotus veterum illorum Scotorum exemplum reduxit, qui peregrinationem, ut aiebat ille, in naturam verterant: profectioe votiva ad loca sancta instituta, Europam omnem, Asiam universam, totam Africam, incredibili labore lustravit; tum redux domum scripsit, atque Dumfermelini, patria illa sua, deposuit

Historiam Peregrinationis suae lib. I.

Peregrinabatur anno MDII. Laudant Jacobus Cheynaeus et Purchasius.

## JOANNES LUNDIUS. 805.

JOANNES Lundius, canonicus Brechinensis, vir ornatissimus ac simul doctissimus, ut illa ferebant tempora, scripsit, ut in indice Cuprensi reperio,

Brechinensis Sedis Successionem lib. I.

Vivebat anno MCDLIII.

## JACOBUS LETHUS. 806.

JACOBUS Lethus, vulgo Leith, nobili familia, in agro Aberdonensi, natus, ad virtutem et scientias compositus, docuit magna cum laude in Becodiano humaniores literas Lutetiae, doctorum corculum, moribus suavissimis, academiae Parisiensis rector: tum ab umbratili pulvere secedens, Hippocraticos doctoris apices adeptus, medicorum nulli, aut eruditione aut medendi felicitate, secundus, gentem suam ornat, et amicos, in quorum cohorte Thomas Dempsterus, licet in ultima, reponi gloriatur; qui non levi beneficio, prima sua aetate, ei obstrictum se agnoscit, repositurus si posset, sin minus, gratam memoriam conservaturus. Scripsit, quod ego quidem viderim per discipulos recitatas,

Declamationes pulcherrimas lib. I.

Vivit adhuc Parisiis, et clinicen cum laude et fructu exercet.

## MARCUS LEO. 806.

MARCUS Leo, illustrissima comitum Kingorniae gente oriundus, post Gallias Germaniasque lustratas, in Italiam, plenus bonarum artium, descendit; et cum Atestini principes Ferrariensem scholam publicam, summo literarum ornamento, nec minori sua fama, aperirent, unus eorum is fuit, qui jus civile interpretandum suscipere, ut ex actis illius academiae vir ornatissimus habet in praefatione solenni, Petrus Gerius, patricius Aretinus, doctor et lector primarius legum civilium, ac Ferrariae praetor. Scripsit

De Testamentis	lib. I.
De Re Militari	lib. I.
De Officio Magistratuum Lecturas	lib. IV.

Docebat anno MCCCXII.

## THOMAS LEICHT. 807.

THOMAS Leichtus, monachus beatae Mariae semper Virginis de Monte Carmelo, prior Tullilensis prope Perthum, tum totius ordinis per Scotiam provincialis, a Richardo episcopo Dunkeldensi jus condendi monasterii impetravit, vir sua aetate longe clarissimus ac compositissimus, primus Carmelitarum in illud regnum introductor, in Galliis vestitus. Scripsit

Pro Rege Alexandro ad Papam	lib. I.
Conciones per Annum	lib. I.
De Immunitate Ecclesiastica de Sonis.	lib. I. Laudat Amedelius

Vixit circa annum MCCXXXI. sub Rege Alexandro.

## GEORGIUS LANDELLIS. 808.

GEORGIUS Landellis, doctor ac J. C. eximius, diu patria extorris peregrinus, tandem Bononiam, Aemiliae caput ac Musarum delicias, appulit; ibidem juris civilis professionem orsus, maximo

patriae suae ornamento, nec minore ingenii existimatione se gessit.

Scrpsit

Volumen Legum	lib. I.
Lecturas Juristarum	lib. I.
Artium Nexus	lib. I.

Rediit in patriam anno MCCXCI. et sepultus Sconae.

### S. LAURENTIUS. 809.

S. LAURENTIUS, cognomento Scotus, socius Tanconis, Pattonis, Har-  
ruchi, et Kortilae, Brunoni filio Othonis, Saxoniae ducis, dum epi-  
scopus is esset Verdensis, comes adhaesit, eundemque pontificem  
maximum renunciatum Romam secutus est: fuit is Gregorius V.  
vocatus, cujus pontificatui indivisus hic comes honorem et sanc-  
tatem ipsius operibus tutatus est; scripsit enim, ut alia omit-  
tam,

Contra Adeobaldum Antipapam, et Crescentem Romanum,  
lib. I. Meminit Theodoricus a Niem opere de Schismati-  
bus, ipse schismaticus et perditus homo.

Hujus est epitaphium Gregorii illius ad D. Petri prope altare Divi  
Andreae :

Hic, quem textit humus, oculis vultuque decorum,  
Papa fuit quintus nomine Gregorius,  
Ante tamen Bruno, Francorum regia proles,  
Filius Othonis, de genitrice Judith ;  
Lingua Teutonicus, Vangia doctus in urbe,  
Sed juvenis cathedram sedit apostolicam,  
Ad binos annos, et menses circiter octo,  
Ter senos februo commemorante dies.  
Pauperibus dives per singula Sabbatha vestes  
Divisit numero cantus apostolico.  
Usus Francisca vulgari, et voce Latina,  
Instituit populos eloquio triplici.  
Tertius Otho illi Petri commisit ovile,  
Cognatis manibus unctus in imperium.  
Exiit et postquam terrenae vincula carnis,

O

Aequivoci dextro substituit lateri.

Feruntur et alia quaedam Laurentii nostri in bibliotheca Vaticana asservari, et, ut existimo, illius est

De Actis Gregorii V. lib. I.

Claruit anno CMXCV.

THOMAS LEIRMONTH. 810.

THOMAS Leirmonth, cognomento vulgari Rhythmicus appellatus, sive Versificator, nobilissimae familiae princeps, ac toparcha, insigni fuisse perhibetur futura praedicendi scientia: inter alia memorabile illud fuit vaticinium de morte Alexandri III. regis, referente Hectore Boethio lib. XIII. Histor. Scot. ad finem. Celebre est etiamnum hodie apud nostrates nomen, et viget familia. Scripsit

De futuro Scotiae Statu lib. I.

Rhythmos vernaculos lib. I.

Florebat anno MCCLXXXII.

ALEXANDER LEO. 811.

ALEXANDER Leo ex nobilissima familia, quae originem habet circa annum MCCLXXXV. auctore Joanne, qui Roberti Bruis regis ex Elizabetha matre regina filiam clam stupratam in uxorem duxerat, agrosque Glammis in dotem e regio fisco acceperat, ut narrat Hect. Boeth. lib. XVI. Historiae Scot. pag. CCCXXIX. Fuit ex hac familia Alexander noster, qui Lutetiae Parisiorum didicit bonas artes, dicitque, Moraviensis ecclesiae, qua nulla, religione aut fabrica, augustior, cantor, vir singularis ingenii. Scripsit multa, sed ego tantum vidi

Praefationem super Historia patria ad Nobilitatem Scotticam lib. I.

Vivebat Parisiis, clara ingenii fama, anno MDXXVII.

JACOBUS LAINGAEUS. 812.

JACOBUS Laingaeus, natus in Achterles, hereditario baronatu Dempsterorum Mureskiae, doctor theologiae, socius Sorbonicus, acer-

rimus haeresis hostis, vitae probatissimae ac variae lectionis, doctissimus sui ordinis habebatur, impense laudatus a Joanne Roennio, Gymnasii Thesaurarii praefecto, in oratione de Laudibus Sorbonae; et incassum ranae Hirlandicae tanti viri laudibus *ob eo axant* [l. detrahant] in libello famoso suo vili, indocto, ab ecclesia proscripto. Scripsit multa; in his,

In Magistrum Sententiarum lib. iv.

In universam Aristotelis Philosophiam Commentar. lib. i. vidi apud ipsum MSS.

Quodlibeta Sorbonica lib. i.

De Vita, Doctrina, Obitu Lutheri, Calvinii, aliorumque Haereticorum, lib. i. pium et veracem, qui ex Gallico Latinus pridem factus, mox etiam Germanicus prodiit Ingolstadii anno MDLXXXII. Antonius Possevinus tom. II. Apparatus Sacri pag. LXXIX. Ex hoc multa mutuatus est Florimundus Remundus, opere de Ortu, Augmento, et Casu Haereseos, et alii.

Obiit anno MDXCIV. in Sorbonensi sacello, prout testamento praescripserat, sepultus. Vixit aquilae senectam annos XCIII. Summa ipsius fuit claritudo sub annum MDLVII.

#### JOANNES LITSTAER. 813.

JOANNES Listaer, alias Tinctor, "insulae Columbae coenobiarcha, vulgo dictus prior," ait Boethius lib. XVI. Histor. Scot. pag. CCCXLII. Ex XIII. doctoribus theologis fuit, qui a Jacobo I. ex Anglia reverso vocati, sacram paginam sunt interpretati. Scripsit

In Pentateuchum Moysis lib. v.

In omnes Epistolas Pauli lib. i.

Vixit anno MCCCXCIX. Hic a Benedicto XIII. prior S. Andreae renunciatus, cum Willelmus de Cameron obiisset Brugis, ut videbis Titulor. Memorial. lib. VII. cap. IV.

#### JOANNES LESLAEUS. 814.

JOANNES Leslaeus Aberdonensis, celebri fama bonas artes Lutetiae Parisiorum professus (Acta Nationis Germanicae ad DD. Cosmi et Damiani) scripsit

Examen in Artem brevem Raimundi Lullii lib. I. ad id  
senatu Parisiensi S. C. electus. Prodiit typis Stephani Ba-  
land, Lugduni.

Lecturas Philosophicas lib. I. Ibidem prodierunt.  
Claruit anno MCCCVII.

#### JOANNES LESLAEUS. 815.

JOANNES Leslaeus Crychius Aberdonensis, cognatus meus, ex nobilis-  
sima Balguhama familia, unde mihi maternum genus, ortus, suscepta  
Romam peregrinatione, meliori Europae parte lustrata, Nemausum,  
ubi ego regiam eloquentiae cathedram tenebam, venit Uticensi  
scholae praepositus; in Hispanias profectus clarissimum sibi et genti  
nomen peperit, ingenio cujuslibet rei magnae capaci. Scripsit multa,  
sed ego paucula vidi: in his

De Memoria artificiali Commentarius lectu dignissimus lib. I.

Orationes lib. I.

Carmina.

In omnia Aristotelis Opera Observationes lib. I.

Vivit Beriaraci, ut audio, quo se Hispanici coeli taedio contulit, et  
bona fide literas illustrat.

#### ALANUS LUMSDANUS. 816.

ALANUS Lumsdanus Tholosas studiis suis illustravit. Scripsit

Antiquitates Tholosae lib. I.

De Tholosanae Academiae Jure atque Praerogativis lib. I.

Claruit circa annum MCCCXCV.

#### LIBERIUS. 817.

LIBERIUS, poeta Christianus antiquissimus in Bibliotheca SS. Pa-  
trum, scripsit

Acrostichum in Sedulium Scotum lib. I.

Floruit anno CCCCL.

## LISMORENSIS MONACHUS. 818.

LISMORENSIS in Argadia ecclesia antiquissima erat, episcopali honore jam tum decorata, cum res fidei coepere bene in eo regno se habere. A pio hujus coenobii alumno quodam anonymo scripta erat

Conversio Scotorum

lib. I.

Quando floruit, non licet observare ex scriptione; hoc modo ex eo constat, principem illius egregiae ad nostrates Romanae legationis fuisse Paschasium. Videtur vixisse anno DXXX. nam meminit Regis Conrani.

## HENRICUS LICHTONUS. 819.

HENRICUS Lichtonus, Moraviensis episcopus, religionis eximius cultor, ac eruditionis sacrae radians quaedam lampas, in unum corpus laboriose redegit

Canones Ecclesiarum Scoticarum lib. I.

Catenam auream Patrum lib. I. quae prodiit Venetiis.

Vivebat anno MCCCCLX. Joannes Leuchaeus lib. VIII.

## THOMAS LAUDER. 820.

THOMAS Lauder, Dunkeldensis episcopus, omnium non illius modo sedis, sed et quorumlibet sui seculi antistitum eo regno eminentissimus, piissimus, doctissimus; cujus tempore vivebat Alexander Millus canonicus, qui illius ecclesiae acta luculento et erudito stylo conscripsit. Hic Jacobum II. regem bonis artibus informaverat: episcopatum non nisi invitus accepit anno LX. aetatis, nec tamen laborem juvenilem fugit, nam et docte ipse singulis hebdomadis concionabatur, et disciplinam ecclesiasticam moresque cleri mire restituit, exemplo, hortatu, terrore, poena; agros ecclesiae suae cis et trans Taium divisit, firmavitque regio diplomate, ne negligentia decessorum aut rapacitas, successorumve incuria obesse sedi posset; aedes sacras incredibili animo et magni-



ficentia restauravit, auxit, de novo erexit, vestiarius supellectile aurea et argentea, vestibis pretiosis instruxit ornavitque, canonicorum numerum auxit, sacella fundavit, musicos suis sumptibus in perpetuum stabilivit, ponte insigni Taurum stravit, turrim seu campanile a fundamentis extruxit; et, ne ingenio minor quam alii actibus videri possit, scripsit

Vitam Joannis Episcopi lib. I. Hic est de quo lib. IX. supra, qui S. Andreae designatus, post VII. annorum in curia Romana moras, Dunkeldensis antistes obiit, miraculorumque gloria irradiavit.

Concionum sacrarum opus	lib. I.
Postillas in Evangelia	lib. I.
Canones Ecclesiae suae	lib. I.

Obiit anno MCCCCLXXXI. die IV. Novembris; sedit annis XXVI. Epitaphium ei ex more positum hoc reperi numerale, sed corruptissimum:

Grege, sine moestitia Christo funde precata  
 Pro pastore Thoma Laudir aureola;  
 Quem sanctum Pneuma ducatur, pius atque Columba,  
 Ad coeli summum, Virgo Maria thronum.  
 Vixerat hac sede praesul fulgendo decore,  
 Annis ter denis actibus innumeris,  
 M. semel L. et ter ac uno c. quater annis.

Putarim corruptum posse facile sic restitui epicedium:

Grege, sine moestitia jam Christo funde precata  
 Pro pastore Thoma Laudir aureola;  
 Quem sanctum Pneuma adducat, pius atque Columba,  
 Ad coeli summum, et Virgo Maria thronum.

### JOANNES LEOCHAEUS. 821.

JOANNES Leochaeus Duci Tremolio nuper inscripsit poema, cui titulum fecit,

Flores Kalendis Maii	lib. I.
De Spe Epos	lib. I.
Contra Episcopos Scotos Satyram, quo nomine exilio multatus.	

Vivit in Galliis, et Musae praesidiis relegationem solatur.

LAURENTIUS LONDORIS. 822.

LAURENTIUS Londoris, abbas Sconae, legum professor primus in academia Sanctandrea, "haereticae pravitatis inquisitor," Scotchron. lib. XVI. cap. XIX. una cum Litstaer, a Jacobo I. invitatus cum octo aliis decretorum professoribus, ut narrat Hector Boethius loco supra proxime laudato, vir magnae famae, majoris meriti. Edidit, ut est in Bibliotheca Juridica,

De Electione, et electi Potestate, lib. II.

Examen Haereticorum Lolardorum, quos toto regno exegit, lib. I.

Processum Petri Krek, Haeresiarchae Angli, lib. I.

Florebat anno MCCCCXI.

JOANNES LESLAEUS. 823.

JOANNES Leslaeus paupertinum ortum magnis virtutibus illustrem reddidit, Mariae Scotorum reginae in utraque fortuna comes. Rossiae episcopus renunciatus, nihil omisit quo fidelis subditi impleret partes, majestatem reginae tueretur, haeresim profligaret; ac primum arcem Edimburgensem, cum Georgio Gordonio Huntlaei comite, tutatus est pro regina anno MDLXVII. Jacob. August. Thuan. lib. XL. Historiar. et cum eandem apud Anglam perditissimi accusarent perduelles, Jacobus comes Mortonii, Adamus episcopus Orcadam, Robertus commendator Dumfermelini, Patricius Baro Lindsay, Jacobus Macgillius, Henricus Balnavius, Lidintonus, et Georgius Buchananus, et indictis Eboraci comitiis contra jus et fas, inauditoque exemplo, cognitoribus reginae, quae soli Deo subest, datis, intercessit viriliter, et summa eloquentia illegitimam cognitionem probavit esse Leslaeus noster; quem comitabantur Gulielmus Baro Livinstonus, Robertus Baro Bodius, Gavius commendator Kilvinini, Joannes Gordonius, et Jacobus Cocburnus. Id actum die VII. Octobr. anno MDLXVIII. "et cum spectata fide," verba sunt Gulielmi Camdeni in Annalibus Anglicanis,

ficentia restauravit, auxit, de novo erexit, vestiarium suppellectile aurea et argentea, vestibus pretiosis instruxit ornavitque, canonicorum numerum auxit, sacella fundavit, musicos suis sumptibus in perpetuum stabilivit, ponte insigni Taurum stravit, turrim seu campanile a fundamentis extruxit; et, ne ingenio minor quam alii actibus videri possit, scripsit

Vitam Joannis Episcopi lib. I. Hic est de quo lib. IX. supra, qui S. Andreae designatus, post VII. annorum in curia Romana moras, Dunkeldensis antistes obiit, miraculorumque gloria irradiavit.

Concionum sacrarum opus lib. I.

Postillas in Evangelia lib. I.

Canones Ecclesiae suae lib. I.

Obiit anno MCCCCLXXXI. die IV. Novembris; sedit annis XXVI. Epitaphium ei ex more positum hoc reperi numerale, sed corruptissimum:

Grege, sine moestitia Christo funde precata  
 Pro pastore Thoma Lauder aureola;  
 Quem sanctum Pneuma ducatur, pius atque Columba,  
 Ad coeli summum, Virgo Maria thronum.  
 Vixerat hac sede praesul fulgendo decore,  
 Annis ter denis actibus innumeris,  
 M. semel L. et ter ac uno c. quater annis.

Putarim corruptum posse facile sic restitui epicedium:

Grege, sine moestitia jam Christo funde precata  
 Pro pastore Thoma Lauder aureola;  
 Quem sanctum Pneuma adducat, pius atque Columba,  
 Ad coeli summum, et Virgo Maria thronum.

### JOANNES LEOCHAEUS. 821.

JOANNES Leochaenus Duci Tremolio nuper inscripsit poema, cui titulum fecit,

Flores Kalendis Maii lib. I.

De Spe Epos lib. I.

Contra Episcopos Scotos Satyram, quo nomine exilio multatus.

Vivit in Galliis, et Musae praesidiis relegationem solatur.

LAURENTIUS LONDORIS. 822.

LAURENTIUS Londoris, abbas Sconae, legum professor primus in academia Sanctandrea, "haereticae pravitatis inquisitor," Scotichron. lib. XVI. cap. XIX. una cum Litstaer, a Jacobo I. invitatus cum octo aliis decretorum professoribus, ut narrat Hector Boethius loco supra proxime laudato, vir magnae famae, majoris meriti. Edidit, ut est in Bibliotheca Juridica,

De Electione, et electi Potestate, lib. II.

Examen Haereticorum Lolardorum, quos toto regno exegit, lib. I.

Processum Petri Krek, Haeresiarchae Angli, lib. I.

Florebat anno MCCCCXI.

JOANNES LESLAEUS. 823.

JOANNES Leslaeus paupertinum ortum magnis virtutibus illustrem reddidit, Mariae Scotorum reginae in utraque fortuna comes. Rossiae episcopus renunciatus, nihil omisit quo fidelis subditi impleret partes, majestatem reginae tueretur, haeresim profligaret; ac primum arcem Edimburgensem, cum Georgio Gordonio Huntlaei comite, tutatus est pro regina anno MDLXVII. Jacob. August. Thuan. lib. XL. Historiar. et cum eandem apud Anglam perditissimi accusarent perduelles, Jacobus comes Mortonii, Adamus episcopus Orcadum, Robertus commendator Dumfermelini, Patricius Baro Lindsay, Jacobus Macgillius, Henricus Balnavius, Liddintonus, et Georgius Buchananus, et indictis Eboraci comitiis contra jus et fas, inauditoque exemplo, cognitoribus reginae, quae soli Deo subest, datis, intercessit viriliter, et summa eloquentia illegitimam cognitionem probavit esse Leslaeus noster; quem comitabantur Gulielmus Baro Livinstonus, Robertus Baro Bodius, Gavius commendator Kilvinini, Joannes Gordonius, et Jacobus Cocaburnus. Id actum die VII. Octobr. anno MDLXVIII. "et cum spectata fide," verba sunt Gulielmi Camdeni in Annalibus Anglicanis,

“ nonnullorum pernicie, plurium periculo, reginae suae inserviret,” in custodiam Londini datus, quod inter Thomam Hovardum, Norfolcii ducem, et Mariam dominam suam, ignara Angla, nuptias tractasset; et diutius detentus, quod inter ejus chartas commentarius, ignotis literis scriptus, inventus, suspicionem rerum maximarum intenderet. Id actum IV. id. Octobris anno MDLXXI. August. Thuan. lib. LI. Historiar. et post menses omnino XIX. liberatus custodia, Anglia est abire jussus, et mox in Gallias trajecit. Ejus extant multa, felicitatem ingenii testantia; in his,

De Gestis et Moribus Scotorum	lib. VI.
De Consolatione in adversis	lib. II.
De Jure Mariae Stuartae ad Regnum Angliae	lib. I.
Oratio pro Libertate	lib. I.
De Feminarum Principatu	lib. I.
Epistolae Reginae nomine ad Principes Christianos	lib. I.
Duo Tractatus MSS. in bibliotheca regis Magnae Britanniae	lib. I.
Apologia pro se lib. I. dum metueret a comite Southamptoniae, quem in vitae discrimen vocaverat, et ab Henrico Howardo, ducis Norfolcii fratre. Gulielm. Camdenus loco laudato, ad annum videlicet MDLXXIII.	

Obiit anno MDXCIV. Bruxellis. Aubertus Miraeus Chron.

#### DUNCANUS LIDDELIUS. 824.

DUNCANUS Liddelius, educante Doctore Cragio, professor publicus in academia Julia, ac medicinae lauream adeptus, scripsit

De Arte medica	lib. I.
De Febribus lib. III. Principi Walliae Henrico inscriptos.	
Disputationes Medicinales lib. I. Prodierunt ante tredecim annos Helmestadii.	
In quosdam Alexandri Tralliani et Cornelii Celsi locos Observationes	lib. I.

Obiit Aberdoniae in Scotia anno MDCXIII.

GEORG. ARCHANG. LESLAEUS. 825.

GEORGIUS Archangelus Leslaeus in ipso adolescentiae flore habitum D. Francisci Capucinus induit in Flaminia, ac rara continentia, nec minore pietate, verbum Dei facundus concionator nunciat. Scripsit, et vulgare parat,

De Potestate Papae in Principes seculares directa Tra. II.

Vivit adhuc, et insignis verbi divini praeco, patriam suam ut ab haeresi abstrahat, domi indefessus nititur.

HIERONYMUS LINDSAYUS. 826.

HIERONYMUS Lindsayus, comitis Craufordiae frater, praeclarus legum doctor, Divi Francisci habitum induit, et fundavit celebre suorum monasterium Perthae, Oliphanto comite mira devotione impensas subministrante. Scripsit permulta, et in his,

De Legum antiquarum Abrogatione lib. I. Utile opus,  
ait Jordanus.

De Regularitate lib. I.

De Vi Excommunicationis lib. I.

Florebat anno MCCCCLII. Meminit et Franciscus Gonzaga Orig. Seraph. Religion. parte III. pag. DCCCXXIX.

JACOBUS LOGANUS. 827.

Ut verum sit eum multa scripsisse, ego nihil vidi praeter epigrammata quaedam regi ad Scotos suos redeunti oblata.

FINIS LIBRI UNDECIMI.

P

# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER XII.

S. MACARIUS. 828.

“ S. MACARIUS Scotus, et primus abbas apud Herbipolim in Franconia,” ait Antonius Possevinus Appar. Sacr. pag. CCCLXX. Monasterium istud Scotorum in peregrinorum gratiam, precibus Christiani Scoti, fundaverat Embricho, episcopus Herbipolensis, ut literae foundationis habent; quarum exemplar pete a Joanne Trithemio in Chronico Monasterii S. Jacobi, e quo haec pauca e multis excerpti: ad quem locum primum abbatem nomine Macarii habuerunt, sanctum per omnia virum, cujus sanctitatis evidenter signum probavit, quod de ejus meritis vinum in aquam coram testibus convertit, Peregrino abbate videlicet de S. Burchardo, Gebhardo praeposito de novo monasterio Burbo, Henrico Mukellino, Iringo de Zabelstein, et ceteris multis tam clericis quam laicis. Ut primum creatus abbas Romam peregrinationem suscepit, receptusque ingenti cum laetitia a pontifice, miraculorum gloria in ipsius pontificis mensa claruit. Scripsit

De Laude Martyrum lib. i. Eisingrinio auctore.

De Scotorum in Germania Monasteriis lib. i. quod opus utinam ad manus meas pervenisset, multum enim subsidii liceret inde sperare.

Epistolas ad Eugenium III. Papam lib. i.

Venit ex Scotia in Franconiam anno MCXXXIX. creatusque est abbas eodem anno. Obit anno MCLIII. sepultus in ecclesia dicti monasterii, cum hac inscriptione:

HIC JACET MACARIUS, PRIMUS ABBAS HUIUS ECCLESIAE,  
PER QUEM DEUS AQUAM IN VINUM CONVERTIT.

Miracula ab [eo] vel defuncto divina virtute perpetrata habentur apud Joannem Trithemium loco laudato; quibus addendum

et illud, "in ejus transitu angelorum voces auditas." Dicitur nunc corpus ejus sacrum translatum, et in media ecclesia religiosissime decoratum elevatumque; durat hodie familia in Argadia, vulgo *Ma-kachermik*, et celeberrima ac quasi praesens est memoria apud nostrates.

## S. MACCAEUS. 829.

S. MACCAEUS, sive Maxaeus, S. Patricii discipulus, ac pro ea aetatis rudioris conditione poeta suavis, medicus ac mathematicus insignis. Antonius Possevinus ibidem loci. Scripsit

De recipiendis lapsis	lib. I. in Biblioth. SS. Patrum.
De Fide perseverante	lib. I.
De Judiciis Nativitatum	lib. I.

Vivere desiit anno CDLX.

## S. MACRA. 830.

S. MACRA, vel Magra, sive, ut aliis visum, Machra, regis Scotiae filia, ac sanctissimi Guthagoni soror, cum quo patriam voto peregrinationis egressa, in valetudinem gravem prolapsa Romam pergere non potuit, sed ubi frater discessit, in pago quodam *Fismes* convaluit, in agro Rhemensi, ubi habitum postea concilium sub annum CMXXXV. dictumque Rhemense tom. III. Concilior. Nicolao Chesnau auctore. Sub hoc temporis virgo beata sanitati restituta est: disquisitio per Rictionarum, Galliarum sub Diocletiano et Maximiano Augustis praefectum, de Christianis institui coepta, et inter alios Macra Scota comprehensa, nec minis nec suppliciiis deterreri potuit, quin in sancta fidei observatione perseveraret. Haec ex continuatore Veremundi presbyteri, Epistola Joannis Frase-rii ad Adamum Blacvodaicum apud Gilbertum Bruuum in Collec-taneis. De passione ejus Flodoardus lib. IV. Histor. Rhemensis cap. LI. "Post insuperabilem Christi confessionem gravissima tormenta perpressa, post mamillarum abscissionem, et repentinam curationem per angelicam in carcere visitationem, dum super prunas et testulas accensas nuda volutaretur, cum precibus et gratiarum actionibus immaculatum Deo reddens spiritum, ac triumphans adversarium, ini-



bi laeta petiit coelum." Corporis deinde revelationem bubulco factam, translationem, et revelationem, et miracula exsequitur fuse Usuardus in Martyrologio die VI. Januar. "In territorio Rhemensi passio sanctae Macrae virginis, quae jubente Rictionaro praeside cum in ignem esset praecipitata, et permansisset illaesa, deinde mamillis abscissis, et squalore carceris afflicta, super testas etiam acutissimas ac prunas volutata, orans migravit ad Dominum." Locum mendo liberat Caesar Baronius ad Martyrologii Romani tabulas die VI. Januarii, ubi pro *Rictionaro* legit *Rictio Varo*; recte haud dubio, nam in loco laudato Flodoardi, et capite etiam sequenti ejusdem libri, in MS. observatum ita scriptum esse [inquit] Georgius Colvenerius, theologus egregius. Hic est ille Rictius Varus, qui immani truculentia in sanctos Dei saeviit per universas Gallias, cujus miserandum interitum legere potes in immortalis operis Annalium Ecclesiasticorum illustrissimi principis Baronii ad annum CCCIII. Existimo uno anno citius Guthagonum fratrem excessisse, siquidem inter sanctos nostrates ille refertur sub annum XCIX. a Jacobi Cheynei tabulis, ut lib. VII. dictum, et consentit Calendarium Adami Regii; et Collectanea Brunii, et continuator Veremundi in annum CCXCIX. rejiciunt, quod ex Macrae historia verius esse convincitur.

Passa est anno CCC. et mirum sane patriam tam illustris feminae non esse a Flodoardo expressam: sed istud fatale est Scotiae meae malum.

#### S. MACHUTES. 831.

S. MACHUTES, seu Macutes, seu Maclovius, Scotus, S. Brandani socius, episcopus in Scotia, sed cujus loci non observavi. Inepte Joannes Generbrand a Leidis Carmelitanus lib. I. Chr. Belg. cap. XIV. "S. Magutus perpetuo virgo in Anglia vixit;" de quo Sigebertus Gemblacensis in Chronico: "Hoc tempore in Scotia Brandanus claruit, qui Fortunatas Insulas septennali navigatione requirens, multa miraculo digna vidit; a quo Macutes, qui et Maclovus, regulariter educatus, et ipsius navigationis socius, in Britannia sanctitate et miraculis claruit; qui a Britannis exacerbatus, eis male dictis transivit ad Gallias, et sub Leontio Santonum episcopo multo tempore virtutibus claruit. Britannos vero, propter suam maledictionem variis

cladibus addictos, data rursus benedictione, absolvit et sanavit.”

Vitam ejus scripsit idem Sigebertus Gemblacensis, quam recitat Laurentius Surius tom. VI. qui cap. I. haec habet: “S. Maclovius, nobilitate parentum apud homines seculi inter suos non mediocriter inclytus, citra oram Britannici maris fuit editus: pater ejus, Guent nomine, comes fuit, qui urbis Gimicastrum nomine conditor extitit; matrem ipsius Darual appellatam accepimus.” Fatetur idem alios ejusdem acta, sed antiquiores celebrasse. Ita enim in Epistola ad Tietmarum Gemblacensem abbatem: “Vita piissimi confessoris Christi Maclovii, qui et Machutes dictus est, diligenter quantum ad veritatem historiae antiquorum stylo erat exarata; sed quia minus ordinate digesta,” &c. Adi ad Petrum lib. X. Catalogi cap. LXIV. Trithem. de Vir. illust. Ordin. S. Benedicti cap. xxxv. Acta ejusdem extant MS. in bibliotheca Vaticana, Baronio teste.

Recolit sanctissimam ejus memoriam ecclesia die xv. Novembris. Martyrolog. Roman. eo die: “In Britannia natalis S. Machuti episcopi, qui a primaevo aetatis suae tyrocinio miraculis emicuit.” Eadem recentiores Martyrologiorum auctores, Petrus Galesinius et alii. Franc. Maurolyc. “S. Machuti episcopi et confessoris, qui claruit in Britannia temporibus Justiniani imperatoris.” Clarius Joannes Molanus Addition. Usuardi: “Ipso die Santonis civitate, depositio S. Maclovi episcopi et confessoris in Britannia, urbe Alectes, qui a primaevo aetatis suae tyrocinio, innumerabilibus miraculis splendide emicuit.” Falso urbem Alethem natalem S. Maclovii patriam vocat, cum illa sit in Minori Britannia, voceturque S. Malo hodie; falso, inquam, nam Britannum insularem faciunt omnes, et Gibertum qui leget cap. XXI. facile intelliget non Gallum, sed Britannia insula oriundum: “Nam per scandala impiorum expulsus a suo episcopatu, apparato omnis profectionis comite, collecto quoque fidei monachorum discipulatu, longae navigationis exacto cursu, tandem potitus Aquitaniae regionis portu, et deveniens ad partes Santonicae urbis, primo omnium interrogandum esse putavit si illis in locis vigeret ritus Christianitatis.” Si Alethae natus, ut contendit Molanus, quomodo fuit ei longus navigationis in Santones vicinos cursus? Deinde cur, an Christiani ibi vigerent cultus, ignoravit? Esto igitur verum in Scotia natum, sede sua episcopali patria dejectum, in Aremorica

aliam Alectae dignitatem episcopalem gessisse. Scripsit  
 De Fortunatis Insulis lib. i.  
 Epistolas ad Britannicas Ecclesias lib. i.  
 Epistolas ad Brendanum lib. i.  
 Ordinationes suae Ecclesiae lib. i. quae Alethae in  
 Aremoriciis asservantur; quae urbs ab eo nomen sortita est.  
 Claruit anno DLXIII. Sigebertus loco laudato, et alii.

## S. MARGARETA. 832.

S. MARGARETA, heres regni Anglici, neptis Edmundi, filia Eduardi, nata in Hungaria exulante apud Salomonem regem patre, quem Canutus Angliae rex ad Suevorum regem interimendum miserat, nupsit Malcolmo III. regi, eique sanctam et numerosam sobolem enixa est. Vitam ejus perscripsere Hector Boethius lib. XII. Histor. Scotie. Turgotus prior Dunelmensis II. ut infra hoc opere ostensum lib. XVIII. S. Adelredus abbas, sive Ealredus Rhievallensis, ut habet Surius tom. III. apud quem perpetuo *Macolinus* corrupte pro *Malcolmus* est. Eadem menda in histor. Thomae Walsingami, Hypodigm. Neustr. CCCCLXXVII. Memoriam ejus recolit ecclesia die X. Junii. Martyrolog. Rom. "In Scotia S. Margaretae reginae, amore in pauperes, et voluntaria paupertate celebris." Joan. Molanus Addition. Usuard. die isto, et die XVI. Novemb. Scripsit

Preces quasdam pias lib. i.

Obiit anno MXXVII. quarto idus Junii, vel anno MXXII. Matthaeus Westmonasterien. sepulta ad S. Trinitatis aedem, quam ipsa erexerat, Annales nostrates, sedente in Petri cathedra Urbano II. imperante Henrico IV. apud Francos regnante Philippo I. Annales Anglici, et in his Polyd. Virg. lib. VII. pag. CXXXIII. et lib. IX. in principio. Per hanc jus in Anglicanam successionem regi Scotiae acquisitum etiam ante nuptias Henrici VII. sororis, et Jacobi IV. Translatio deinde facta sub Alexandro III. rege XIX. Junii MCCXXXI. Gilberti Bruni Calendar.

## S. MAZOTA. 833.

S. MAZOTA virgo, S. Donevaldi F. miraculorum gloria, etiam viva, inclaruit; patre autem defuncto cum octo suis sororibus, a rege Pictorum Garnardo aedes cum reditu ex agris vicinis Abernethi impetravit, magnaue sanctitatis opinione in eremetica vita sepulta ad radicem ingentis quercus, qui locus patrum nostrorum memoria celebri affluentis populi concursu frequentabatur. Hector Boethius lib. x. *Histor. Scot.* pag. CLXXXI.

Floruisse credita est anno DCCXVII. Non est Martyrologii Romani tabulis ascripta.

## S. MONANUS. 834.

S. MONANUS, Divi Andreae archidiaconus, persecutionem Danorum ethnicorum, qui Gadano rege Scotiam truculenter invaserant, declinans, in celebre illud piorum in Maia insula coenobium se recepit, indeque cum multis aliis extractus, coronam martyrii constanti pietate est assecutus. Ejus sunt:

- Epistolae ad diversos lib. I.
- Carmina sacra lib. I.

Passus est anno DCCCLXXIV. Vide lib. I. hoc opere in *S. Adriano*.

## S. MALCOLMUS. 835.

S. MALCOLMUS III. rex, a capitis magnitudine *Canmiore* appellatus, ordine LXXXVI. regnum adeptus, Duncani F. Malcolmi II. N. ab Ingulpho Croylandensi *Hist.* pag. DXVI. Maltovius dictus male, sed majori ille scelestitate, in re ipsa, quam nomine, frivolus et nullius momenti scriptor, lapsus est. Statum mirabiliter reformavit; nomen autem secundum adjecit, cum antea omnes unico tantum nomine vocarentur; barones, thanos, comites creavit, unde pleraeque nobiles sub eo familiae exortae: nondum adhuc ducum nomen cognitum, primi enim duces creati David Stuart dux *Rothsay*, et Robertus dux *Albaniae*, circa annum MCDXXX.

At Malcolmus, ne temporalia tantum ordinasse videretur, IV. episcopatus novos et abbatias erexit. Anonymus in Vita S. Margaretae apud Surium tom. III. "Margareta regina regem ad justitiae, misericordiae, eleemosynarum, aliarumque studia virtutum et actus, instigavit, et Deo cooperante, obtemperantissimum reddidit." De fortitudine Polydor. lib. X. qui locus arguet Fulgosium nugamenti, quod vide in Apparatu nostro pag. XCIX. et cum Polydoro confer. Scripsit

Legum spurcarum Abrogationem, hortante S. Margareta uxore, lib. I. seu edictum.

Fraude equitis Angli, dum Anvicum in Anglia obsidet, perimitur anno regni sui XXXVI. Urbano II. papa, Henrico IV. imperatore, Philippo I. Francorum rege, in divorum relatus numerum. Molan. Appendice ad Martyrolog. die XV. Octob. Boeth. lib. XII. Histor. Scot.

#### S. MALCOLMUS. 836.

S. MALCOLMUS IV. Virgo dictus ob vitae puritatem, S. Eduardo Aberdonensi episcopo propositi de servanda virginitate voti comes, nepos S. Davidis regis ex fratre Henrico, et abnepos SS. Malcolmi III. et Margaretae regum, princeps lenis, comis, probissimus, seditionibus tamen intestinis petitus, sed perduelles a Gillechristo victi in ordinem redacti. Hic, ut erat moribus sanctis, a rege Angliae perfidissimo deceptus cogitur profectionem in Francum sua auctoritate confirmare, at secunda expeditione negavit Anglo aut comitatum aut suppetias contra Francum; a quo Cumbria et Huntintonia privatur, sed jacturam forti animo pro tempore ferens, bello Anglum petit, provinciasque suas recuperat. Legationem Romam decrevit, ac domi periculosas seditiones tres composuit. Illum Guillelmus Neubrigensis Christianissimum regem vocat lib. I. Hist. Ang. cap. XXV. ubi male Malcolmus dicitur; de quo haec habet: "Tenerum superni amoris fervorem concepit in tota vita sua: candore pudicitiae, titulo humilitatis et innocentiae, puritate conscientiae, morum suavitate pariter et gravitate ita excelluit, ut inter seculares, quibus solo habitu congruebat, monachus, et inter homines quibus imperabat terrenus quidem an-

gelus videretur." Sub finem capituli dicitur : " Virginem speciosam et nobilem, a matre inductam, et ad latus in lecto collocatam, deseruit, ac tota nocte in pavimento coopertus pallio jacuit : " quod, ut verum est, ita quoque illud scurrile, quod Scotos vocet nationem barbaram et perversam, quater eo capitulo, deinde improbos et audaces. Sed prodit virulentiam suam impurior ille scriptor, nec patriae meae praejudicat, quae morum civilitate, et sanctitate, cum cultissimis Europae populis, nedum cum Anglis, colluvie Danicarum et Germanicarum gentium spurcissima, contendere potest ; ac potius Angli barbari erant, improbi, et audaces, cum fidei lumen nondum hausissent, nec sacris locis religiosive personis parcerent, ut in Apparatu meo videre est. Sed redeo ad regem, qui scripsit

De Foedere cum Francis servando lib. I.

Meditationes lib. I.

Obiit Jedburgi anno regni XVII. salutis MCLX. Pontifices erant Eugenius, Anastasius IV. Adrianus IV. Alexander III. imperatores Conradus III. Fredericus I. Franciae rex Ludovicus junior. In sanctorum album illatus, colitur die XXV. Decembris. Praeclarum ei lessum canit idem Neubrigensis lib. II. cap. XIX. Sanctitatis merita et exitum praedixit S. Godricus, ut in ejus vita extat in Scotichronico lib. IIX. cap. X.

#### S. MARIANUS. 837.

" S. MARIANUS, cognomento Inclusus sive Scotus, primum S. Martini Coloniae, deinde Fuldae monachus," ait Anton. Possevin. Apparatus Sacri pag. CCCXCIV. imo primo apud Fuldam, postea Moguntiam inclusus. Sigebertus Chron. ad annum MLXI. Hunc Caesar Baronius tom. X. Annalium ad annum DCCCXCI. reprehendit acriter, tanquam fabulae auctorem de Joanna femina papissa ; sed illius mendacii suspicione liberavit pridem v. cl. Aubert. Miraeus, testatus se antiquissimos manuscriptos vidisse, a quibus totum illud commentum abfuit. De eo Christophor. Brower. lib. I. Antiq. Fuldens. cap. XXIII. in rebus Wideradi abbatis. Matthaeus Westmonasteriensis ad annum MLXXXII. " Marianus Scotus, S. Bedae linealiter consanguineus, ipsius sancti libros omnes cum multis aliis perscrutans, similis illi in moribus et scientia esse nitebatur. Iste Ma-

rianus, a nativitate Christi Chronica sua incipiens, vera et plenaria, ad hunc usque annum perduxit, multum laborans ut errorem de annis Domini corrigeret, super hoc enim multorum opinio animos lectorum reddebat suspensos." Idem illum liberalibus studiis imbutum vocat, et scriptorem chronicorum veracissimum. Alibi Antiquitate Fulden. pag. CCXCIV. et alibi in editione Christophori Broweri. Nec encomium de illo omittendum apud Sigebertum Gemblacensem ad annum MLXXXII. "Marianus Scotus Chronicam suam, a Christi nativitate inchoatam, usque ad hunc annum perduxit, qui erat aetatis suae annus LVI. multum laborans corrigere errorem de annis Domini, qui inveniuntur in Cyclo Dionisii : hoc facile est videre, hinc positus ab eo annis Domini secundum Cyclum Dionisii, altrinsecus autem secundum veritatem Evangelii." quod quomodo sit intelligendum, haud facile assequor ; nam Chronica Mariani, quae hodie circumferuntur, non a nativitate Domini, sed a creatione mundi incipiunt. Idem Sigebertus libro de Scriptorib. Ecclesiastic. cap. CLXXII. "Marianus Scotus, vir suo aeo longe disertus." Scotia est egressus tumultuantibus sub Machabaeo rege Scotis, aut verius tyrannidem eo in civium capita exercente. "Historiographus insignis, computista celeberrimus, theologus gravis, quae omnia in hodiernum usque diem scriptores ei omnes tribuunt." Balaeus. Volunt eum Asserii Menevensis opera usum, sed male, nam Robertus Herefordensis episcopus opera ejus "in arctum contrahens, defloravit, splendide adeo, ut magis valere videatur defloratio, quam opus ingens ipsum," ait Malmesburiensis lib. IV. Gest. Pontif. pag. CLXIII. Sanctus habendus. Arnold. Uvion lib. II. Lig. Vitae cap. LII. Scripsit

Chronicorum Annales a condito Mundo ad suam fere senectutem	lib. III.
Evangelistarum Concordiam	lib. I.
De universali Computo	lib. I.
Emendationes Dionysii	lib. I.
De magno Cyclo Paschali	lib. I.
Algorismum	lib. I.
Breviarium in Lucam	lib. I.
Annotationes Scripturarum	lib. I.
Epistolas hortatorias	lib. I.

Alia multa enumerat ejus opera Gualterus Albanensis.

Natus est anno MXXVIII. seculum reliquit, ut ipse loquitur, anno MLII. "Peregrinus factus pro regno caelesti," ut ipsius verbis utar, patriam suam reliquit, et in Colonia, v. feria, calendis Augusti, monachus effectus est anno MLVI. sive, ut male computat Sigebertus, anno MLXI. De Colonia, ut ipse ait, exiens causa orationis, cum abbate Fuldensi, appulit Fuldam anno MLVIII. sequenti anno media quadragesima presbyter Herbipoli creatus, decennio toto inclusus mansit, tum Moguntiam venit, et secundo inclusus est, ut ipse narrat, anno MLXIX. Obiit autem, et apud S. Martinum sepultus fuit MLXXXV. Dodechinus abbas Sancti Dysibodi, in Continuatione Chronici Mariani. Alii triennio citius obiisse volunt; quod verum esse non potest, nam ipse ad annum MLXXXIV. Chronologiam suam perducit. Varium de eo iudicium Josephi Scaligeri, qui non ad manum. Laudat Paulus Petavius, senator Parisinus, libro de Cyclo.

#### S. MARIANUS ABBAS.

S. MARIANUS, alter a monacho et historico, Ratisbonam venit cum sex sociis monasticam vitam professis, et a Frederico nepote S. Leopoldi ex Bertha benigne exceptus, S. Petri sacellum extra urbem obtinuit; postea auxilio Pogensium et comitum de la Bar monasterium fundavit, quod Scotense illo seculo, sicut Scotitum hodie vocatur. Wolfgangus Lazius lib. VII. de Migrat. Gent. pag. CCCXII. Scripsit

Regulam ad Fratres lib. I. et alia, quae ibidem loci MSS. asservantur.

Floruit anno MCLXIII. quo obiit. Fundatum coenobium anno MCLVIII.

#### S. MANSUETUS. 838.

"S. MANSUETUS, episcopus Tulli, qui natione Scotus, S. Petro discipulus, Romae ordinatus," ait Constantinus Ghinius pag. LX. Claudiam Scotam, S. Pudentis conjugem, e Scotia, ut videtur, secutus,



Divum Petrum Romam venientem audivit, et ab eo humanae salutis mysteria edoctus, in Galliam missus, mira sanctitate Tullensem ecclesiam rexit, primusque episcopus sedit. Anton. Monchiacen. Demochar. tom. II. cap. xxxiii. "Sanctus Mansuetus, S. Petri discipulus, socius S. Clementis episcopi Metensis, natione Scotus." Theatrum Convers. Gent. Arnoldi Mirmanni: "Tullenses habuere apostolum, suaeque in Christum fidei primum antistitem, S. Mansuetum, S. Petri discipulum, S. Clementis collegam, origine Scotum." Chronicon Chronicorum Joan. Gualterii tom. II. pag. cxxii. idem repetit. Eadem tempestate ab apostolica sede in Gallias destinati sancti viri et pii, Martialis ad Lemovices, Julianus ad Caenomanos, Clemens, Papae Clementis patruus, ad Metenses, Maternus ad Trevirenses, Sixtus ad Rhemenses, Frontonius ad Petragoricos, Memnius ad Catalaunos. Robert. Altissiodorensis Chronic. pag. xxxiii. Celebratur ejus memoria die III. Septembris. Martyrolog. Roman. Ado Trevirensis, Molanus ad Usuardum, et alii. Atque hic sane omnium Scotorum sanctorum primus. Hiberni impudenter civem suum faciunt, sed Tabulae Ecclesiae Tullensis, Guil. Eisengrinus c. I. part. I. dist. III. Franc. Roziers tom. II. Stemmatibus Lotharingae, Hist. Capital. xxii. et Constantinus Ghinius in Natalib. SS. Canonic. pro nobis contra mendicorum impotentiam stant graviter; et Adso abbas, qui vitam ejus scripsit, cap. II. "Scotorum clara propagine genitum" vocat. Ad Gerardum episcopum eadem vita versu:

Protulerat quendam generosum Scotia natum,  
Mansuetum.

Scripsit

De Apostolicis Traditionibus lib. I. quae Tullenses religiose  
asservant.

Sedebat anno LXII. die III. Septembris.

S. MACHORIUS. 839.

"S. MACHORIUS, religiosus et pius Muthlaci episcopus," ait anonymus in libello de Antiquitate Religionis in Scotia. De eo sic Hect. Boeth. lib. IX. Hist. Scot. in fine: "Insignes habiti sunt eruditione et vitae innocencia inter nostrates, Soluathio Scotorum rem tenente, Macho-

rius episcopus, cujus nomini praecipuum Aberdonense templum, ubi nunc sacra episcopalis sedes, est dicatum." Hic a Martyrologio Romano, ut multi alii, malo Scotiae fato, absunt. Scripsit

Ad populares Scotos lib. I.

De Pictorum Excidio lib. I. Joan. Fordun.

Vixit anno DCCCLXXX. Colitur XII. Novembris, et dedicatio templi ejus incidit in XV. Januarii.

### S. MOLOCUS. 840.

S. MOLOCUS, discipulus S. Brëndani, S. Machuti, aut Congalli, quod verius, nam Machutes socius Moloci, non praeceptor, notat Pitsaeus, socium se junxit Bonifacio Queretino Scotiam lustranti, episcopaliq̄ue ornatus dignitate totum septentrionalem regni tractum pie informavit, Argadum apostolus, apud quos in Lismorensi basilica sepultus, religiosa concurrentis populi veneratione frequentabatur. Hect. Boeth. lib. IX. Scot. Hist. pag. CLXXII. Eum, pugnam initurus, Rex Malcolmus demisse precatur, et victoria potitur; idem lib. XI. pag. CCXLII. tum voti compos templum ei ingenti sumptu erexit; idem pag. CCXCV. Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLV. Scripsit

Vitam Brandani magistri lib. I.

Commonitorium ad Scotos lib. I.

Floruit anno DXC. Abest a Martyrologii Romani tabulis.

### S. MECHTILDIS. 841.

"S. MECHTILDIS, Scotiae regis filia," ait Thomas de Cantiprato in Apiario lib. II. cap. X. virginitatis studiosa in Gallias clam aufugit cum S. Alexandro fratre, et in villa Lapione, prope Cisterciolorum coenobium, et viva et mortua miraculis claruit. Scripsit

Ad Fratrem de Mundi Contemptu lib. I.

Claruit anno MCCXXXVIII. Colitur die XXVI. Februarii. Molan. in Usuardi Additionib. Plura Joannes Trithemius Chronico Hirsaugae anno MCLIV. nisi ea sit alia. Anton. Dauroultius cap. IIX. Catechis. Historial. tit. XXIV. sect. V. "Alexander S. Mechtildis virginis, filiae Scotorum regis, frater."

## S. MEROLILANUS. 842.

S. MEROLILANUS, martyr Scotigena, ait Flodoardus lib. IV. Hist. Rhemensis cap. XLVIII. Scripta perierunt.

Floruit anno incerto; migravit ex hac vita peregrinus, ut ipse revelat loco laudato, nec sine miraculo.

## S. MALRUBUS. 843.

S. MALRUBUS, eremiticam vitam sanctissime professus, Danis sub Malcolm II. Scotiam ferocissime incursantibus, ad Marnam, quam toties optavit martyrii palmam tandem recepit. Apices tantum operum invenio, cum ea perierint; scripserat autem

De Imitatione Sanctorum lib. I.

De Christiana Perfectione lib. I.

Vixit anno MXXIV. Recolitur ejus memoria die XXVII. Augusti. Adami Regii Calendarium, et Breviaria Scotica.

## S. MEDANUS. 844.

S. MEDANUS, Uvion lib. III. Ligni Vitae pag. CCCCXXI. episcopus, Modani, Colmanni, Prisci, et Euchini episcoporum aequalis. "Pius per agros Scotorum Pictorumque Christi dogmatis concionator," ait Hect. Boethius lib. VIII. Histor. Scotic. in fine. Quo tempore vixerit, in ambiguo est, nam ad Achaii regis seculum idem eos auctor rejicit lib. X. pag. CXCI. "Medanus Modaniusque Germani, monasticae vitae addicti, imitandae virtutis se ad posteros praebuere exemplaria." Scripsit

Laudes monasticae Vitae lib. I.

Florebat anno DXXXIV. vel secundum alios anno DCCCIII. Sanctorum albo ascriptus, Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLXVII. patronus in Kylmadak.

## S. MATHILDA. 845.

S. MATHILDA, a morum mansuetudine cognomento Bona, Scotiae SS. Malcolmi III. et Margaretae F. a parentibus ab ineunte aetate Deo in Wintoniae coenobio pie oblata, una cum S. Christina, miro sanctitatis voto, exemplar virginibus erat, et continentis et abstinentis vitae. Sed cum Wilhelmus Rufus, Angliae rex, inter venandum in Novo Saltu exstinctus esset, et Henricus ejus germanus in regnum successisset, illa amicorum efflagitationibus importunis, nec sponte monasterio extracta, eidem nupsit. Chorographi Britanniae ferunt nonnulli eam fructum ventris sui Diabolo commendasse; nec caruit devotio eventu, nam biennio post mortem ipsius VII. calend. Decemb. omnes filii simul naufragio periere, Gulielmus Neubrigen. lib. I. Histor. Anglic. cap. III. filia excepta, quae Henrico imperatori nupta, et ipsa tot Augustorum parens. Petrus Bugranus colloquio III. Histor. Monast. Fuerit velata necne, dubitatum; utcunque constat sane XVIII. annis totis sub regula vixisse. Regina facta, ferventiori studio pietatem amplexa, inter alia, leprosororum, quibus, depositis vestibibus regiis, ipsa famulabatur, plenam semper domum habebat; a quo sanctitatis officio nec maritus nec frater, S. David Scotiae rex, retrahere potuerunt, quin, ut ipsa dicebat, "regi morituro aeternum regem praeferret." Adi ad historicos, Matthaeum Paris ad annum MC.MCV.MCXVIII. Polydor. Virgil. lib. XI. Hist. Anglic. in principio, Joannem Leslaeum lib. VI. pag. CCXVIII. Jacet Londini, ad Divi Petri in coenobio Westmonasteriensi, cum hac inscriptione:

Prospera non laetam fecere, nec aspera tristem,  
Aspera risus, ei prospera terror erant.  
Non decor effecit fragilem, non scepra superbam,  
Sola potens humilis, sola pudica decens.

Obitus ejus incidit in annum MCXVIII. Quo die ejus memoriam ecclesia recolat, non deprehendi; abest certe ab omnibus martyrologiis, quod sciam; in XVIII. Septembris locant. Errat Camden. in *Dorsetshire* pag. CXCVI. qui eam Edgari regis filiam facit; contra eum stant vita sanctae, historia ipsa Angliae et Scotiae. Guil.

Malmesburiensis pag. XCIII. lib. v. "Maternae pietatis aemula." Roger. Hoveden. part. I. pag. CCLIX. Huntindon. lib. v. pag. CCX. "Margareta fuit mater Mathildis reginae Anglorum." Polydor. lib. XI. Histor. "Erat Edgardo regi Scotorum soror nomine Mathildis:" at in priore errore stat Lusignanum corona IV. cap. XXV.

#### S. MIMBORINUS. 846.

S. MIMBORINUS primus abbas S. Martini; quod coenobium Ebergerus archiepiscopus Coloniensis, teste S. Mariano in Chronicis, Scotis peregrinis in perpetuum tradidit possidendum. Joannes Leslaeus lib. v. pag. CXCv. in rebus Culeni regis. Scripsit

De Fundatione Monasterii lib. I.

Tractatum de Sacramentis lib. I. MS. in eodem monasterio, auctor Irenicus.

Obiit anno CMLXXV. Sederat annis XII. totis, sanctitate plenus, ait Arnold. Uvion lib. XXX. pag. CDXXI. Dies ejus natalis ignoratur.

#### S. MALACHUS. 847.

S. MALACHUS Lismorensis sive Argadiae in Scotia episcopus memoratur a D. Bernardo in Vita S. Malachiae. Colitur die X. Aprilis. Molan. Additionibus Usuardi. Scripsit

Epistolas ad Bernardum lib. I.

In Ecclesiastem lib. I.

Floruit anno MCLXI.

#### S. MAKUVOLOKUS. 848.

S. MAKUVOLOKUS, episcopus Sodorensis, Scotis illis silvestribus qui Hibernienses dicuntur, vitae melioris praecepta tradidit. Scripsit

Pro Aedibus sacris ad Mordacum Regem lib. I.

Floruit anno CCCXX. Colitur apud nostrates die XXIX. Januar. Breviaria Scotica, et ecclesiae consensus.

## S. MAGLASTIANUS. 849.

S. MAGLASTIANUS episcopus ex eo doctorum grege fuit, qui Angliam, Galliam, Germaniam, Italiamque fama et merito impleverunt. Socius Alcuini, Clementis, Rabani, et Joannis, nihil omisit, illis ad Carolum Magnum amandatis, quo verae pietatis apud suos honorem promoveret. Scripsit

Hymnos sacros lib. I.

Vixit anno DCCCXVIII. Colitur die XXX. Januarii. Breviar. Scot.

## S. MEDOTHUS. 850.

S. MEDOTHUS episcopali dignitate Scoticam ecclesiam, fide adhuc rudi et nascente pietate, est moderatus, ex eorum antistitum numero qui a Culdeis electi, ubique regni ecclesiis praeerant, nulli certae sedi astricti. Scripsit

Contra Idolorum Vanitatem lib. I.

De Contemptu falsorum Deorum lib. I.

Homilias lib. I.

Pro Ecclesia, ad Crathlinthum Regem, lib. I.

Floruit anno CCCXVIII. Colitur pridie calend. Februar. Breviar. Scot.

## S. MINNANUS. 851.

S. MINNANUS archidiaconus celebri nomine et pietatis et eruditionis viguit, carissimus Kennetho regi, cum quo totum regnum lustravit; eoque exstincto, quod perditam Donaldi V. regis luxuriam ferre non posset, aula secessit: post ejus funus acerbum denuo apud Constantinum II. regem magno loco fuit. Scripsit

De legitima Pictici Regni cum Scotico Unione lib. I.

Apologiam pro Rege lib. I.

Vixit anno DCCCLXXVIII. Colitur die I. Martii. Breviar. Scot.  
Templum ei in Gallovidia, cui nomen Kilminnan.

## S. MARNANUS. 852.

S. MARNANUS, sive Marranus, sanctissimus antistes, populum suum mira pietate instruxit. Scripsit multa, sed apices paucorum superant ; in his,

Pro Foedere servando lib. I. quod Scotiae rex Indulphus cum Anglis contractum inviolatum servavit, Danorumque reges Hagonem, Morvegum, et Henricum cum universis copiis delevit, post Analassum eorundem regem septennio ante exstinctum acie, et cum suis ad interneccionem datis.

Monitorium ad Ecclesias patrias lib. I.

Floruit anno DCCCCLXII. Colitur die II. Martii. Breviar. Scotic.

## S. MAKKESSAGUS. 853.

S. MAKKESSAGUS Scotos episcopali dignitate rexit, ex Culdeorum, ut existimo, ordine electus. Aedes ei sacra[in] Levinia, prope comitatum de Menteth, vocatur Templum Portus, nundinis et frequentia populi celebre. Scripsit

Manipulum Precum lib. I.

Catechesin ad Neophytos lib. I.

Floruit anno DXX. Colitur die X. Martii. Breviar. Scotic.

## S. MUNDUS. 854.

S. MUNDUS, abbas in Argathelia, austeræ admodum et continentis vitæ, scripsisse putatur multa ; in his,

Fascini et Veneficiorum Disquisitionem lib. I. Illa optimum principem Duffum regem violaverant mirifice, ac lectulo affixerant.

Vixit anno DCCCCLXII. Colitur die XV. Aprilis. Breviar. Scotic.

## S. MAGNUS. 855.

S. MAGNUS, gente Scotus, ad Orcades insulas, quæ pietatem quam a SS. Brandano et Machute olim hauserant exuentes, in priorem

infidelitatis statum redierant, destinatus, ab improbis paganis martyrio affectus. Scripsit

Ad Orcadianos Monita salutaria lib. I.

Vivebat anno MCIX. Colitur die XVI. Aprilis. Breviar. Scot.

S. MOLONATHUS. 856.

S. MOLONATHUS episcopus, discipulus ac socius peregrinationis laborumque S. Brandani, scripsit

Acta Brandani magistri lib. I.

Floruit anno DCXXVIII. Colitur die XXV. Junii. Breviar. Scot.

S. MALIMBAEUS. 857.

S. MALIMBAEUS eremita, integerrimae vitae ac sanctissimis moribus, cum in eremo sua pie orationibus vacaret, a Danis truculentissimis, fidei hostibus, est peremptus. Scripta perierunt aut temporum injuria, aut haereticorum maligna impietate.

Floruit anno MXXIV. Colitur die XXVI. Julii. Breviar. Scot.

S. MATHANUS. 858.

S. MATHANUS episcopus, incertum cujus sedis, praecipua sanctitate sub Donaldo rege inclaruit. Scripsit

De Benedictini Ordinis apud Scotos Claritudine lib. I.

Nam ille ordo nullibi sanctius quam apud Scotos viguit : ex annalibus nostris probavit Arnoldus Uvion, non uno loco, sed praecipue lib. I. cap. LXXI. idem S. Adelmus confirmat, omnium Scotorum eo aevo literatissimus habitus, libro de Laudibus Virginitatis cap. XXIX. ubi de S. Benedicto :

Hujus alumnorum numero glomerantur ovantes,  
Quos gerit in gremio foecunda Britannia cives ;  
A quo jam nobis baptismi gratia fulsit,  
Atque magistrorum veneranda caterva cucurrit.

Vixit anno DCCCLVI. Colitur die XXIIIX. Septembr. Breviar. Scot.



## S. MIRINUS. 859.

S. MIRINUS, abbas Benedictinus, et sanctitate et literis clarus, multis annis piissime Pasletum coenobium rexit. Scripsit

Canonum sacrorum Epitomen lib. I.

In omnes Epistolas canonicas lib. I.

Homilias de Sanctis lib. I.

Florebat anno CMLXIX. vel CCCLXIX. Gilbert. Brun. Colitur die xv. Septembris. Breviar. Scot.

## S. MARNOKUS. 860.

S. MARNOKUS, et ipse ex Culdeorum ordine ad episcopatum destinatus, strenuam operam paganis ritibus extirpandis navavit. Scripsit

Pro vera Pietate, et Dei Cultu, contra Gentiles, lib. I.

De Locis sanctis lib. I.

Obiit anno CCCXXII. sepultus in Kilmarnok provincia Cuningamia, sub abbate Kilwinini, ubi celeberrima devotione, miraculorum gloria, maximo concursu frequentabatur, dum haeresis nuper religionem exstingeret. Colitur die xxv. Octobris. Breviar. Scot. et ecclesiarum consensus.

## S. MAURA. 861.

S. MAURA virgo, et sanctimonialium magistra, viva sanctitate, defuncta miraculorum gratia, conspicua fuit; a cujus nomine famosus locus Kilmaur appellationem sortitus. Scripsit

Regulam ad Sorores lib. I.

S. Scolasticae Vitam lib. I.

Meditationes lib. I.

Floruit anno DCCCXCVIII. Colitur die II. Novemb. Breviar. Scot.

## S. MARNOKUS. 862.

S. MARNOKUS confessor, a priore, et aetate et vitae conditione, diversus, scripsit

Acta quorundam Sanctorum lib. I.

Floruit anno DCCCXII. Colitur die VIII. Novemb. Breviar. Scot.

## S. MATHANUS. 863.

S. MATHANUS, alius a laudato, licet eodem vixerit seculo, et dignitate episcopali, ut alter, honoratus, scripsit

De Laudibus sanctae Crucis lib. I.

De septem Doloribus Virginis lib. I.

Floruit anno DCCCLXXXVII. Colitur die XII. Novembr. Breviar. Scot.

## S. MIDDANUS. 864.

S. MIDDANUS, abbas in Buquhania, celebrem sui populo illi recordationem, et sanctissimam reliquit memoriam; de cujus actis mira narrantur. Acta ejus habebat MSS. v. CL. Joannes Fraserius, Parisiensis professor, et publicare bono patriae cogitabat, sed mors praevent, et veluti secundo funere Middanum extulit, qui patronus est in Philorthe, Fraseriorum nobilissimorum gentili patrimonio. Scripsit

Epistolas ad varios lib. I.

Documenta ad Fratres lib. I.

Floruit anno DIII. Colitur XIX. Novembris. Breviar. Scot.

## S. MATHULUS. 865.

S. MATHULUS, peregrinatione ad loca pia suscepta, devenit in Gallias, ubi clerus, sanctitate vitae motus, eum sibi antistitem designavit; itaque Xantones, quos privatus ad vitam puriorem hortatus est exemplo, episcopus rexit. Anton. Demochar. in tabulis illius ecclesiae. Scripsit

Homilias ad Populum	lib. I.
De Trinitate	lib. IV.

Floret anno DLIII. Colitur die xv. Novembr. Breviar. Scotic.

**S. MAXENTIA. 866.**

S. MAXENTIA virgo, Soluathii Scotiae regis filia, aut Malcolmi, ut ait Robertus Bukland. in Vita Sanctorum pag. CCXXXVI. martyrii palmam in Galliis meruit prope pontem, qui etiamnum hodie eo facto celebratur prope Bellovacum, ubi templum ei erectum. Claruit anno DCCXCII. Colitur die xx. Novembris, Breviar. Scot. aut xxvi. Octobris. Mirifica opulencia sacram ei aedem Carolus Magnus honoravit.

**S. MANERRUS. 867.**

S. MANERRUS, in patria episcopus, quam meritis gloriae coronam in hac vita sprexit, in coelo consecutus est. Scripsit

Lecturas sacras	lib. I.
Locos communes in Biblia	lib. I.
Conciones pias	lib. I.

Claruit anno DCCCXXIX. Colitur ab ecclesia Scotica, templis non uno ei loco erectis, die xviii. Decembr. Breviar. Scotic. et Calendarium Adami Regii.

**S. MOVEANUS. 868.**

S. MOVEANUM Scotis egregiam operam in laboriosa sacrarum Scripturarum expositione navasse legimus. Ea aetate adolescens erat S. Blanus, et episcopali dignitate fungebantur SS. Congallus et Kennethus. Abbatem multos rexisse monachos Scotchron. testatur. Patronus habitus in Kippau, ubi celebre ei templum cum canonicorum collegio, florente apud nostrates pietatis zelo. Erat alius ab eo Moveano, qui cum SS. Medano, Vigiano, et aliis floruit. Scripsit

De Regulari Vita, ad Monachos,	lib. I.
--------------------------------	---------

Decreta Ecclesiastica	lib. I.
Ad Ecclesias Scoticas	lib. I.
Epistolas ad diversos	lib. I.

Florebat anno CDXLIV. Alii in aliam aetatem rejiciunt, sed non admitto. Scotichronicon mortem ejus locat in annum CCCCL.

### S. MODANUS. 869.

S. MODANUS episcopus, sed cujus loci, incertum, tanta vetustatis injuria; Medani prioris frater germanus, ut dictum. Celebre ipsius fuit Brechinae nomen, ut testatur Joannes Fordunus. Scripserat plurima, sed refertur tantum superfuisse ante centum quinquaginta annos,

De Episcopi Officio	lib. III.
---------------------	-----------

Floruit anno DXXXV. vel, ut aliis potius videtur, anno DCCCIII. Inter sanctos receptum scribit Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLXVII. Uvion lib. II. pag. CDXXI.

### S. MELCHIADES. 870.

“S. MELCHIADES, vir ex Scotia oriundus, ob sanctitatem conspicuus,” secundum auctoritatem Hectoris Boethii lib. XII. Histor. Scotic. pag. CCLXIV. sepultus in coenobio Claravallensi, eodem pene tempore quo fato cessit D. Bernardus, loci illius primus abbas. Isto nullum clariorem nostra gens tulit: ediderat infinita sanctitatis et doctrinae plenissima opera, sed tantum celebrari audivi apud Theodoricum,

De legitima Petri Cathedra contra schismaticos	lib. I.
--	---------

Vivere desiit anno MCXX.

### S. MODOCUS. 871.

S. MODOCUS alter, et vitae professione et tempore a sequente longe diversus, siquidem cum ille Culdeus tantum esset, hic episcopus fuisse perhibetur, Medani, Modani, et Euchini episcoporum aequalis. Scripsit

Homilias lib. I. Joan. Fordun.

Vixit anno DXXXIV. Sanctorum albo ascriptus. Leslaeus et alii.

S. MOTEFERUS. 872.

S. MOTEFERUS, unus ex duodecim discipulis Divi Columbae, eo in Hiberniam ex Scotia transmittente, cum Scandaleo, Eoglodio, Totaneo, et Gallano, in insula Iona sedem figens, multorum monachorum parens in magna sanctitate extitit. Scripsit

Ad Monachos in Iona Insula lib. I.

Vixit anno DCVI. Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLXX. In sanctorum album relatum Scotichronicon narrat lib. V. cap. IX.

S. MONO. 873.

“S. MONO,” ait Aubertus Miraeus lib. de Canonicor. Collegiis cap. LXXX. ex Joanne Molano de Natalibus SS. Belgii, “angelico monitu ex Scotia in Arduennam venit, ubi solus soli Deo multo tempore servit, et feliciter occubuit, a sicariis latronibus confossus, ubi etiam est sepultus in ecclesia quam ipse construxerat. Est autem Naissoin pagus illustris sanguine et reliquiis gloriosi martyris sub ditione abbatis monasterii S. Huberti, quod est in Arduenna, a quo duobus miliaribus distat intra diocoesim Leodiensem. Nominatur discipulus SS. Remacli et Joannis Agni, episcoporum Trajectensium ad Mosam. Ad eos enim e Scotia venerat; quae regio multos sanctos, velut stellas lucifluas, ad diversas mundi transmisit partes; caeterum beato viro, ob titulum Christianitatis mactato, Pipinus rex regaliter decimas obtulit quas habebat inter Letiam et Urcam:” quae verba sunt ex anonymo scriptore deprompta, quem Joannes Charlier, praepositus ecclesiae S. Mononis, eruit, et Surius publicavit tom. V. die XVIII. Octobr. cujus hoc est initium: “Fuit S. Monon de occiduis mundi partibus oriundus, videlicet ex Scotia.” Georg. Garnefelt Vit. Eremit. pag. CC. “S. Monon Scotus, solitarius in Gallia, a latronibus occisus.” Discrepant autem Miraeus et Molanus ab auctore illo; nam quem anonymus Joannem Agnum Tunagrensium episcopum facit, illi Trajectensium ad Mosam esse volunt. Colitur ejus memoria die XVIII. Octobris,

ut dixi. In Martyrologio Romano nulla mentio. Molanus non omisit Addition. ad Usuardum : “ In Nassonia natalis Beati Mononis martyris, qui angelico monitu de Scotia Arduennam venit.” Subjungit quae supra posita sunt verba. Scripsisse putatur

Constitutiones suae Ecclesiae lib. i. quae, monachis solis fundata, hodie canonicos habet in dioecesi Leodiensi. Miraeus loco laudato.

Vivebat anno DCCXXXVIII.

### S. MOMBULUS. 874.

CUM Sigebertus Gemblacensis Chronico ad annum DCLI. dixisset, “ praeter hos, et alii multi de Anglia vel Scotia in Galliis peregrinantes verbum Dei seminabant, multumque fructum Deo faciebant, scilicet Etto, Eloquius, Bertuinus ;” subdit in ora Aubertus Miraeus, “ inter alios fuere Sancti Adalgisus, Momblus, Wasnulphus, et Anthodus.” Nec plura probant eum Scotum esse, quod sciam. Hic etiam a Martyrologio Romano omissus habetur apud Molanum Addition. Usuard. die XVIII. Novemb. “ In Galliis S. Mombuli abbatis.” Scripta omnia perierunt.

Vixit anno DCLXI.

### MARIA. 875.

MARIA Stuarta, Jacobi V. [filia] unica, Jacobi VI. mater, Francisci II. Galliarum regis vidua, proxima Angliae heres ; nam Henricus VIII. Anglus Elizabetham publico regni ordinum decreto ut spuriam, nec suam expunxerat ; matre etiam Anna Bolena, quod rea adulterii cum multis, incestus cum fratre esset, securi percussa. Hoc fonte clandestinum Anglae in nostram principem odium ; mox, ea absente, aperta factio astu Anglicano erupit ; et cum Angla nuptias sui ducis Hamiltonii filio sancte promisisset, modo novam ille religionem inducere vellet, illico novi motus in procerum animis excitari Lidintonio, qui apud Elizabetham agebat, auro corrupto aut pollicitationibus : quod olim, per virum experientem traditum, credidi ; nunc damno, cum intellexerim Joannem Me-

tellanum, Lidintoniae baronem, pietatis vere assiduum fuisse cultorem. Res sic se habet : Jacobus, prior S. Andreae, spurius reginae frater, qui postea comes Moraviae, odio quidem religionis, sed majori regnandi cupiditate ardens, primus procerum auro pellectus, ita procerum turbavit mentes haeresi faventium, ut excogitarit rationem, et sibi et sectariis operosam, scilicet transire in partes Anglicanas, ut Maria, defuncto marito, ad Gallias deserendas inducta, omnia in armis, mutataeque domi religionem offenderet ; tum furioso Calvini catulorum ausu ad arma convolutum, et victa acie repetita a rebellibus regina, femina pientissima contumeliose tractata, ludibrio omnimodo affecta ; ad postremum in arcem lacu Levinio compacta, atque ad libidinem perduellium haereticorum custodiae mancipata, crebris Elizabethae Anglicanae literis sollicitata, quae ei et securum apud se receptum pollicebatur, et ingentes copias ultro offerebat, si a perduellibus supplicia digna destinasset exigere. Ita lacus Levinii custodia excedens, nec suorum rationibus, nec Joannis Hamiltonii, Sanctandreami archiepiscopi, lacrymis cessit, “quin se carissimae,” ut aiebat, “cognatae fidei committeret :” sic exiguo comitatu in Angliam trajecit, et Dumbretonia arce relictâ, crudelibus se impiae et saevientis lupae Anglicanae manibus tradidit ; a qua XIX. annos totos carcere arctissimo detenta, subditis suis, Sathanae ministris, clam instigantibus, nec Guisiis opem ferre, Gallia civilibus turbis agitata, valentibus, in arce Fodringania, novo exemplo et principibus pernicioso, securi est percussa, unica impietatis ea insula remota pietatis destina. Cujus innocentiam sanctitatemque variae gentes egregiique scriptores extulerunt, et maxime Scoti de quibus hoc opere lib. I. in *Anonymis*, et lib. IX. in *Incertis*, et alibi, ut occasio fuit, egi : innocentiam tam pie principis frustra obvelant sectarii Angli, ipsa enim falso accusata, a XLIX. Anglis interrogata, respondit, “Deum sibi non defuturum, quae velit in orthodoxa ecclesia vivere et mori.” Florimund. Raemundus lib. VI. Haereseon cap. XLIX. Deinde Amiae Pauleto, homini profligatissimo, exprobravit tyrannidem Anglae, “quae ipsam nulla alia causa quam religionis vexaret.” Ibidem loci. Tum ubi capitalis in eam lata sententia, graviter majestas sua Christianissima : “Gaudia mea non sunt in terra, sed in coelo ; mihi quidem mors grata est, quae

justissimae fidei causa obo, in hoc uno dolitura, quod non viderim Catholicos, qui dira patiuntur, libertate, ad Dei gloriam priusquam moriar, donari." Ibidem. Scribens postmodum ad Jezabelem Anglam, paratum sibi spiritum, Domini nostri exemplo, apprecatur: "Misericordiam Dei imploro super me, et super omnes, qui mihi tantum boni conciliarunt, ut has miserias, morte innocente, possim evadere." Eadem in literis ad Carolum IX. datis: "Religio Catholica, et jus legitimum in regnum Angliae, duae causae solae mortis meae sunt." Ad unum e magnatibus scribens, "Me viva," inquit, "status religionis Anglicanae subsistere non poterat; ago Deo gratias, quod videar adeo utile instrumentum stabiliendae in hac insula fidei." In fine earum literarum, "Mihi quidem," inquit, "jucundissimum fuit semper, et nunc jucundius est, vitam hanc sacrificare pro salute animarum hujus insulae." Tum demum in theatro illo lugubri moritura: "Si quispiam in hoc coetu Catholicus sit, oret pro me, et testetur me innocentem mori in professione fidei Catholicae, apostolicae, et Romanae:" et quisquam moriturae non credet? Hoc testantur seditiosa ministrorum Sathanae conciliabula, in quibus ad ravim inclamabatur, "nihil esse tam necessarium quam mors haec futura sit; esse vitam religionis; principem hanc aliquando, exemplo Mariae, et fidem Romanam remissuram, et, loco amotam, reposituram papae dominationem." Ergo hic verus sectariorum timor; sed et ipsa lupa Angla, dum sententiam iniquam in eam publicat: "Causa evangelii, et verae religionis Christi, pax et tranquillitas regni, necessitatem mortis ei denuntiant, et nobis imponunt." Cap. XIX. Prosequitur postmodum narrare, "eam ab ineunte aetate corruptam, et imbutam errore papatus;" in sequentibus, "vitam suam, regni pacem, religionis bonum, viva regina Scotiae, titubare." Sic ex sua et adversariorum confessione constat, non aliam causam, quam fidei orthodoxae tutandae, inventam. Servus publicus abscissum ostendens caput, "Deus," inquit, "Elizabetham fortunet, ita eveniat hostibus evangelii," haeresim intelligens, cujus illa hostis erat. Epitaphium ei multi variis linguis panxerunt; sed duo tantum apponam. Primum est a Maphaeo Barberino, patricio Florentino, adolescente annorum XVII. exaratum, ut appareat sanctissimae martyris precibus, et cardinalem et Scotorum protectorem eum postea evasisse, et ut nos omnes auguramur, et incomparabilis virtus promeretur, pontificem



summum futurum: utinam tantum boni Christianae rei et literariae contingat. Versus sunt:

Te quanquam immeritam ferit, o regina, securis,  
 Regalique tuum funus honore caret,  
 Sorte tua gaude, moerens neque Scotia ploret;  
 En tibi pompa, tuas quae decet exequias.  
 Nam tibi non paries atro velatur amictu,  
 Sed terras circum nox tenebrosa tegit:  
 Non tibi contextis lucent funalia lignis,  
 Sed coeli stellae: naenia tristis abest,  
 Sed canit ad feretrum superum chorus aliger, et me,  
 Coelesti incipiens voce, silere jubet.

Alterum est Joannis Dempsteri, bibliothecarii Veneti, gentilis mei:

Regibus orta, dedi reges, reginaque vixi,  
 Ter nupsi, tribus orba viris, tria regna reliqui;  
 Gallus opes, Scotus cunas, dedit Angla sepulchrum.

Omnibus naturae fortunaeque dotibus instructissima princeps, inter Angliae reges ad Westmonasterium sumptuosissimo tumulo collocata, habet alia epitaphia, sed inepta et ridicula, quae tanti non sunt, ut hic ponantur. Scripsit

Carmina Latine, Gallice, Scotice, varia et cultissima, lib. I.

Consolationem diuturnae suae et iniquae Custodiae lib. I.

Epistolas ad Regem filium, Regem Galliarum, Guisios consanguineos suos, Elizabetham Anglicam, perfidum propudium ac prostibulum, lib. I. quarum nonnullas Camdenus Annalibus suis inseruit.

Monita regalia ad Filium lib. I.

Passa est martyrium die XVIII. Februarii anno MDLXXXVII. femina coelo dignissima, ut quae omnes Christi martyres captivitatis supplicio longe superavit; neque enim ullus martyr XIX. annorum squalorem ac hostilem custodiam sensit. Audio ossa, ad regum Anglorum sepulturam Westmonasterium translata, miraculis clarere. Martyrem vocat Historia Gallica Petri Matthaei tom. II. lib. VI. narrat. II. ex libello supplici Catholicorum Anglorum.

## S. MADOCUS. 876.

S. MADOCUS nobili ortus familia, S. Winoci Scoti ex patria peregrinationis socius, et vitae sanctitatisque imitator. Anony. auctor Vitae S. Winoci Scoti apud Surium tom. VI. die VI. Novemb. "Habuit in consortium suscipiendae peregrinationis conjuratos in Christi sacramenta tirones; Quadanocum videlicet, Ingenocum, et Madoxum, genere quidem spectabiles, et vita probabiles." Nec plura de eo. Scripsit

Acta S. Winoci magistri lib. I.

Florebat anno DCCXVI. Beatum colit Flandria. Henr. Coster. in Arb. Bertin. Locrius pag. LXXX.

## MACCHABAEUS. 877.

MACCHABAEUS, rex Scotorum LXXXV. Malcolmi II. ex filia Doada nepos, regnum injuria adeptus, tyrannice et ferociter in capita procerum grassatur; quare a Malcolmo III. Duncani regis F. ex Anglia evocato, et vita et regno privatur. Scripsisse fertur

Leges Regno utiles lib. I. Hector Boethius lib. XII. Histor.

Scoticae pagina CCLI. quas deinde successor Malcolmus abrogavit omnes, eodem libro pag. CCLVI.

Exstinctus est anno regni sui XVI. salutis humanae MLXIV. a Makduffo Fifae comite. Sedebat in Petri cathedra Nicolaus II. imperabat Henricus IV. Francorum rex erat Philippus I.

## MALCOLMUS. 878.

MALCOLMUS II. rex, Malcolmi I. nepos, Kennethi III. F. ex Anglia redux Grimum bello petit, et victo coronam eripit. A Danis acie victus, tentato iterum certamine eos superat. Sub finem aetatis ingravescentis, mansuetudinem solitam in tyrannidem avaritiamque commutans, ad Glamuensem arcem optimatum factione perimitur. Scripsit

Leges Municipales

lib. I. Balaeus.

Leges de Regni Successione lib. I. Joannes Leslaeus.

Peremptus est anno regni xxxi. sal. mxl. sedente Romae Benedicto VIII. imperante Henrico III. Francorum rege Henrico I. Vide Hectorem Boethium lib. xi.

### MARTINUS POENITENTIARIUS. 879.

MARTINUS, papae Poenitentiarius, ab officio ita vocatus, cognomento etiam ab historicis Poloni notus, patria, ut Eisenrinus vult, Cartulanus, monachus Cisterciensis, ut nonnullis perperam videtur, Dominicanus, quod verius est, archiepiscopus Cosentinus. "Alii hunc Scotum faciunt," inquit Antonius Possevinus Apparatus Sacri pag. ccccx. Bugianus Benedictinus, et Arnold. Uvion Lig. Vitae lib. I. pag. lxxii. Platina in Victore III. "Martinus Scotus, vir magnae doctrinae, singularisque vitae." Scripsit

Chronologiam lib. I. cui aniles passim fabulas admiscuit, maxime portentosum illud commentum de Joanne pontifice femina, quod abunde, ut spero, refutavi lib. vi. Hetrur. Regal. cap. II. In hunc nostrum Martinum annotationes edidit Suffridus Petrus.

Florebat anno mcl. vel mcccxx. Bugiano et Uvione auctoribus.

### MARTINUS. 880.

MARTINUS hic, alter monachus Cisterciensis, male a quibusdam cum superiori confunditur, putaturque ordinis fuisse D. Dominicij. Baptista Platina in Victore III. "Martinus Scotus, vir magnae doctrinae, singularisque vitae, in sua historia conscribit." Paulus Langius, monachus Boznamensis, Chron. Citizens. "Martinus Scotus, Cisterciensis ordinis, Romae in pretio fuit." Scripsit celebratissimum opus,

Martinianam, sive historiam brevem, lib. I. ait ibidem Langius Cygnaeus.

Florebat anno mclxvii. Paul. Morigia lib. II. cap. vi. "Martinus Scotus, secundum nonnullos ordinis Cisterciensis, opera multa magnae famae composuit."

## MARCERIUS. 881.

MARCERIUS, vetustissimus auctor, primus omnium res Scotorum scribere exorsus, edidit, prisca et vulgari Scotorum lingua,

Adventum Scotorum in Albionem lib. I.

Regum Scotorum Gesta lib. I. Ex quibus pleraque Veremundus, historiae Scoticae veluti fons et pater, desumpserat.

Historiae suae seriem perduxit ad Regem Caractacum, qui fuit numero XVIII. rex, hoc est, usque ad annum salutis LIII. Hic est ille Caractacus, qui rerum gestarum fama omnes sui aevi principes superat, quique gloriam Claudii imperatoris mirifice auxit, dolo Carbamanduae novercae captus, ac Romam triumphali pompa praeductus. Praeter annales nostrates, C. Tacitus et alii.

## S. MAILDULPHUS. 882.

S. MAILDULPHUS, cognomento Paedagogus, sive Maedulphus, Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLXVII. sive Meyldulphus, "eruditione philosophus, professione monachus," ait Wilhelmus Malmesburiensis lib. I. de Gestis Reg. Angl. pag. VI. "Eruditione, et ingenio singulari, Latine et Graece doctus." Joan. Capgravius. Romanorum rituum acerrimus, et paene invictus propugnator, aedificavit monasterium in Anglia Malmesburiense, tot monachorum ac sanctorum patrum domicilium: "degens in nemore illo," ait Gulielmus Malmesburiensis, "amoeno, deficiente victu scholasticos docuit, qui postea omnes monachi evaserunt:" quam laudem etiam haereticus Camdenus attribuit in *Wiltshire* pag. CLXXIV. "Maldulfus quidam Scotus, vir singulari pietate, et summa eruditione." Idem Capgravius, Lelandus, Balaeus, nobis hostis, et frustra hic mendicent Hiberni. Scripsit

Pro Ritu Romano, contra Britannos atque Scotos, lib. I.

De Observatione Paschae lib. I.

Pro Tonsura ac Clericatu lib. I.

Regulas Artium diversarum	lib. I.
De Disciplinis naturalibus	lib. I.
Hymnos	lib. I.
Dialogos	lib. I.
Epistolas diversas	lib. I.

Claruit anno DCXC. sepultus in coenobio Malmesburiensi a se fundato. Colitur die IV. Novembris, Georgio Neutono teste.

#### S. MARGARITA. 883.

S. MARGARITA, alia a priore, "Christierni Daniae regis filia," ait Stephanus Lusignanus Corona IV. cap. X. "regi Scotiae desponsata, vita integerrima, frequentissimis orationibus, jejuniis, et eleemosynis, beata dici et haberi meruit." Plura ex historicis Danis et Scotis in libro nostro de Affinitatibus Regum Scotorum. Obscura admodum sunt acta.

Claruit anno MCD. aut circiter.

#### S. MARINUS. 884.

S. MARINUS episcopalia in Scotia munera obivit; transmarinas [ad] regiones, fidei ardore succensus, evangelium tulit; et postquam Petri successorem adorasset, in Germaniam, fertilem tunc laborum sanctissimorum messem, ac vineae Domini aream, descendens, Boiarios in sincero fidei Catholicae cultu confirmavit; ac tandem verba exemplo confirmans, pro zelo religionis exustus, martyr colitur.

Passus anno DCLXX. cum nepote suo S. Amano, colitur die XVI. Decembris. Matthaeus Raderus in Bavaria Sancta.

#### S. MAKBEATHATHGNE. 885.

S. MAKBEATHATHGNE, cum sociis suis "fide fervens, furtim con-suit lembum taurinum Birsis, alimentum hebdomadarium sibi supplet, elevat vela per dies septem, totidemque noctes, Aelfridum adit regem Anglorum; deinde Romam vestigia legit, ab inde Hierosolymas ire praetendit, nec miracula quidem non minima facta bre-

viario in hoc fas esset praedicere tota." Verba sunt Fabii consulis Ethelwerdi Historiae lib. IV. pag. CDXXCI. Locus in Cornubia, seu Cornwallia, servat appulsus memoriam; silent tamen, ut miraculorum, ita ipsius viri sancti, non annales modo Anglorum, sed et Scotorum. Scripsit

Ad Regem Aelfridum lib. I.

Peregrinabatur anno DCCCXCII. Dies incertus.

S. MARNOKDUB. 886.

S. MARNOKDUB, seu Marnocduus, eremita Scotus, in occidentali regni ora, ubi ingentium ejus beneficiorum, ut praesentium, per aedes sacras et aras, memoria viget, fuit Marnoci Culdei discipulus, ut in vita ejus, quam Veremundus scripsit, apparet: sic vero dictus ab habitu corporis, quasi Marnocus Niger; sic enim olim atque etiam nunc montani nostri Scoti, seu Hibernienses, ut vocantur, nomina imponunt. Scriptorum, si quae ediderat, memoria exolevit.

Claruit confessor anno CCCLXIV. Colitur XXIII. Februarii, ut nundinae probant.

S. MASORIUS. 887.

S. MASORIUS apud insulam Sargiam Britanniae claruit, ex eadem provincia ortus, socius S. Sampsonis, Dolensis episcopi. Petrus lib. IX. Catal. CIII. Sargia autem est inter Orcades, ut existimo. Nonnulli hunc Maglorium vocant; in his est Uvion; sed nescio quam recte.

Floruit sub annum DCLXXX.

S. MACRIRIUS. 888.

S. MACRIRIUS, episcopus in Scotia, et quidem Sodorensis, ex ea familia quae etiam nunc hodie superest, et in montanis locis non minima auctoritate et praerogativa pollet, unus eorum antistitum fuit, quos S. Maurus comites dedit S. Ursulae filiae suae cum virginea cohorte profecturae, ut loquitur Petrus lib. IX. cap. XXCVII.

et sonat Macririus filium Kirii, antiquissima enim gens Kiriorum apud Scotos, ex qua, proculdubio, originem trahunt Riarii marchiones Itali, qui Sanonae primum consederunt, deinde Fori Cornelii ac Caesennae principatum tenuerunt; nunc vero senatores Bononienses opibus et auctoritate florent, per Ferdinandum magni Hetruriae ducis ad Augustum exoratore. Sed ad Macririum redeo, qui, cum frater esset Geresinae S. Siciliae reginae, S. Ursulam ad martyrium grandi passu properantem insecutus, ab Hunnis ejusdem palmam accepit.

Passus est anno CDLIV. XXI. Octobris.

#### S. MAURUS. 889.

S. MAURUS, "rex Scotiae Christianissimus, S. Ursulae pater," ait Petr. Equilin. loco proxime supra laudato. Hunc porro non regem fuisse, sed regis fratrem, filium, avunculum, aut aliquid simile, suspicor; illa enim aetas per universum orbem ferebat, ut regum liberi reges vocarentur. Vide Apparatus nostri lib. II. cap. I. hic adde etiam consuetudinem regnorum septentrionalium, qua receptum, ut et spurii regum filii reges dicantur. Hoveden. part. II. pag. CDXXV. "Consuetudo regni Norvegiae est, usque in hodiernum diem, quod omnis, qui alicujus regis Norvegiae dignoscitur esse filius, licet sit spurius, et de ancilla genitus, tantum sibi jus vendicat in regnum Norvegiae, quantum filius regis conjugati, et de libera genitus." Horum filiorum ex legitimis nuptiis genitorum unus hic noster: errat importune Stephanus Lusignanus, qui hunc Corona IV. facit regem Britanniae Cismarinae in Galliis.

Claruit anno CDXL.

#### S. MAURINUS. 890.

S. MAURINUS abbas S. Pantaleonis Scotorum in urbe Coloniensi; quod monasterium tot sanctorum altrix, quot vix aliud in Germaniis. Hic porro, ex abbate martyr, et professionem monasticam sanguine suo nobilitavit, et securitatem aeternam sibi peperit. Historiam martyrii, jussu Christiani Scoti, abbatis loci, scripsit

Stephanus, monachus ejusdem gentis et coenobii professus, ut in actis ejus, et ex iis apud Uvionem lib. III. Mosandrum, Surium tom. III. et alios, videbis. Memoria, ut videtur, exoleverat; et cum templi novi fundamenta jacerentur, inventum est gloriosum corpus, cum hac inscriptione: "Hic requiescunt ossa bonae memoriae Maurini, qui in ecclesiae atrio martyrium passus, sub die 4. idus Junii." Nihil eum scripsisse suspicor, aut si scripserit, periisse.

Annus quo venit a Scotia incertus; passus est itidem incerto anno. Historia scripta anno CM. inventum ossuarium LXIV. annis post hanc descriptionem. Colitur passio die x. Junii, inventio die XIII. Octobris. Molan.

### S. MALCALLINUS. 891.

S. MALCALLINUS Scotus, Leviaia provincia oriundus, id est, ex montanis Silvestrium, quos vocamus, partibus genitus, ut historia SS. Lotharingiae fidem astruit apud Chey-naeum; quare ab imperitis Hibernus audit, contra rationem et acta. Monachus Scotiam deseruit, et amore Dei exul, loca sancta invisit, in reditu Verodunum appulit, juxta quod eremum incoluit, e qua extractus, monasterio praepositus, auream Scotorum suorum pietatem secutus. Appendix Flodoardi: "Vir Domini Malcallinus, natione Hibernicus, Virduni, in vigilia Vincentii, levitae, et martyris, vitam transitoriam, quam habebat exosam, deseruit, et cum Domino vivere feliciter inchoavit; qui praefatus abbas in corpore quiescit in ecclesia S. Michaelis archangeli, cujus abbatiam, dum corporaliter in hoc seculo maneret, pro moderamine rexit." Hibernicum vocat ex consuetudine seculi, nam sic Scoti montani tunc dicti. Martyrologium Romanum die XVI. Decemb. Aberdoniam in Hibernia illo sensu locat, ut omittam hodie inter Silvestres illos Malcallinorum seu Makallinorum familiam vigere, ex qua hic sanctus originem habuit. Scripta deperierunt.

Depositus est abbas et confessor anno DCCCCLXXVIII. Colitur die XXI. Januarii. Uvion in praetermissis ad lib. III.



## S. MENALACHUS. 892.

S. MENALACHUS, episcopus Scotus, socius ac collega S. Livini archiepiscopi Scoti, ut in illius Vita S. Bonifacius, et ipse Scotus, aperte loquitur, magistrum suum in Gallias comitatus, et ei martyrio affecto superstes, alicujus in Scotia ecclesiae pastor, summa sanctitate gregem rexit; nec siquid scripsit, exploratum.

Vixit confessor anno DCLXIII. Dies incertus.

## S. MENNA. 893.

S. MENNA, virgo regia, soror SS. Elifi et Eucharri, nec non Libariae et Susannae, cum iisdem et triginta tribus, aut, ut alii, duobus sociis, Scotia egressa, et sanctorum operum plena, gladio percussa, agonem pro Christo consummavit, virginitatis puritatem martyrii gloriae conjungens. Monacham fuisse ex actis liquet, ut appareat diu ante D. Brigidam moniales in Scotia vestitas, quod olim credulus scripseram: vitam autem ejus memoriae prodidit S. Rupertus Tuiensis, rogatu Albani abbatis Scotorum coenobii Martiniani Coloniae. Sacrae reliquiae, cum corpore integro, jacent in loco qui dicitur Poroes. Surius tom. v. pag. CCXXCIII.

Passa anno CCCLXI. colitur die XVI. Octob. Sur. ab impio et parabata Juliano mactata.

## S. METHODIUS. 894.

S. METHODIUS Scotus abbas, nec plura deprehendo, et apud Martyrol. Carthusianum solum, quod memini, ejus mentio celebratur; usque adeo in tenebris res ecclesiae nostratis jacent, et a te, Deipara virgo, fatum exspectant.

Annus incertus. Colitur XIV. Martii.

## S. MICHAEL. 895.

S. MICHAEL tacito nomine in Vita S. Malachiae nominatur, quam scripsit S. Bernardus, retulit Surius tom. VI. pag. XXX. Hic cum

laboraret dysenteria, miraculose ab eodem sancto sanatus, coenobia maxima continentia administravit. Petrus lib. x. cap. xxvii. Eundem autem hunc fuisse qui a Malachia liberatus, vita ipsius apud continuatorem Forduni loquitur pag. CDXCIV. et res nota.

Claruit anno MCXXI. Colitur xii. Novembris.

### S. MODESTA. 896.

S. MODESTA Scota, soror S. Willibrordi, patriam deserens, fratre vocante, invicto animo evangelio militavit, abbatisa monasterii Trevirensis, quod Horreum dicunt; in quo regimine successit S. Irminae regis Galliarum Dagoberti filiae. Acta ecclesiae illius, et ex illis Chronicon Chronicor. Joannis Gualterii pag. MCDXLIX. Scotam probavi lib. xix. infra hic, nam Willibrordus frater Scotus erat.

Florebat anno DCCXL. Colitur iv. Novembris.

### S. MOTTOMAGUS. 897.

S. MOTTOMAGUS Scotus, eorum unus, qui, dignitate episcopali praediti, lumen fidei ad exterarum, et praecipue Germanicas gentes pertulere; de quo nihil aliud scio, nisi ipsum in Martyrologio Germaniae Canisiano coli die xii. Maii. Tu lector adi ad opus.

Annus apud me incertus.

### S. MOOH. 898.

S. MOOH, abbas regularis, vitae callentissimus, literarum humanarum doctus, et, quod omnia haec superat, sanctissimi patris nostri Brandani magister, ut vita ejus loquitur. Hic primus nostratium meditatus hominis primi felicitatem, dum in statu innocentiae in Paradiso terrestri ageret, deinde ejusdem parentis nostri lapsum infelicem, et quibus artibus tam miserabili conditioni humanitatis obviam iri posset; idcirco eum Paradisum terrestrem invenisse, intrasse, descripsisse, sibi credula aetas ignorantiae mixta persuasit, Petrus lib. v. Catalogi cap. cxviii. falso sane, nam post depul-

sum primum hominem, et obseratas gladio igneo vibrante fores, nulli mortalium Paradisum visere, nisi Enoc et Eliae, a Deo permissum. Labor igitur sanctus Moochi scribere

Meditationes de Paradiso terrestri lib. I.

Monita ad Brandanum lib. I.

Vixit anno DLX. Colitur XIX. Decembris.

S. MURDACHUS. 899.

S. MURDACHUS eremita, ad lacum quendam in Argadia maximum pauperrimum habitaculum sortitus, adeo ferventer Deiparam Christi parentem Virginem coluit, ut frequenter ab ea consolari meruerit. Extat vita cum IX. lectionibus, et tota series ejus depicta in templo ei dicato. Fuit autem bardorum e gente oriundus, ideo hereditario quasi sanguinis jure poeticae addictus, et quidem ultimus eorum philosophorum, quod eo nomine Scoti sic vocarunt. Ingens vitae sanctimoniae testimonium refertur in hunc modum: latrones noctu vicinam cellae sancti, vulgo Kilmurdah, aedem sacram diripuerant, totamque suppellectilem abstulerant, et inter alia alter calceorum, qui gemmis distincti Deiparae Virginis imaginem ornabant, ablatu: vicinia sanctum primo quidem suspectum reddidit, deinde in judicium pertraxit; at ille confertissima populi, omnis generis et sexus, stipata multitudine, ad aram fidenter accessit, et cum aliquandiu prostratus orasset, rem mirandam, imago alterum calceum, pede extenso, in sinum orantis, et jam levati, placide dimittit; populus venerabundus miraculum agnoscit, delatum adorat; ille honores aversatus procul recedit, majori cura sacris incumbit, in ultima se-nectute scribit

Hymnos Deiparae lib. I.

Vixit anno DCCC. Colitur v. Octobris.

JO. FRANC. METELLANUS. 900.

JOANNES Franciscus Metellanus, vir ortu nobilis, sed sapientia, doctrina, morumque integritate longe nobilior, patria egressus ordini S. Francisci Pauliani Minimorum se tradidit; in quo evan-

gelico vere ritu se gerens, symmystis instar miraculi fuit. Nuper cum Hirlandi apud sacram de propaganda fide congregationem Romae libellum obtulissent, ut ipsi, Scotis exclusis, in Scotiam auctoritate apostolica mitterentur, contententes Scotos eo munere indignos, hic, aliis conniventibus, causae non defuit, sed solus evicit ut Scotiae honor suus constaret, ac viles Hirlandi repellerentur, nec doctrina nec religione pares, quod S. D. N. Urbani VIII. sententia visum. Scripsit

Libellum supplicem pro Missione patria lib. I.

Conciones disertissimas lib. I.

Transiit Bononia hoc ipso anno MDCXXV.

#### ALEXANDER MONTGOMERICUS. 901.

ALEXANDER Montgomericus, canonicus Lateranensis, abbas S. Crucis sub Monte Doloroso, furente in Scoticum nomen Eduardo I. Anglo, decreto publico, non solum monasterio suo, sed toto regno eliminatus, et cum juberetur in Angliam migrare, aufugit in Gallias; sed cum Robertus Brusius, Scotorum Epaminondas, Angliae regem stataria ad Bannocburn acie profligasset L. millibus caesis, rediit hic ad suos, et scripsit, versu,

Encomium Roberti Regis lib. I.

Scribebat anno MCCCXIV.

#### MARCUS MOUBRAY. 902.

MARCUS Moubray Scotus, adolescens probae indolis, in patria magnorum studiorum fundamenta jecit, in Italiam deinde descendit, ac lustratis celebrioribus urbibus venustissimum literarum emporium Bononiam delegit sibi sedem, ubi serio juri civili incubuit, auditor Saliceti; familiaris Cardinali Brutiae, brevi in magnum evasit virum, ad publicam professionem ingenii sui merito vocatus. Scripsit, et eidem cardinali, Maecenati suo, inscripsit

Lecturas in ff. vetus lib. I.

Vivebat anno MCCCLXXII.

## ALEXANDER MORISON. 903.

ALEXANDER Morisonus Levinius, nepos ex sorore G. Buchanani, sed Catholicus, quem multum propria virtus, sed magis junioris Scaligeri commendatio in posthumis extollit, opera omnia avunculi purgata denuo excudenda curavit. Auctor laudatus sic epigramma cultum concludit :

Nunc opus hoc, Morison quod luminis edit in auras,  
Vestrum est, typographus fecerat ante suum.

## JOANNES MAILROSIUS. 904.

“ JOANNES, Mailrosius cognomine, et natione Scotus,” ait Anton. Possevin. Appar. Sacr. pag. CCXV. Mailrosius male a Sixto Senensi lib. IV. Bibliothec. Sanctor. vocatur. Errant qui hunc cum S. Joanne Duns aut Joanne Airigena, de quibus supra, confundunt.

Nec minus ineptiunt homunciones Angli, et in his Polydor. Virgilius lib. v. Histor. Anglican. pag. cv. qui hunc ex Scotia vel Hibernia in Galliam cum comite suo uno venisse, et venalem habere se scientiam subinde jactasse. Nugatur, inquam, ille; nam cum Alcuino, Rabano, et Clemente ab Achaio Scotiae rege ad Carolum Magnum missus, bonas artes in Italiam, eo seculo sepultas, intulit; et post fundatam academiam Parisiensem, Ticinensem communi opera instituerunt. Nam, praeter ea quae supra relata sunt, utriusque academiae parentem fuisse Carolum Magnum, permulti, et fide digni, docent. Biblioth. Minor Patrum Joan. Gualterii pag. DCCCCXCVIII. “ Joannes Mailrosius Scotus, socius Claudii Clementis :” et alibi pag. MCCXCVII. “ Ex Scotia venerunt in Galliam Claudius, Joannes, Rabanus, et Alcuinus, quibus Parisiensis academia fatum suum genitale debet sub Carolo Magno.” Idem in Chronologia Ecclesiastico-politica pag. DCCXXXIIX. Auctor anonymus in Vita S. Bennonis cap. IX. apud Surium tom. VII. Robertus Gaguinus, Nicolaus Gillius. Papius Massonus in Annalibus Gallicanis : “ Ex quibus verbis apparet tres publicas scholas a Carolo Magno institutas, quae academiae dicuntur, ipso mortuo perituras fuisse

si Ludovicus, paternum morem secutus, non fuisset cui literarum cura non minor quam patri fuit." Paucis interjectis: "Parisiensis, Patavina, et Ticinensis academiae Carolum Magnum parentem suum appellant." Sed Clemente, Rabano, Joanne, et Alcuino Scotis, academiarum harum fundatoribus, vel alio ad praesulatus evocatis, vel defunctis, cum pares virtutibus ipsorum et eruditioni non invenirentur successores, scholae illae languere coeperunt, adeo ut sub Lothario et Ludovico imperatoribus in VI. Concilio Parisiensi, lib. III. cap. XII. sub annum DCCCXXIX. Gregorio IV. pontifice, haec verba sint: "Similiter etiam obnixè ac suppliciter vestrae celsitudini suggerimus, ut, morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis imperii vestri locis scholae publicae ex vestra autoritate fiant, ut labor patris vestri et vester per injuriam, quod absit, labefactando non pereat." Clare Caroli Magni cura fundatas tres scholas apparet; a filiis ipsius restauratas, et novis auctas professoribus, et antea hoc opere explicatum, et consentiunt scriptores. Platina in Leone III. Videantur inferius in *Rabano* dicenda.

Academiam Papiensem, seu Ticinensem, a Carolo Magno fundatam etsi certo consensu Transalpini tradant, tamen Itali nihil simile retulerunt, quinimo Bernardinus Saccus, qui Ticinensem Historiam decem libris est complexus, contentus de obsesso Ticino Desiderio et capto disseruisse, nihil de schola erecta prodit, sed facit quod facere solet negligens et indoctus scriptor. Alii serius multis seculis academiam ibi constitutam volunt, scilicet sub Carolo IV. anno MCCCLXI. quod probabile duxit Paulus Merula part. II. Cosmograph. lib. IV. cap. XXXV. quod manifesto falsum, siquidem ea urbs prima in eo tractu lumen fidei accepit, Pompeio discipulo Sancti Syri in ejus vita auctore, primaque cis Alpes peregrinis doctoribus illustrata, nobile fuit bonarum artium omnium emporium, Scotici, Gallici, et Anglici annales omnes sine ulla discrepantia. Sed redeo ad Mailrosium,

Qui a nobilissimo coenobio in agro Scotico, Mailros sive Melros, nomen sortitus est. Erat hoc "Tuidi fluminis circumflexu clausum," ut ait Beda lib. V. Histor. Ecclesiast. Gent. Anglor. cap. XIII. Unde error in eo tollendus lib. IV. cap. XXVII. ubi situm ait ad Tiudi fluminis ripam: sed corrige *Tuidi flumen*, enim illud hodie separat

Angliam a Scotia; eo aevo totus in Scotorum finibus fluebat, et monasterium illud a Scotis semper regebatur. Beda loco laudato. Ex hoc coenobio extractus Joannes noster, "a Carolo Magno in Italiam missus, Ticinum, seu Papiam," ait Balaeus, "academiam fecit." Praeclarum sane ab hoste genti nostrae jurato testimonium, sed mox post labitur foedissime: "Displicuit multis quod contra Romanos ritus Graecis adhaesisset." Nec in minori errore versatur Simeon Dunelmensis in Chronicis, qui putat contra hunc scripsisse Paulum Florum, qui res Justiniani carmine composuerat; et frustra sunt etiam qui hunc in Catalogum Haereticorum a Bernardo Lutzemburgo relatum existimant, cum non de Joanne Mailrosio omnia illa sint intelligenda, sed de Joanne Airigena. Ejus sunt multa ad posteros relata, sed haec paucula extant, et recensent:

Super Canones Arzachelis	lib. I.	
Epistolas ad Carolum Regem	lib. I.	
Versus diversi generis	lib. I.	
Commentarios Scripturarum	lib. I.	
Homilias eruditas	lib. I.	
De Germanis juxta Iremeum	lib. I.	Bastono auctore.
Dialogum de Natura	lib. I.	
De primo Rerum Principio	lib. I.	
De Eucharistia	lib. I.	Haec sunt gemina ipsius opera.
In Evangelium Matthaei	lib. I.	
De Officiis divinis	lib. I.	
De Officiis humanis	lib. I.	
De Naturae Divisione	lib. I.	Sunt haec non hujus, sed alterius Joannis, uti super hoc opere in nomenclatura eorum lib. I. et lib. IX. liquido apparet.

Obiit abbas coenobii Ticinensis Benedictinorum, ex donatione Caroli Magui, anno DCCXCII. vel, quod verius est, anno DCCCXII.

#### FRANCISCUS MAYRONIS. 905.

FRANCISCUS Mayronis, sive Maronis, Franciscanae familiae socius, "discipulus Scoti, famam ejus paene consecutus." Volaterran. lib. XXI. pag. DCXXXIII. "In Gymnasio Parisiensi appellatus Doctor

**Illuminatus, Actum Sorbonicum instituit,** quo nihil laboriosius S. theologia candidatis suis imponit. Anton. Possevin. Appar. Sacr. pag. D. qui licet patriam taceat, eam tamen expressit illustrissimus Robertus Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. “ Maronius scholastica eruditione praestantissimus, et in divinis scripturis suo tempore clarissimus.” Sixt. Senens. lib. IV. Bibliothec. Sanct. Paulus Langius Cygnaeus in Chronic. Citizensi pag. DCCCXLI. “ Viri sapientes, qui hoc tempore scriptis floruerunt, Franc. Maronis, ordinis Minorum, Doctor Illuminatus.” Ejus sunt :

Commentaria in IV. Libros Sent.	lib. I.
Quodlibeta, Formalitates,	lib. I.
De primo Principio	lib. I.
De Expositione divinorum Nominum	lib. I.
De Univocatione	lib. I.
Quadragesimale	lib. I.
Sermones de Sanctis	lib. I.
Postillae Annotationum in totam sacram Scripturam	lib. I.
memoria dignae, ait Sixtus Senensis.	
De Veritatibus Beati Augustini	lib. I. Francisc. Gonzaga
part. I. pag. LXXXIII.	
In Decretales	lib. I. Ibidem.
Epitome super Libros naturales Aristotelis	lib. I. Ibidem.
De Paupertate Christi et Apostolorum	lib. I.
De Virtutibus et Vitiis capitalibus	lib. I.
De Articulis Fidei	lib. I.
De Baptismo	lib. I.
De Humilitate	lib. I.
De Indulgentiis	lib. I.
De Corpore Christi	lib. I.
De Angelis	lib. I.
De Suffragiis Defunctorum	lib. I.
De Poenitentia	lib. I.
De Jejunio	lib. I.
De ultimo Judicio	lib. I.
De septem Donis Spiritus Sancti	lib. I. Quae omnia vel Venetiis vel Basileae prodire, ait Bellarminus loco laudato.



Florebat anno MCCCXX. ut receptior praefert sententia. Alii rejiciunt in annum MCCCLXV. in his Paulus Langius. Obiit Placentiae; cui Sanson ordinis generalis monumentum erexit, quod vide apud Henricum Villot Belgam Athenar. Orthodoxar. pag. CXXXVII.

#### MAIOLUS. 906.

MAIOLUS, Scotorum peregrinorum qui D. Benedicti habitum induerant, Coloniae abbas, religiosi voti tenacissimus, scripsit

De Passionibus Sanctorum lib. I.

In Evangelium Matthaei lib. I. Accepi Coloniae asservari.

In Regulam Divi Benedicti lib. I. Meminit Joannes Trithemius.

Obiit anno MLXI. Florentius Wigorniensis et alii.

#### MACCHABAEUS. 907.

MACCHABAEUS, monachus insigni pietate, nec minore doctrina, egregius verbi Dei praeco habebatur, cum SS. D. Andreae reliquiae in Otholiniam, afferente S. Regulo, delatae sunt. Scripsit primus, quod sciam, apud nostrates,

Laudes B. Mariae semper Virginis lib. I. versu, Veremundo auctore.

Panegyricum in Laudem S. Andreae lib. I. Est in bibliotheca Jacobi Bongarsii MS.

Floruit anno CCCLXIX. Hector Boethius lib. VI. Hist. Scot. pag. CV.

#### S. MERINATUS. 908.

S. MERINATUS diaconus, Damiani presbyteri frater, de quo lib. IV. hoc opere supra, magna pietatis ac eruditionis fama populares suos et Pictos vicinos fidem docebat, cum S. Regulus reliquias Divi Andreae, postea Scotiae tutularis, in Albionem inferebat. Boeth. loco proxime supra laudato. Scripsit

Contra Errores Gentilium lib. I. Boeth. opus praeclarum, et  
Joanni Molano Brugensi laudatum.

Vixit anno CCCLXIX.

S. MERINUS. 909.

S. MERINUS monachus, S. Regulo Graeco perfamiliaris, qui vel una cum illo in Scotiam appulit, vel cum ille appelleret, strenuam, Deoque acceptam, instruendis Christiana pietate popularibus operam impendebat. Scripsit

Homilias de Sanctis lib. I.

Florebat anno CCCLXIX.

JOANNES MAJOR. 910.

JOANNES Major, vulgo Mayr, Hadintoniensis, theologus Parisiensis, socius Sorbonicus, "aevo suo doctissimus," Andreas Duval, professor Sorbonicus, Apologia contra Richerium, socius etiam Navarraeus. Jacobus Breulius Antiquitat. Parisiens. lib. II. pag. DCLXIV. Studiorum suorum tirocinia in Scotia fecit primum, tum in Collegio Christi Cantabrigiae in Anglia, ut ipse fatetur lib. I. Histor. cap. v. Parisiis deinde docuit magna nominis celebritate. Demum ad suos Scotos reversus, doctoris partes laboriose, nec sine summa ingenii, ut ea ferebant secula, [laude] sustinuit. Injurius ei Georg. Buchananus, qui aemulationis studio lib. I. Epigrammat. de eo, "in Joannem cognomento Majorem, ut ipse in fronte libri sui scripsit:"

Cum scateat nugis solo cognomine Major,  
Nec sit in immenso pagina sana libro,  
Non mirum titulis quod se veracibus ornat,  
Nec semper mendax fingere Creta solet.

Ejus ingenii monumenta ad posteros transmissa sunt haec :

Historia Majoris Britanniae lib. VI. quo in opere fateor quaedam esse bonae frugis, sed multa erronea, quaedam ridicula, quale est illud de ponte Hadintoniensi, nonnulla manca, denique omnia negligenter scripta ; sed venia rudi illi aevo danda.

Decisiones Sententiarum lib. IV. opus a theologis hujus aevi valde laudatum, et supra fidem utile.

Sophisticalia Parisiensa	lib. I.
Placita Theologica	lib. I.
Commentarii in Matthaeum	lib. I.
Disputationes Sorbonicae	lib. I.
Sermones per annum	lib. I.
Caxtoni Chronici Versio	lib. VII.
Catalogus Episcoporum Lucionensium	lib. I. Anton. Demochar. lib. I. cap. XXVI.

Redux in Scotiam obiit Andreapoli S. theologiae professor anno MDXX.

#### MAGNUS MACULLOCH. 911.

MAGNUS Macullochus, seu Macolo, vir egregius, a secretis Gulielmo Schewes, archiepiscopo S. Andreae. Ejus est

Polychronici aut Scotichronici Transcriptio et Continuatio lib. I. et alia.

Florebat Edimburgi MCCCCLXXXII. anno.

#### RICHARDUS MIDLETON. 912.

RICHARDUS Middleton, seu a Media Villa, ut nonnullis placet, Mediovillanus, Scotus fuit, ut Sixto Senensi placet, et repetit Joannes Pitsaeus Anglus de Illustr. Angliae Scriptoribus aetate XIV. atque etiamnum hodie extat familia Middletoniorum, qui tanto surculo a trunco suo profecto gloriantur. Parisiis inter celeberrimos Sorbonae doctores habitus, et patriae suae Scotiae, et ordini D. Francisci, quem induerat, ingens ornamentum contulisse visus est, vulgari elogio dictus "Doctor solidus, copiosus, fundatissimus, et autoratus," ut in Athenis illis suis Orthodoxis Henricus Villot scribit. Et cum Joannes Petrus nova haereseos semina spargeret, Bonagratia, decimus minister, [ne] incautos occuparet, huic examinandam commisit, qui haereses omnes et solerter detexit, et erudite confutavit: cujus gloriae nec illud officit, quod inter XIV. sui ordinis doctores numeratur, qui circa tumulum subtilis doctoris aereis laminis affigebantur. Scripsit

Super Evangelica lib. IV. Super Epistolas Pauli lib. XIV.

Super Magistrum Sententiarum	lib. IV.
Super Distinctionem Decreti lib. I. De Ordine Judiciorum lib. I.	
De Conceptione B. Mariae Virginis lib. I. Opusculorum lib. I.	
Quodlibeta Theologica LXXX. Quaestionum lib. I.	
Commentarios imperfectos	lib. I.
In Regulam D. Francisci	lib. I.
Contra Petrum Joannis	lib. I.

Obiit anno MCCC. de quo illud dicebatur :

Sacra refert celebris Richardus dogmata quondam,  
Quem genuit Media Villa decora virum.

### MURICHERODACHUS, 913.

MURICHERODACHUS, Benedictinus monachus, S. Mariani comes ex Scotia in Germaniam venit, et monasterii Ratisbonensis, a Friderico, vel, ut alii volunt, ab Henrico Burgravio II. nuper [conditi,] incola, scripsit

Ad Scotos peregrinos lib. I. Pro Cultu Imaginum lib. I.  
De Virtute S. Crucis lib. I.

Floruit MCLVIII. Lazius et alii.

### MARTYROLOGIUM S. CRUCIS. 914.

COENOBIUM Regium SS. Crucis ad Edimburgi muros, foundationis suae acta ac vitam S. David regis accuratissime in unum corpus collegerat, multorumque monachorum cura successionem continuaverat : id vocatum

Martyrologium S. Crucis lib. I.

Pervenerat ad annum MDLXI a fundato monasterio. Vide Apparatus, Hist. Scot.

### PETRUS MAILLART. 915.

PETRUS Maillart, juris utriusque doctor, vir magna dignatione, tota juventute in Galliis exacta, a Carolo VIII. cum Beroaldo Stuardo Obygno ad Jacobum III. orator missus, vetus inter reges Galliae et Scotiae foedus renovavit, et scripsit

Pacta perpetua inter Francos et Scotos Reges	lib. I.
Repetitiones Codicis	lib. I.
Solennes in Jure Quaestiones	lib. I.
Breviarium Legum	lib. I.

Legatus e Gallia missus, Edimburgi foedus renovavit anno MCCCCLXXXIII. die XXII. Martii. Annales Gallici et Scotici. Joan. Leslaeus lib. VIII. pag. CCCXXIV.

PATRICIUS MYRTON. 916.

PATRICIUS Myrton Aberdonensis, vir singulari eruditione, et, ut existimo, utriusque juris doctor, turbatis in Scotia rebus, et vacillante religione Catholica, rerum potitis haereticis, Edimburgum publica cleri Aberdonensis deliberatione, ad rationem fidei suae in senatu reddendam, missus est, comitantibus eum Joanne Leslaeo, postea Rosensi episcopo, et Alexandro Andersono. Tam graviter causae suae patrocinitus est, ut non justitia aut causae aequitate, sed immani furore Catholici victi viderentur. Scripsit

Pro Catholica Veritate	lib. I.
De Sanctis invocandis	lib. I.
De Capite visibili Ecclesiae	lib. I.
De Purgatorio	lib. I.

Scribebat anno MDLX. Joannes Leslaeus auctor est.

JOANNES MURE. 917.

JOANNES Mure Benedictinae regulae se submitit in celebri coenobio Crucis Regalis, et fuit domus illius subprior; "vir doctissimus, et vitae continentissimae," ait Gilbertus Brunus in Collectaneis. Scripsit

Contra Alchymiam	lib. I.
De Secretis Philosophorum	lib. I.
Moralia Decreta	lib. I.
In Sententias	lib. I.

Obiit anno MDLXXXV. die XV. Novembr.

## S. MARCUS. 918.

S. MARCUS, episcopus Scotiae, peregrinatione Romam instituta, in regressu ad S. Galli monasterium in Helvetiis substitit, et sanctissime cum fratribus vixit. Eckerhardus monachus in Vita S. Notkeri Balbuli cap. VIII. "Quendam episcopum Scotigenam, nomine Marcum, Dominus misit ad cellam S. Galli, qui rediens Roma, repatriare volens, Gallum tanquam compatriotam suum visitat, cui comitabatur (legendum *quem*) filius sororis Moengal nomine, postea Marcellus a nostris diminutive a Marco avunculo ejus (*suo* debuit dicere) est vocatus : hic erat in divinis et humanis scripturis eruditissimus." An Marcus aliquid scripserit, non deprehendi ; tanti tamen viri memoriam praeterire non sustinui.

Claruit circa annum CMXII. Jodocus Metzlerus, aut L. annis citius.

## S. MARCELLUS. 919.

S. MARCELLUS, sive Moengal, avunculo Marco peregrinationis Romanae comes, humanarum divinarumque literarum eruditissimus, ut ex Eckerhardo supra laudato liquet : quin et ipse subdit : "Traduntur post breve tempus Marcello scholae claustrum, cum Beato Notkero Balbulo, et ceteris monachici habitus pueris." Fuere sub ejusdem ferula, clarissimae postea sanctitatis, et praecipuae dignationis, viri Rapertus et Tuntilo, ut ex narratione ejusdem loci manifestum. Scripsit

De septem liberalibus Disciplinis	lib. I.
De Musica	lib. I.
De Cantus Ecclesiastici Reformatione	lib. I. Eckerhardus ibidem.

Floruit anno DCCCXII. aut L. annis prius, quod est verisimile, nam Notkerus tum puer erat. Castitatem in eo extollit idem Eckerhardus cap. XXII. "Castus, ut Marcelli discipulus, qui feminis oculos clausit." Colitur die XVII. Decembr. Tab. Sangallensis Coenobii.

## S. MODESTUS. 920.

S. MODESTUS, episcopus Liburniae in Sclavonia a S. Virgilio constitutus, "ut ea gens a ritibus idololatriae revocaretur," ait anonymus auctor vitae S. Gebhardi tom. VI. Antiquar. Lectionum, scripsit

Ad Ecclesiam suam

lib. I. MS. Salisburgi.

Epistolas

lib. I. in quibus Scotum se no-

minat, epist. VII. Prodiere Argentinae.

Claruit anno DCCLXXVII. Colitur v. Decembris.

## JOANNES MACHABAEUS. 921.

JOANNES Machabaeus, mutata in Scotia religione, fugit in Angliam, Nicolai Shaxtoni, Sarisburiensis episcopi, et Cromuelli amicitia sublevatus; inde in Daniam concessit, et varia egit usque ad finem fortuna. Scripsit

De vera et falsa Ecclesia

lib. I.

Themata quaedam in Dania disputata

lib. I.

Obiit Christiani Daniae regis familiaris et proregibus, Scotiam factionibus saeve lacerantibus, anno MDL.

## GULIELMUS MANDERSTOUN. 922.

GULIELMUS Manderstoun, Parisiensis medicus clari nominis, et ut ea ferebant secula eruditus, opera sua dedicavit Andreae Forman, Scotiae primati. Ejus sunt permulta in variis scientiis diligenter elaborata, sed ego haec pauca tantum vidi:

Tripartitum Epitoma doctrinale et compendiosum in totius

Dialecticae Artis Principia

lib. I.

Quaestionem de futuro Contingenti

lib. I.

In Ethicam Aristotelis ad Nicomachum Commentarios

lib. I.

De Arte Chymica

lib. I.

Obiit anno MDXX. in Scotia an Gallia, ignoro.

## JACOBUS MARTINUS. 923.

**JACOBUS** Martinus Dunkeldensis, Lutetiae Parisiorum philosophiae professor claritudine ingenii admirabili, postea ad Allobroges transiens philosophiam Augustae Taurinorum coepit eadem felicitate docere. Multa edidit relatione dignissima, mihi perpauca videre contingit.

In Artem Memoriae lib. I. Lutetiae.

De prima simplicium et concretorum Corporum Generatione lib. I. Taurini. Dedicavit Hieronymo Ruvere, archiepiscopo.

De Intelligentiis motricibus lib. I. Ibidem, et eidem nuncupatum.

Venit Parisios anno MDLV. Acta nationis inibi Germanicae MSS. ad D. Cosmi. Scribebat Taurini anno MDLXXVI. quando aut ubi obierit, non comperi.

## S. MELLANIUS PROBUS. 924.

“**S. MELLANIUS** Probus Scotus,” ait Antonius Possevinus Appar. Sacr. pag. CDXXXIII. Verba Constantini Ghinii Senensis sunt ex Natalibus Sanctorum Canonicorum: “Rhotomagi S. Mellanii episcopi, qui ex Majori Britannia veniens, videns miracula B. Stephani papae, conversus ad Christum ab eodem sancto pontifice, instructus, baptizatus, et clericus et gradatim sacerdos ordinatus, divino oraculo Rhotomagensis episcopus consecratus fuit anno Domini CCLVI. Eo igitur pergens, apud Antisiodorum hominem, qui bipenni pedem sibi in duas partes diviserat, signo crucis sanavit; veniens autem Rhotomagum praedicavit, praedicationem miraculis confirmavit, ac fere totum populum convertit ad Christum, ad quem post multos labores XI. calendis Novembris laetus migravit.” Eadem Petrus a Natalibus, episcopus Equilinensis, lib. IX. cap. XCIII. qui baculum pastorem eum ab angelo accepisse ait, dum missam celebranti Stephano papae inserviret. Demochares *Mellonem* vocat; alii est *Mellonus*. Colitur autem sacra ejus memoria die XXII. Octobris, ut



dictum confirmat Joan. Molanus Addition. ad Usuardum. "In Galliis civitate Rhotomago natalis S. Melloni, qui ejusdem urbis primus ecclesiam archiepiscopus rexit, ibidemque sepultus gloriosissime quievit." Plura et evidentiora habes apud Vincentium Bellovacensem lib. XII. cap. LXXIV. S. Damasus papa in Pontificali, si tamen ille auctor est, Baronius et alii. Scripsit, eodem auctore Possevino,

Homilias

lib. I.

Floruit anno CCLX.

### MERLINUS. 925.

MERLINUS, cognomento Caledonius, quod ad Caledoniam in Scotia Silvam natus esset, sic vocatus. Frustra eum sibi Angli vindicant, cum omnium scriptorum consensu sit indubitatum, Latino aevo, Scotorum nomine ignoto, Scotos vocari solitos Caledonios Britannos. Ovidius, Stadius, Valerius Flaccus, Solinus, Martialis, et alii. Cognomen- tum autem Caledonii ei vel ipse Balaeus astruit. Bibliotheca minorum Patrum pag. DCCCCLXXV. "Merlinus Caledonius, alias Silvestris, Scotus." Mira de ortu ejus comminiscuntur, quod scilicet mater confessa sit ab immundo se compressam spiritu aut incubo Avernali eum genuisse. Utcunque se res habeat, illud sane pro comperto, mirandam in illo futurorum scientiam, Hect. Boeth. lib. VIII. Histor. Scot. pag. CXLIX. et non spernendam naturalem quidem prodigiorum interpretationem, idem lib. IX. pag. CLIII. Scripsit hic

Suarum Divinationum lib. I. Cujus auctoritate utuntur multi graves et antiqui scriptores, et in his Joannes Hardingus lib. I. Chronicorum cap. XXV. Vertit eas Latinis versibus Galfredus Monometensis, et extant MSS. in Collegio Mertonensi Oxoniae, et in Collegio S. Petri Cantabrigiae.

Super quibusdam Honoribus lib. I.

Dicta de septimo lib. I.

Super quodam sexto lib. I.

Expositiones mirabiles de Arboribus Londini ardentibus, de aestuantibus insolito furore Tamesis Undis, de Infante apud Cantianos in utero matris ridente, de Fonte apud

Eboracum sanguinem ebulliente, lib. i.  
 De Albanorum Fortunis lib. i. Hoc opus de Scotis solis  
 scriptum videtur, illi enim tum Albanorum nomine, ut  
 Angli Britannorum veniebant.

Prophetia prosaica lib. i.  
 De Tempore Regis Arthuri lib. i.

Vixit anno CCCXLV. ut Sigeberto videtur in Chronico eo anno, vel  
 anno CCCCLXIV. Matthaeus Westmonasterien. et receptior haec sen-  
 tentia. Quidam rejiciunt in annum DLXX. in his Pitsaeus. Constat  
 et Telesini Scoti fuisse discipulum, et Arthuro regi perfamiliarum  
 secretorumque conscium, et multos annos in Caledonia Scotorum  
 Silva eremiticam vitam sancte duxisse.

## DUNCANUS MACRUDERUS. 926.

DUNCANUS Macruderus Dumblanensis Lutetiae liberales artes stu-  
 diose didicit, laboriose docuit; omnibus honorum academicorum  
 gradibus evectus, edidit

In Politica Aristotelis Annotationes lib. i.  
 De Astrologia Poetica lib. i.  
 In Fragmenta omnia Ciceronis Observationes lib. i.

Ascitus est in academiam Parisiensem anno MDLII. et primum  
 literas humaniores, deinde philosophiam est professus, magno audito-  
 rum et numero et applausu.

## MATTHAEUS. 927.

MATTHAEUS episcopus Aberdonensis, cognitor causae Hugonis  
 episcopi Sanctandreani, quae illi cum Joanne episcopo Dun-  
 keldensi vertebatur, nominatur in literis Clementis III. apud  
 Hovedenum Annalium part. II. pag. CCCLXVIII. sed literae illae  
*Aberdense* pro *Aberdonense* corrupte habent; idemque mendum in-  
 haesit in alia epistola ejusdem pontificis, ubi "venerabilibus fra-  
 tribus Jocelino Glascuensi, Matthaeo Aberdenti, Richardo Morefensi,"  
 episcopis, pro Aberdonensi et Moraviensi legitur. Hic Rogerum in  
 episcopum inunxit. Verba Hovedeni sunt pag. CCCXL. "Roge-

rus, frater Roberti comitis Leicaestriae, electus episcopus S. Andreae in Scotia, ordinem sacerdotis et pontificalem consecrationem suscepit a Matthaeo episcopo de Aberdene." De eo Hector Boethius lib. de Pontificibus Aberdonensibus plura, sed opus illud non est mihi ad manum. Scripsit

De Exemptione Cleri lib. I.

In Evangelia de Sanctis lib. I.

Lucidarium Ecclesiasticum lib. I.

Sedebat anno MCXCIX.

### GULIELMUS MALVAISIN. 928.

"GULIELMUS, Malvaisin cognomento, Glascuensis ecclesiae electus, ordinatus est in sacerdotem apud Lugdunum ab . . . . . ejusdem civitatis archiepiscopo, IX. calend. Octobris, videlicet die Sabbathi quatuor temporum proxime ante festum S. Michaelis, et in crastino, ibidem scilicet, die Dominico consecratus est in episcopum Glascuensem ab eodem archiepiscopo per mandatum Domini Innocentii Papae III." Nec de eo plura. Ejus est

De Miraculis S. Niniani lib. I.

Acta Sancti Kentigerni lib. I. laudat Mombricitus.

Inunctus est anno MCCII. translatus ad ecclesiam S. Andreae, sedit XXIII. Obiit VII. idus Julii anno MCCXXVIII. Scotichron. lib. VII. cap. XLI.

### S. MAGILMUMEN. 929.

S. MAGILMUMEN monachus, Romam peregrinatione instituta petens, ex itinere divertens Aelfredum regem Angliae convenit, quem virtutum suarum reddidit admiratorem; fuit enim "artibus frondens, litera doctus, magister insignis Scotorum," ait Ethelweldus Chronicor. lib.

IV. Scripsit

Sermones de Sanctis, ad Regem Aelfredum, lib. I.

De Peregrinatione ad Loca sancta lib. I.

Peregrinabatur anno DCCCXCI. Colitur IX. Februarii.

## ALEXANDER MILLUS. 930.

ALEXANDER Millus, canonicus Dunkeldensis paulo ante Scotiae lapsum, et ecclesiae desolationem, vir doctus et eloquens, et in antiquitate nostrate versatissimus, ut ex superstitis purpurae fragmentis colligo. Scripsit

De Ecclesiae Dunkeldensis Successione et Episcopis lib. I.

Initium historiae est circa annum Domini DCCXXVII.

Florebat anno MDII.

## GREGORIUS MAYBOLIUS. 931.

GREGORIUS Maybolius, presbyter suo aevo doctissimus, ac primus praefectus in Mayboille, Jacobi Kennedii viri illustrissimi capellanus, ut charta foundationis ejusdem loci praefert. Foederi cum Franciae rege Carolo VI. confirmando orator missus, Gualterus Wardlau cardinalis hunc Gregorium rogavit, vellet comes esse; et in obeunda legatione tanta se rerum civilium prudentia gessit, ut archidiaconatum Glascuensem a cardinali suo adeptus, non mediocri illi etiam ecclesiae ornamento fuerit. Haec de eo Henricus Sinclarus, Glascuensis episcopus. Felicis ingenii partus sunt, ex indice Maiiae, ista :

De Caeremoniis Ecclesiasticis lib. I.

De Decimis lib. I.

De Pastorum Vigilantia lib. I.

Floruit sub Roberto II. anno MCDXC.

## ROGERUS DE MONTEROSEO. 932.

ROGERUS de Monteroseo, monachus Cisterciensis, professus in Kinlos in Moravia, ac ejusdem coenobii prior, ut existimo, secundus, nam cum S. Anselmus primus abbas obiisset, S. Nervus ei successit, ut in Scotichronico lib. IIX. cap. XXV. et hic noster sub eo prioratum administravit, ut colligo ex opere suo, cui, in Deirano indice, hic apex :

Duffi Regis Mors, ad Nervum Abbatem, lib. I.  
Florebat anno MCXXC. aut circiter.

MICHEAS. 933.

MICHEAS, monachus Cluniacensis, ex sacerdote seculari factus regularis observator in coenobio Crucis Regalis, constans assertor veritatis, et fidei orthodoxae propugnator, erudite multa memoriae posteritatis mandavit, sed editum tantum est contra divortium Henrici octavi, sub titulo,

Pro Causa Catherinae Reginae lib. I.  
Vixit in Anglia anno MDXXX. nescio qua occasione.

MICHAEL. 934.

MICHAEL Glascuensis episcopus, in Anglia consecratus, scripsit

Pro Morcuto, in Scotia exulante, ad Gulielmum Conquaestorem, Angliae Regem, Deprecationem lib. I.  
Inauguratus est anno MLXX. Meminit Polydorus Virgilius lib. IX. Histor. Anglic. pag. CLVI. et alii.

S. MAURITIUS. 935.

S. MAURITIUS, insularum Missae abbas, cum Roberto Brusio rege, ut Turpinus cum Carolo Magno militavit, brachiumque S. Philani aut tulit, aut ferre in regis castra voluit; et postquam sacra administrasset, cruento Anglis ad Bannocburn praelio crucem praetulit, milites hortatus, summam eis alacritatem indidit, ut Regem Eduardum in fugam compellerent, L. millia perimerent, et CC. equites auratos. S. Philani brachii miraculum historia loquitur, et non insolens reliquias sanctorum in castra ferri docemur ex epistola Carolmani ducis in Capitular. lib. V. cap. II. Greg. Turon. lib. VI. Hist. cap. XXVII. Scripsit .

De Sancti Philani Actis lib. I.  
Conciones ad Milites sacras lib. I.

Pro Libertate, ad Regem, lib. I.

Floruit anno MCCCXV. Hector Boethius lib. XIV. Histor. Scot. pag. CCCIII.

S. MEDANUS ALTER. 936.

S. MEDANUS hic, alius a Modani fratre, multis seculis dissitus, sed et ipse episcopus, cum Vigiano monacho, Moveano, Blaano, Englatio, Colmoco, sanctissimis pontificibus, ait Hector Boethius lib. XI. Histor. Scot. pag. CCXXXIV. aequalis floruit. Ejus scripta omnia perierunt.

Vixit anno M. Colitur XIV. Aprilis.

MARIA R. 937.

MARIA regina, Jacobi V. vidua, regno undique seditiosorum factionibus, domi forisque indies gliscentibus, vexato, paucos antequam obiret dies ad filiam in Galliis agentem scripsit et misit

Monita Politica lib. I. seu nomina eorum qui dignitate vel virtute in regno pollebant, ut ipsa intelligeret, quibus fidere deberet, et a quibus cavere. Joan. Leslaeus lib. X. pag. DLXX.

Scribebat anno MDLX. quo et exstincta est mulier singularis exempli, et incomparabilis prudentiae; qua viva, religio et justitia late vigeabant, exstincta, scelus ubique et haeresis eruperunt. Obit Edimburgi die XI. Junii.

S. MODOCUS. 938.

S. MODOCUS, unus ex iis quos perantiqua consuetudo vocavit Culdeos, hoc est, Dei Cultores, eadem tempestate qua "Amphibalus antistes, Calanus, Ferranus, Ambianus, et Carnocus, Christi Servatoris doctrinam per omnes Scotorum regiones concionando, multis piisque sudoribus seminantes," ait Hector Boethius lib. VI. Histor. Scot. pag. XCIX. scripsit, ut Veremundus Presbyter prodidit,

Contra Idolorum Cultores lib. I.

Y

Vixit anno CCCXXII. vel anno CCLVII. Joannes Leslaeus lib. III. pag. CXXII.

MOGALLUS. 939.

MOGALLUS rex XXIII. Galdi regis ex sorore nepos, vel ex filia ut aliis placet, foedus cum Romanis et Pictis solenniter pepigit, et sancte custodivit, cultus idolorum promovit, Romanos rupto foedere irruentes, protracta in multam noctem pugna, superavit: qua injuria irritatus Hadrianus in insulam trajecit, sed deficiente commeatu, et in silvas dilabente Mogallo, re infecta abiit, exstructo vallo per LXXXM. passus; sed ille muro interjecto securus, amoto Romanorum hostium metu in foeditates prolapsus, et sua et majorum acta corripuit. Scripsit et vulgavit, quae usque hodie inviolata observatur apud nostrates,

Legem, ut damnatorum bona Principi cederent. Boethius et Leslaeus.

Exstinctus est optimatum conspiratione anno regni sui XXXVI. salut. CLVIII. in cathedra Petri sedente S. Pio I. imperante Antonino Pio Augusto.

MICHAEL. 940.

“MICHAEL Scotus, in medicina inter primos eruditus, atque ob singularem peritiam, non minus Eduardo regi Angliae, quam Alexandro dum viveret, charus acceptusque,” ait Hect. Boeth. lib. XIII. in fine. Hic ob admirabilem physicarum rerum cognitionem vulgo magus dicebatur, de quo innumerabiles etiam nunc hodie aniles fabulae circumferuntur, nec ullum apud nostrates clarius nomen; cognomentum etiam Scoti non est familiae, sed nationis. Laudat ejus ingenium et scientiam Picus Comes Mirandulanus Disputation. adversus Astrolog. lib. VIII. cap. VI. et lib. XII. Idem amare nimis ac stulte “scriptorem illum nullius ponderis, magnae superstitionis,” appellat cap. VII. Quanto verius et melius eximie attollunt Symphorianus Camperius, Rogerus Bacon. lib. de Utilitate Linguar. “Eximius iste physicorum motuum cursusque siderum indagator.” Atque hi quidem ut mathematicum vel medicum ex-

tulere, sed ut theologus eximius audit a Joanne Baconthorpio lib. III. Sententiar. quaest. III. Ejus sunt :

Super Auctorem Sphaerae	lib. I.	De Memoria et Reminis-	
In Aristotelis Meteora	lib. IV.	centia	lib. II.
De Constitutione Mundi	lib. IV.	Contra Averroem in Me-	
De Anima	lib. I.	teora	lib. I.
De Coelo et Mundo	lib. II.	Imagines Astronomicae	lib. I.
De Generatione et Corrup-		Astrologorum Dogmata	lib. I.
tionem	lib. II.	In Ethicen Aristotelis	lib. X.
De Substantia Orbis	lib. I.	De Signis Planetarum	lib. I.
De Somno et Vigilia	lib. II.	De Chiromantia	lib. I.
De Sensu et sensato	lib. II.		

De Physiognomia lib. I. Hoc solum opus laudant Gesnerus et Simlerus in Bibliotheca.

Abbreviationes Avicennae lib. I.

De Animalibus, ad Caesarem, lib. I. Is est Fridericus II. imperator, cujus rogatu hic etiam juvenis multa opera scribere est aggressus.

Vixit usque in ultimam senectutem, et attigit annum MCCXCI. quo obiisse certum : et, ut puto, in Scotia libri ipsius dicebantur me puero extare, sed sine horrore quodam non posse attingi ob malorum daemonum praestigias, quae illis apertis fiebant. Sed nugamenta haec, et ignavae plebis credulitas.

#### DAVID MELDROM. 941.

DAVID Meldrom, vir insigni pietate, nec minore literatura, ecclesiae Dunkeldensis canonicus et officialis, a Thoma Lauder, episcopo Dunkeldensi, jam sene, Romam destinatus, probe et prudenter in ea se aula gessit. Scripsit

Vitam Thomae Lauder Episcopi	lib. I.
Super Decretum Gratiani	lib. I.
In Clementinas	lib. I.
In Extravagantes	lib. I.

Vivebat anno MCCCCLXXXI. Plura de eo Alexander Millus, ipsi synchronos.



## GILBERTUS MAKBRAYAR. 942.

GILBERTUS Makbrayar, monachus Benedictinus congregationis Cluniacensis, professus in celebri coenobio Crucis Regalis, vir religiose pius, et in sacris literis egregie versatus, multa contulit in sui monasterii ornatum, quae enumerat Richardus Brunus in suis Collectaneis. Scripsit

Theologiae scholasticae Speculum	lib. I.
Viridarium Sanctorum	lib. I.
Speculationes ex Libris Regum	lib. I.
Exemplorum sacrorum Manipulum	lib. I.

Obiit anno MDXLVII. die XI. Januar. sepultus in suo monasterio, quod aedificiis splendidissimis decoraverat.

## ALEXANDER MONTGOMERI. 943.

ALEXANDER Montgomeri, eques Montanus vulgo vocatus, nobilissimo sanguine, Pindarus Scoticus, ingenii elegantia et carminis venustate nulli veterum secundus, regi carissimus Jacobo, qui poetice mirifice eo aevo amplexabatur, quique poetas claros sodales suos vulgo vocari voluit, multis ingenii sui monumentis patriam linguam ditavit et exornavit; ad me, qui impubes patriam reliqui, paucorum notitia pervenit; in his,

Cerasus et Vaccinium lib. I. poema divinum, quo amores suos descripserat; per cerasum amicae sublimis dignitatem, per vaccinium contemnendos inferioris et fastiditae amasiae amplexus intelligens.

Satyra in Poulartum lib. I. qua nihil virulentius aut ingeniosius Musae comminiscuntur, aetas certe nostra non vidit.

Epigrammata vernacula	lib. I.
Cantiones amatoriae	lib. I.

Obiit, magno regis dolore, qui ingenii ipsius festiva comitate non vulgariter oblectabatur, anno MDXCI.

## JACOBUS MELVILLUS. 944.

JACOBUS Melvillus, seu Melvinus, et ipse poeta vernaculus ingeniosus, edidit poema sub titulo,

Matutina Visio lib. I. et alia multa.

Obiit anno MDXC.

## ANDREAS MELVINUS. 945.

ANDREAS Melvinus, discipulus Georgii Buchanani, poetarum omnium nostratium hoc aevo literatissimus, suavissimus, diu in Galliis et Germaniis ceu palaestra omnis virtutis decurrit, bonasque artes liberaliter professus; ad Scotos suos redux, ne episcopi crearentur pro virili obstitit, eoque nomine Londinum citatus, facile ab Anglicano concilio ad Scoticum tribunal mira libertate provocavit, sed conatu irrito, datus enim ad custodiam D. Pauli decano, indeque turri Londinensi inclusus. Etsi omni favoris apud regem spe praeclusa, tamen sui non est oblitus; et negata charta, parieti tamen et lateribus cultissima epigrammata incidit, ut appareret liberum ingenium clauso corpore non potuisse coerceri. In eum tunc eruditi quique, cum ut arrogantis hominis audaciam castigarent, tum ut regi suo placerent, stylum strinxerunt: in queis valde enituit Joannis Barclaii, Gulielmi filii, acumen, uno alteroque acutissimo epigrammate. Ejus sunt infinita, sed ego pauca vidi; in his,

Gathelus lib. I. poema heroicum sublimi vena, de Scotorum in Albionem appulsu.

Melviniana Superbia lib. I. cui exordium:

Scotorum, Anglorum, Gallorum a sanguine regum,  
Ille ego Melvinus.

Declamationes in Patricium Adamsonum, Archiepiscopum

Sanctandreanum, lib. I.

Contra Episcopos lib. I.

Epistolae ad Regem lib. I.

Epigrammata varia acutissima lib. I. In his in arae

regiae abusum lusit ingeniosissime, ut mihi videtur.

Cur stant clausi Anglis libri duo regis in ara,  
Lumina caeca duo, pollubra sicca duo?  
An cultum nomenque Dei tenet Anglia clausum?  
Lumine caeca suo, sorde sepulta sua.

Obiit anno MDCXX. carus Henrico Bullionae duci, quo se post custodiam Anglicanam contulerat, et jam in ultima senectutis ingravescens periodo dicitur Musas juveniliter coluisse; vir bono rei literariae natus, si ab haeresi prava educatione non fuisset corruptus; de quo tamen dubito, nam audivi Catholicum excessisse.

#### MATTHISONUS. 946.

MATTHISONUS, Neraci diu gymnasii praefectus, bonas artes docuit; et tandem laborioso illo onere deposito, advocacionem causarum in senatu Burdegalensi et avidè arripuit et honorate exercet, nulli togatorum, ut audio, secundus. Edidit

Declamationes quasdam scholasticas forensi ritu lib. I.

Encyclopaediam, decennio toto elaboratam, jam emittit, magnae spei opus, lib. I.

Vivit Neraci, et forum ornat.

#### DAVID MAKYNIUS. 947.

DAVID Makynius Aberdonensis ex nimia studii assiduitate gravem capitis morbum contraxit, qui se per nares exonerans ad quaerenda remedia in Belgium proficisci compulit; sed medicorum ope incasum implorata, ad suos rediit, et juventuti erudiendae se addixit; vir magnae ac reconditae eruditionis, memoria etiam in paucis rara. Scripsit

In Sibyllina Oracula lib. I. non falsa quidem illa et adulterina, doctorumque lectione indigna, quae octo libris circumferuntur, sed in vera Sibyllarum fragmenta, quae eruerat ex Platone, Aristotele, Plutarcho, Aeliano, Pausania, Justino Philosopho, Diodoro Siculo, Clemente Alexandrino, Stephano, Eustratio, Hermia, Suida,

Procopio, Agathia, Iamblichō, sanctis item patribus, Latinis oratoribus ac poetis; quod opus Marcus Antimachus non infeliciter tentaverat. Imperite de iis Isaacus Casaubonus philosophatus, ut contra Exercitat. I. cap. X. evincit Andreas Eudaemon Joannes Castigat. lib. I. cap. V. Jacob. Spiegel. Schollis in lib. VIII. Rich. Bartholini Austriad. et ipse poeta, lib. I. in fine.

Carmina varia lib. I.

Epigrammata utraque lingua lib. I.

Obiit Aberdone anno MDLXCVIII.

#### DAVID MENZES. 948.

DAVID Menzes, sacrarum literarum in academia Aberdonensi insignis professor, scripsit, doctissime et eloquentissime,

Conciones sacras lib. I.

Florebat anno MDXX. Meminit Boethius.

#### THOMAS MORESINUS. 949.

THOMAS Moresinus, medicus magni nominis, in Gallis Germanisque ac domi claruit. Ejus sunt in lucem multa data, sed pauca vidi, in quibus hoc praecipuum,

De Metamorphosi Metallorum lib. I.

Obiit anno MDCI.

FINIS LIBRI DECIMI SECUNDI.

# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER XIII.

S. NENNIUS. 950.

S. NENNIUS, ex primis Scotiae doctoribus qui labores pro Christi causa subierunt, insularum circa Scotiam apostolus, quas evangelii lumine illustravit, eodem paene tempore quo in Angliam S. viri e Scotia profecti fidei semina in ea gente sparserunt; siquidem S. Finnanus, de quo supra hoc opere lib. VI. primus Northumbrorum apostolus, et Lindisfarorum episcopus primus, ex ejus schola prodiit. Hunc ut sanctum nostrates colebant, sed in nullo martyrologio mentionem deprehendi. Nemo eo illa tempestate plura scripserat, sed pauci operum superstites.

De Origine Britannorum lib. I.

De Vatibus eorundem lib. I.

Elogium Britanniae lib. I.

Cosmographia Historiae Mundi lib. I.

Obiit in insulis Hebridibus, jam enim Orcades et Acmodas lustraverat anno DCXX.

S. NEUHAL. 951.

S. Abbas quidam, ut puto, anonymus de Neuhal monasterio, "pro Christo cervices dedit," ait Nicolaus Sanderus lib. VII. de Visibili Monarchia. Quo die martyr hic colatur, non inveni; nam inter eos sanctos quorum natales incerti, eum reponit Arnoldus Uvion lib. III. pag. CCCCVIII. Scripta omnia interierunt. Quo tempore floruerit, non deprehendi, cum illi taceant.

## S. NICOLAUS. 952.

S. NICOLAUS, Culdeus, atque unus ex primis Scoticae ecclesiae episcopis, saeviente per Britannias Maximiani persecutione martyrio affectus, in urnam lapideam sacrosanctae reliquiae corporis, frustatim concisi et truncati, repositae, atque una cum cruce quadam venerabili in terram defossae, postea effossae hac inscriptione, venerationem meruerunt, *S. Nicolai Episcopi*; quibus deinde Rex Alexander III. rogatu Glascuensis episcopi magnificam ecclesiam apud Pebles construxit, quae, stante apud nostrates pietate, miraculorum gloria erat illustris, et concursu mirabili frequentabatur. An aliquid hic primus episcopus, ut puto, in Scotia martyr, scripserit, non deprehendi.

Passus est martyrium anno CCXCVI. Repertum sacrum corpus ex inscriptione agnitum, et cum cruce exaltatum VII. idus Maii, anno MCCLXII. qui fuit decimus et tertius Alexandri III. regis, ut pluribus in Scotichronico extat lib. XIV. cap. XVI.

## S. NECTANUS. 953.

DE S. Nectano verba sufficient Hectoris Boethii lib. XI. Historiae Scot. pag. CCXLV. " Quo tempore, eodem Davide pio rege authore, Aberdonensis sedes facta, et amplioribus donata redditibus, longe ornatior celebriorque cunctis est habita. Murthlaci sacrum magistratum omnium primus gessit Beanus, vir pietate et eruditione insigni, inter divos sed aliquot post annos relatus. In ejus locum suffectus Donortius; huic Cormacus successor, non absque sanctitatis opinione beatum finem uterque sortitus. Nectanus inde tenuit pontificatum, quem David Primus rex, jure inter divos numeratus, Murthlacensi sede Aberdoniam translata, ut patrem semper veneratus, Aberdonensem antistitem voluit appellari." Mentio ejus apud Turgotum Dunelmensem in Vita S. Davidis, et ab Aberdonensibus ut sanctus colitur, licet sileant martyrologia. Scripsisse ferebatur

Vitam S. Davidis Regis lib. I.

Vitam S. Margaretæ Reginae lib. I.

Floruit anno MCXI.

Z

## S. NINIANUS. 954.

“ S. NINIANUS, Pictorum episcopus, regio Britannorum sanguine, Romam venit adolescens.” Anton. Possevin. Appar. Sac. pag. D. Verba etiam ascribam Hect. Boethii lib. VII. Histor. Scot. pag. CXV. “ Inter nostros Ninianus episcopus, sanctitate et miraculis clarissimus, ac Casae Candidae pontificalis in Galdia sedis primus institutor, ubi et aedem condidit D. Martino suo avunculo sacram; Scotorum videlicet, Pictorum, Britonumque doctor et paedonomus non vulgaris, et eo nomine omnibus qui Albionem incolunt vel hac nostra aetate in multa veneratione habitus.” Idem in Descriptione Scot. “ Candida Casa, D. Niniano sacra, habens coenobium in quo sepulchrum ac reliquiae viri sanctissimi.” Eadem Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CXXXII. Magna hic miraculorum gloria supra omnes illius insulae divos frequentabatur, nuncupato Deo sub invocatione nominis ipsius summo archiepiscopatus Glascuensis templo. Celebre illud de Davide rege ad Dunelmiam victo acie, quod annales nostri referunt sub annum MCCCXLVIII. “ telum regis tibiae infixum extrahi non potuit, priusquam S. Ninianum inviseret, visa enim tum est tibia manifesto aperiri ac telum prosilire.”

Cognomentum huic est, secundum alios, Venedota, at aliis placet Bernicius; utcunque se res habeat, fuit sane vir magnae sanctitatis, vitae illibatae. Plura apud Bedam lib. III. Histor. Anglor. cap. IV. Scripsit vero

Meditationes Psalterii lib. I.

De Sententiis Sanctorum lib. I.

Vixit anno CCCCXXXII. Ejus memoriam recolit die XVI. Septembris Martyrologium Roman. et Joannes Molanus eodem die in Addition. ad Usuard. “ In Scotia Niniani episcopi et confessoris.” Injurius ei haereticus Joannes Foxus in Protestat. ad Ecclesiam Anglican. pag. IX. sed vindicat auctor Conversionis Angliae part. I. cap. X.

## S. NOVATUS. 955.

S. NOVATUS, etsi Romanus habeatur ortu, tamen, quia matre Scota, Claudia scilicet, genitus, ut lib. III. hoc opere supra probatum est, locum hic in nomenclatura habebit: de eo qui plura cupit legat Concilia Romana sub Symmacho papa, et Raphaelem Maphaeum Volaterranum lib. XVIII. in fine. Joan. Molan. Addition. Usuard. die Junii XX. "Romae depositio S. Novati fratris Timothei presbyteri, qui ab apostolis in fide eruditi sunt. Horum sorores fuerunt Beata Potentiana ac Praxedis, sacrae virgines Christi." Martyrolog. Roman. eodem die: "Romae depositio S. Novati filii S. Pudentis senatoris, et fratris S. Timothei presbyteri, et sanctarum Christi virginum Pudentianae et Praxedis, qui ab apostolis eruditi sunt in fide. Horum domus in ecclesiam commutata, Pastoris titulus appellatur." Plenius etiam Pastor, scriptor antiquus et illustris, apud Adonem Trevirenses in Martyrologio suo. "De Novato scribit Pastor in gestis Potentianae et Praxedis virginum ad praedictum Timotheum germanum ejus. Venerabilis virgo Praxedis, post transitum germanae suae Potentianae, valde afflicta erat; ad quam consolandam veniebant multi nobiles Christiani, simul cum S. Pio episcopo; inter quos germanus vester Novatus, et qui est frater noster in Domino, quique multos Christianos pauperes donis suis reficiebat, et nos frequenter cum Beatissimo Pio episcopo ad altare Domini communicabat: post annum vero, et dies viginti octo, aegritudine detentus est idem Novatus, et absens erat a conspectu virginis Praxedis. Pio autem episcopo cogitante de omnibus Christianis, una cum virgine requiritur Novatus vir Dei; et dum auditum fuisset, quia aegritudine detinebatur, contristati sumus omnes. Beata Praxedis dixit ad patrem S. Pium, Jubeat sanctitas vestra, ut eamus ad eum, et visitatione nostra una cum orationibus vestris salvabitur. Et facta constitutione nocte una cum Pio episcopo et virgine Domini, perreximus ad virum Dei Novatum: cumque audisset vir Dei Novatus omnes congregatos ad se venisse, gratias coepit agere Deo quia meruit a S. Pio episcopo et virgine Domini una cum nostra devotione visitari: et fuimus in domo ejus diebus ac noctibus octo; factumque est



ut decimo tertio die ipse Novatus vir Dei transiret ad Dominum, regni coelestis gloriam percepturus." Quae verba eo lubentius transcripsi quo aurea illa amoris Christiani in nascente ecclesia pietas exprimitur, et nescio an alibi tam apposite.

Ad Novatum redeo, cujus thermae in Viminali ea tempestate sumendae sacrae synaxi deservebant; quae et Timotheanae etiam vocatae, a fratre ipsius S. Timotheo. Denique clarissimum Novati fuit, principatu Neronis, nomen. Meminit L. Seneca lib. de Consolat. ad Marciam, et eidem tres libros de Ira idem L. Seneca inscripsit, ut historicos ecclesiasticos sileam. Videantur infra S. Timotheus ejus frater, SS. Pudentiana et Praxedes sorores.

Florebat circa annum LXXI.

#### S. NETHALENUS. 956.

S. NETHALENUS, aut Nethalenus episcopus et confessor, unus ex primis qui vitae sanctimonia morumque integritate et innocentia ecclesiis nostratibus praeluxerunt, scripsit

Manuale Officii divini	lib. I.
De Mysterio Incarnationis	lib. I.
De Articulis Fidei	lib. I.
De Donis Spiritus Sancti	lib. I.

Ad Rudes Neophytos lib. I. Quae omnia ab impiis haereticis flammis tradita religiosam sanctissimi antistitis memoriam paene exstinxerunt, nisi cura doctorum quorundam, et patriae amantium virorum, apices saltem operum ab interitu vindicasset.

Florebat anno CCCLII. Colitur die VIII. Januar. Breviar. Scotic.

#### NICOLAUS. 957.

"NICOLAUS Deidonanus," ait Hect. Boeth. lib. XVII. Hist. Scot. in fine, "praedicatorii instituti vir, Coloniae, ubi plures annos theologiam fuerat professus, fatis absumptus." Edidit

Modum interpretandi sacras Scripturas	lib. I.
De Conciliorum Auctoritate	lib. I.

Mors ejus incidit in annum MCCCCLX. ut ex Joannis Dempsteri sive Themistoris Epistola LIII. liquet; floruerat vero sub Jacobo rege II. Annales nostrates.

## S. NERIUS. 958.

S. NERIUS monachus, incertum cujus instituti, strenuus causae fidei propugnator, eo seculo popularium animis pietatis semina inspergebat, quo SS. [reliquiae] Divi Andreae in Otholiniam divinitus sunt delatae. Scripsit

De divina Gratia lib. I. Joannes Major.

Florebat anno CCCLXIX. Hector Boethius lib. VI. pag. CV. Colitur XIV. Sept.

## GEORGIUS NEUTONUS. 959.

GEORGIUS Neutonus, archidiaconus Dumblanensis, vir magnae pietatis, nec minoris eruditionis, eo seculo non vulgariter facundus, ut ex fragmentis extantibus apparet, scripsit

Vitas Episcoporum Dumblanensium, et illius Ecclesiae Successionem, usque ad tempora sua, lib. I.

Quorundam Sanctorum Acta lib. I. quod opus penitus interiit.

Florebat anno MDV.

## ADAMUS NEUTONUS. 960.

ADAMUS Neutonus Edimburgensis, honesta familia, virtute ac eruditione maxima, cum in Galliis honestissimis diu artibus incubuisset, in patriam redux, pueritiae Henrici Walliae postea Principis a rege praefectus, ac decanus Dunelmensis in Anglia renunciatus, sic se gessit, ut moderatione summa cum maximum locum occuparet, majorem mereri censeretur. Ego pravum in eo in religionem Catholicam affectum tantum culpaverim. Scripsit varia, ego paucissima vidi; in his est

Conjuratio Ruthveniana lib. I.

Vivit adhuc Londini, ex pseudo-decano Dunelmensi eques erectus.

S. NORTILA. 961.

S. NORTILA ubi locorum vixerit, aut quis fuerit, nisi quod constet episcopum fuisse, mihi omnino non liquet. Scripserat

De Essentia divina lib. 1.

Vivebat anno DCCCCXIV. Index anonymi.

S. NANINUS. 962.

S. NANINUS, presbyter Scotus, valde obscuris indiciis ad me devenit; nec Henricus Sinclarus, nec S. Turgotus, qui ejus solennem mentionem facit, acta subtexuerunt, contenti nudum nomen exhibere; nec de eo amplius investigo.

Annus incertus. Colitur XXI. Septemb. Martyrolog. Carthusian.

S. NERVUS. 963.

S. NERVUS monachus, Melrosiensis abbas, celebris cœnobii de Kinlos ordine secundus, successit S. Anselmo Scoto, qui primus loci regimen moderatus; vir monasticæ vitæ addictus, disciplinæ religiosæ supra quam dici possit studiosus, claustrum de novo struxit, ac muro edito firmavit. Insigne quoddam ejus miraculum refertur, qui duos viatores, et ad loca Scotiae sanctiora peregrinantes, occisos seu mutuo conflictu sive a viarum obsessoribus, ad vitam revocavit, dum confiteri et sacram synaxin percipere digne possent; quare peregrini per Scotiam eum invocabant. Scripsit

In Leges claustrales lib. 1.

Creatus abbas anno MCLXXIV. Colitur die XIV. April. Scotichronic. lib. VIII. cap. XXV.

ANDREAS NÆVIUS. 964.

ANDREAS Nævius, Scotus adolescens magnæ indolis, primum Agenni, tum Tholosæ literas humaniores in Squillano profes-

sus, versu bonus et prosa, Latinae linguae callentissimus, nec Graecae ignarus, qui si diu superfuisset, primus sui aevi viris componi potuisset; sed quia fragrantiores flores citius marcent, non potuit, morte praereptus, suorum popularium spem implere. Scripsit

Synopsin historicam lib. VII.

Obiit Tholosae anno MDCIV.

#### NENNIANUS. 965.

NENNIANUS, Franciscani ordinis professor, ortu Elginensis, sic dictus, ut puto, quod historias S. Nennii in compendium redegerit; nec quipiam amplius de eo mihi cognitum, et haec quidem ex Deirensi indice excerpta, et conjectura nuda est. Scripsit

Deflorationem Nennii lib. I.

Vixit circa annum MCCC. nam Alexandri III. meminit.

#### NICASIUS. 966.

NICASIUS, philosophus acutissimus, et medicorum sua aetate praestantissimus, Scotia cruentissimis bellis lacerata in Germaniam abiit, ubi Othoni imperatori I. carus, omnium paene ipsius expeditionum comes fuit. Scripsit

Iter Augusti lib. I.

De Morbis acutis lib. I. Biblioth. Medica.

De Sanguinis Missione lib. I. Et alia quorum

mihi ne apices quidem visi.

Floruit sub Constantino III. qui regnum sponte deponens ac coronae terrenae renuncians, monasticum habitum induens, aeternam affectavit, sedente in Petri cathedra post Stephanum IX. Martino III. anno DCCCCL. Celebrat ejus claram memoriam Thaddaeus Florentinus, qui scribit summam ipsius fuisse Bononiae famam; quo adducor ut facile credam eum bonas in ea academia literas professum, sed nihil temere affirmarim.

PATRICIUS NISBETUS. 967.

JOANNES NIMMO. 968.

THOMAS NICOLSONUS. 969.

APUD suos clari, nihil quod viderim emiserunt in lucem, praeter, sub regis in Scotiam regressum inter publicos ordinum omnium applausus, Epigrammata et Poemata.

FINIS LIBRI DECIMI TERTII.

# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER XIV.

### S. OTGERUS. 970.

S. OTGERUS an Scotus fuerit, haud facile divinarim, ac multo minus certo affirmarim. Vide infra lib. xv. in *Plechermo*, et lib. xix. in *Wirone*; iidem enim auctores qui de illis tradidere, hunc etiam extulere. Joan. Molan. Addition. Usuardi die x. Septembr. "S. Otgeri, confessoris et diaconi, qui ex Britannia comes peregrinationis fuit SS. episcopis Wironi et Plechermo, atque post multa pietatis exercitia sepulturam accepit in ecclesia Montis Petri juxta Ruraemondam." Est ejusdem urbis patronus, et tutelare numen. Aubert. Miraeus lib. de Colleg. Canonicor. cap. LVII. Strenuam operam plantandae in Germania fidei cum SS. Bonifacio, Willibaldo, Willibrordo, Wunibaldo, Acca aliisque, navavit. B. Marcellin. in Vita S. Suiberti cap. XIV. Scripsit

Pro Synodo Germanica lib. i.

Floruit anno DCCLVII. E Scotia Romam ivisse idem Molanus affirmavit Indiculo SS. Belgii cap. LXXVI. et in Chronico eorundem pag. LXXXIX.

### S. ODDA. 971.

S. ODDA, sanctissimae vitae virgo, Eugenii V. Scotorum regis filia, de qua nihil praeterea comperi nisi quod sanctimonialis facta cum caeca fuisset, visum oculorum recepit. Petrus Transianus Bastidaeus :

Impuras mundi sordes vix ante videbas,  
Nunc tamen, Odda, vides, et generosa fugis.  
Consulto male acuta Deus duo lumina credo,  
Ut meliora tibi redderet, abstulerat.

Acta ejus plenius in Scotchronico, et apud monachum Paslatensem ; sed quia opus Joannis Molani de Natalibus SS. Belgii in manus

meas non venit, ea attexam quae habet Constantin. Ghinius Augustinianus, vir diligens et doctus. Is ergo in Natalib. SS. Canonicoꝝ. die Novembris **xxvii.** haec scribit: "In Taxandria Brabantiae depositio S. Oddae virginis, filiae, ut fertur, Scotorum regis, quae Rhadae corporaliter patrona quiescit. Haec cum caecitate esset correpta, fama signorum S. Lamberti, episcopi et martyris, mota Leodium venit, ubi ad ejus sepulchrum orans lumen recepit, et ibidem virginitatem Deo vovit, nec a patre persuaderi unquam potuit ut virum acciperet; sed divino usa consilio in Taxandriam venit, suaeque sanctitate Rhodense territorium sublimavit. Cum autem in silva latitaret, picam sua loquacitate illam prodiisse traditum est, quapropter et cum pica pingitur. Clara vero signis et virtutibus ibidem obviam Christo sponso venit, et ad nuptias vocata aeternas quiescit in Rhodonensi ecclesia canonicorum anno D. (forte **DCCXIII.**) et ut patrona ibidem colitur. Quae miraculis coruscans elevata est per Otbertum episcopum Leodiensem anno **MCIII.**" Martyrologium Anglicum; et Calendarium . . . . Benedictini, praefixum operi pio, cui titulus Manuale Precum, [quod] Duaci prodiit, haec habet: "S. Odda, filia cujusdam regis Scotiae." Idem Jacobus Cheynaesus, et Adamus Valassar.

Claruit anno **DCC.** Colitur religiose ejus memoria, templis ei structis variis regni locis, die **xxvii.** Novemb. Breviar. Scot.

#### S. OTHA. 972.

S. OTHA, et ipsa virginitatis gloria insignis, S. Fintanae socia, et, ut puto, eodem monasterio velata.

Clara erat anno **DXXVI.** Coluntur ambae ab ecclesia Scotica, templis et aris dedicatis, die **XIII.** Octobr. Breviar. Scotic.

#### JOANNES OGILBY. 973.

JOANNES Ogilby Brunae in Austria Societati Jesu nomen dedit; in qua cum multis annis pie vixisset, ad populares Scotos missus, dum constantia vere apostolica haeresim oppugnat, a Sathanae ministris custodiae mancipatus, ac multorum dierum noctiumque insomnia cruciatus, dum et Petri primatum et sedis apostolicae digni-

tatem viriliter propugnat, Glascuae gloriosum agonem Christi invictus miles consummavit, ac, rege postmodum aegre ferente, ac ministris tortoribus successente ac graviter minante, suspendio vitam finivit.

Scrpsit

Epistolas ad varios	lib. I.
Acta Martyrii sui	lib. I. quae Duaci prodierunt, et autographum in sacrario Societatis Jesu religiose asservatur Romae.

Passus est anno MDCXIV. die ultimo Februarii.

ODO. 974.

ODO studiorum gratia peregrinabatur in Italia sub ea ipsa tempora quibus S. Franciscus invicta virtute Deo coepit militare; qui e vestigio sanctissimi viri praesentia ut coelesti spiritu impulsus, totus exarsit, nec destitit donec "sanctum illum habitum indutus ordinem suum in Scotiam inferret," ait Scotichronicon; quod non tam miror in historia illius sancti patris omissum, quam doleo; nam cum Franciscus Gonzaga praeclaro volumine de Origine Seraph. Religion. part. III. pag. DCCCLVIII. dixisset, religionem eam ipso S. Francisco vivo in Scotia plantatam, tacuit tanti beneficii auctorem, et periisset memoria nisi ex Scotichronici fragmentis eam eruissem. Scripsit vero

Odo

De Miraculis a se visis	lib. I.
Ad Fratres suos	lib. I.

Obiit [in] Galweia exiguo monasteriolo a se constructo, nec sine miraculorum gloria, anno MCCXLI. Colitur xxv. Martii.

ALANUS OGILBY. 975.

ALANUS Ogilby, sive Ogilvius, nobilissima familia ortus, quae auctorem habuit Bredum quendam, Gillechristi fratrem, sub Alexandro II. Wilhelmi regis filio, sub annum MCC. Alanus noster, philosophiae et medicinae scientiis celeberrimus, toto oriente illustrato Constantinopoli aliquandiu substitit, ut ipse scriptum reliquit; deinde Venetias venit, ubi magna eruditionis et lingua-



rum orientalium fama edidit quae ibidem, cum diu MSS. delituisse, publicata fuerunt :

De Virtutibus Herbarum

lib. VI.

De Balneis

lib. III. MS. hoc opus,

sed imperfectum, apud me est.

Floruit anno MCCCCLXXI.

### S. OSUALDUS. 976.

S. OSUALDUS, Carthusiani instituti frater, cognomento de Corda, "vitae sanctitate eximius." Petrus Sator. lib. II. de Vita Carthusiana cap. VII. Quod sinceris moribus et magna pietate crederetur, a Jacobo I. rege ex Anglia cum ejusdem ordinis monachis vocatus, Perthano coenobio, quod in illius oppidi suburbio idem rex erexerat, praepositus, ut est apud Hector. Boethium lib. XVII. Histor. Scot. pag. CCCLII. Fuerat hic Oswaldus diu in Galliis versatus, Parisiis Gersoni academiae cancellario perfamiliaris. Scripsit, ut ex Theodoro Petreio constat,

Pro Correctura Librorum sui Ordinis

lib. I.

De Remediis Tentationum

lib. I.

Portiforium

lib. I.

Meditationes solitarias

lib. I.

Translationem Operum Gersonis in Latinum

lib. I.

Epistolas ad Joannem Gersonem

lib. I.

Florebat ad D. Joannis Fanum in Scotia, sive oppido Pertho, anno MCDXXXIV. Fundatum coenobium anno MCDXXIX. Scotichronic. lib. XVI. cap. XVIII. ubi hi versus :

Annus millenus vicens sicque novenus  
 Quadringentenus Scotis fert munera plenus,  
 Semina florum, germina morum, mystica mella,  
 Cum tibi, Scotia, sit Carthusia sponsa novella.

Obiit anno MCDXXXVII. XVII. calend. Octob. Arnold. Bostius lib. de Vir. Illustrib. cap. XX. "Coram positis et orantibus fratribus, emisit spiritum."

## S. ORONIUS MODESTUS. 977.

S. ORONIUS, cognomento Modestus, aut Oranius, aut Orentius, aut Orantius, in indice anonymi *Magnus* etiam audit, imperatoriam secutus aulam Palatinos honores attigit, cui epitaphium solenne appingit Venantius Fortunatianus lib. IV. Epigrammat. XXIV.

Non hic nostra diu fugienti tempore vita,  
 Quae sub fine brevi vix venit, inde redit.  
 Ecce caduca volant praesentia secula mundi,  
 Sola fides meriti nescit honore mori.  
 Clauditur hic pollens Orentius ille sepultus,  
 Cui Palatina prius mansit aperta domus.  
 Consilia habilis, regalique intimus aula,  
 Obtinuit celsum dignus in arce locum.  
 Vir sapiens, justus, moderatus, honestus, amatus,  
 Hoc rapuit mundo quod bene gessit homo.  
 Sexaginta annis vix implens tempora lucis,  
 Conjuge Nicasia qua tumultante cubat;  
 Cujus castus amor colit ipsa sepulchra mariti,  
 Nec placitura homini, sed dedit esse Dei.

Ultimum versum puto corruptum, nam vult poeta Nicasiam Orentii uxorem nunquam de secundis nuptiis cogitasse, sed religiosae vitae se addixisse; itaque refinge,

Nec placitura homini, se dedit esse Dei.

Idem ille est, ut puto, [qui] Carpentoractensi concilio subscripsit, ut in tom. III. Concilior. extat: sane eum Sedulio conjungit, et inter poetas veteres Christianos collocat idem Fortunatianus lib. I. de Vita S. Martini.

Hinc quoque conspicui radiavit lingua Sedulf,  
 Paucaque perstrinxit florenti Orentius ore.

Certe eundem esse poetam Christianum Orentum et Orentium Palatinum, cujus epitaphium supra recensui, existimat v. CL. Christophorus Browerus. Scripsit hic

Carmina sacra

lib. I.

Floruit anno CCCLV. ut quibusdam falso videtur, sed facilius est

et propensius credere ad aetatem Fortunatiani propius accessisse, cum ipsius ille epitaphium habeat; deinde concilio Carpentoractensi subscribit anno CDXLIV. et annos LX. computemus, quibus exactis obiit, non quadrabit male, neque absonum erit ab opinione Broweri. Hunc pueriliter et insipide inter suos ponit Pitsaeus indoctus pag. LXVII. et ante Christum natum locat.

### NICOLAUS OTTERBURNUS. 978.

NICOLAUS Otterburnus, canonicus Glascuensis, cum Wilhelmo Scotiae cancellario, Joanne episcopo Dunkeldensi, in Geldriam legatus, ut Mariam ducis Geldriae et Juliacensis filiam, Philippi ducis Burgundiae Brabantiaeque neptem, Carolo VII. Francorum rege *Caesare*, [sic] Jacobo II. regi uxorem peteret. Scripsit

Acta suae Legationis

lib. I.

Epithalamium Jacobi II.

lib. I. publicatum typis

Aldinis Lutetiae.

Orator in Belgium missus ad conciliandas nuptias anno MCDXLVIII. quando decesserit, et an ad ampliores honores evectus, nihil comperi.

### OSBERTUS. 979.

OSBERTUS, canonicus regularis, atque primus abbas monasterii de Jedwode, sive Jedbourg, vir non tantum literatura seculari et sacra instructissimus, integritate vitae et religiosa simplicitate admirabilis, scripsit

Ad Davidem II. Regem Fundatorem lib. I.

De Fundatione Monasterii sui

lib. I. e quo opere isti

versus sunt in Scotichronico lib. X. cap. XL.

Unda, nemo, vere dubitavit sunt bona nata placere,

Compositum de re dic singula laudis habere.

Regulam ad Fratres

lib. I.

Acta Capituli

lib. I.

Creatus abbas anno MCXLVIII. obiit MCLXXIV. Scotichronicon lib. VIII. cap. XXIV.

## OSBERTUS. 980.

S. OSBERTUS, et ipse S. Augustini regulam amplexus, canonicus regularis monachum induit in Sanctae Crucis prope Edimburgum regio monasterio; tandem meritis indies crescentibus, cum Alcuinus curae pastorali renunciasset, in abbatem eodem die electus. Scripsit

Acta S. Davidis Fundatoris lib. I.

Abbas creatus, et mortuus anno MCXLI. Scotichr. lib. v. cap. XLIII.

## OSBERTUS. 981.

OSBERTUS episcopus, nobili ingenio, et claro loco natus, episcopus Dumblanensis, rhetor, poeta, philosophus, theologus supra aetatis suae barbariem, nec minus pietate nominatissimus, scripsit

Orationes facundissimas lib. I.

Hymnos de Sanctis lib. I.

De Causis secundis lib. I.

De Praedestinatione lib. I.

Obiit anno MCCXXXI. Georgius Neutonus.

## ADAMUS OTTERBURNUS. 982.

ADAMUS Otterburnus, advocatus regius sub Jacobo V. magnam ab ingenio suo laudem, maximam a Georgii Buchanani praeconio aestimationem peperit, praesertim a literaturae poeticae gloria, ut ex epigrammate isto colligitur quod ex libr. II. Epigrammat. elegans est, et apponam.

Lana mea est, inquis, tua tela est, cum tibi reddo

Haec de carminibus carmina facta tuis.

Synthesin e propria textam si dem tibi lana,

Gloria Palladiae non minor artis erit:

Nec minus insigni Lysippus laude feretur,

Aere licet fingat signa animosa tuo.

Tolle, ais, hinc artem, lanam mihi redde, quid autem  
 Ars tua, materia deficiente, potest?  
 At mihi furtivae si reddas vellera lanae,  
 Nuda tamen pretium merx feret ista suum.  
 Hac vos de tabula, pictores, lege colores  
 Tollite, Daedalea cesset in arte labor.  
 Nulla Tarentino livescat lana veneno,  
 Nec rubeant Tyriis vellera cocta focis.  
 Deserat argentem dehinc pauper Mulciber Aetnam,  
 Mendicet Steropes, algeat Acmonides.  
 Subtrahere materiam, nihil artem posse fatemur;  
 Sed pretium gemmis majus ab arte venit.  
 At mea sedulitas fumos non colligit istos;  
 Si non culpabor, sat mihi laudis erit.

Ex quibus videri posset praeceptorem in poetica Buchanani fuisse.  
 Scripsit, licet ego non viderim,

Carmina varia

lib. I.

Florebat anno MDXXXIV. quo legatione ad Henricum IIX. fungebatur. Holinshed. pag. MDLXIII.

#### THOMAS OTTERBURNUS. 983.

THOMAM Otterburnum, prioris gentilem, Parisiis insigni nomine versatum accepi. Meminit Scotorum scriptorum indiculus anonymi. Ejus sunt:

De Laude Patriae

lib. I.

Chronici Scotiae Epitome

lib. I. viderat David Chal-

mers, sive Camerarius, ut ipse in Chronologia testatur.

Vivebat anno MDXXXII.

#### S. ONANUS. 984.

S. ONANUS diaconus, probatis moribus, et doctrina insigni, ait Hector Boeth. lib. XI. Histor. Scot. pag. CCXXXIV. floruit felici illo et aureo seculo coaetaneus Moveani, Medani, Blaani, Englatti, Colmoci, sanctissimorum episcoporum, Congani abbatis, Vigiani mona-

chi, et aliorum qui Christianam apud Scotos pietatem mira sedulitate ac sanctitate auxerunt. Annales nostrates. Scripsit

In varios S. Scripturae Libros lib. I. Meminit Fordunus, et Scotichronicon.

Vivebat anno MX. die XXIII. Decembris.

### S. ODILIA. 985.

S. ODILIA Ursulana, cum aliis virginibus Coloniae caesa, ibidemque sepulta, post multum vero temporis pretiosum corpus mire revelatum ac translatum, ut ex Lectionibus Cruciferorum ad Huyum: "Ipsa enim dixit in visione Joanni de Eppa converso Parisiis, in conventu fratrum Sanctae Crucis, Surge frater, Coloniae juxta S. Geronis ecclesiam, in viridario Amulphi, sub piro, in marmoreo sarcophago, invenies ossa mea, quae in primarium S. Crucis coenobium, juxta oppidum Huyense, volo transferri." Conversus, a priore Coloniam missus, cum thesaurum coelestem invenisset, Sifrido archiepiscopo nunciavit, qui corpus Odiliae elevavit, ac capsulam ligneam reverenter reposuit; deinde praedictus conversus, capsulam cum literis gestorum, clam a Colonia digrediens, Huyum transtulit, ad ecclesiam fratrum S. Crucis; in ipsa autem translatione, et in loco translationis, crebris miraculis coruscavit. Molan. Indiculo SS. Belgii pag. LIII.

Passa eodem die quo aliae comites, colitur passio XXI. Octob. revelatio reliquiarum XXI. Novembr. translatio incidit in diem XIX. Julii. Canisius, Molanus, acta Huyi.

### S. ODRANNUS. 986.

S. ODRANNUS Scotus S. Patricium Scotum, ad conversionem Hibernicae gentis, e patria discipulus secutus, dum durae gentis cervices jugo evangelii submittere nititur, ipse caput securi, intrepidus, atque animosus Christi martyr, submitit, utrique genti colendus. Miraculorum gloriam cooperabantur ingentem sacrae reliquiae, Glascuam post aliquot secula relatae; unde adducor ut Glascuensis ecclesiae plantam existimem, quae me-

lius in solo suo quam in alieno coalescit. Et hunc quidem primum puto esse, qui in Hibernia sanguinem Christo profuderit. Millus, Leslaeus, Jocelin. cap. LXXIII. Scripsit

Ad Hibernos lib. I.

Pro Veritate Catholica lib. I.

Passus est anno DIX. aut decennio serius. Colitur XXVII. Octob. Deo sub ejus invocatione, non solum in Scotia et Hirlandia, sed etiam Rhemis in Gallia, cernuntur sacrae aedes.

S. OGANUS. 987.

S. OGANUS, episcopus dignitate, Scotus genere, in Martyrologio Canisii Germanico, unus eorum qui aut privato religionis zelo loca Dominicae passionis, aut SS. apostolorum limina solebant visitare, aut publica missione in gentium conversionem incumbabant. Hunc ab aliquibus Hibernum dici reperio, quod in Scotiae Montanis dicatur natus, ut alibi saepe; nec dicant Hirlandi O in solis praenominibus Hibernicis nobilitatem significare, nam et Scoti talia etiam habemus, ut *Ogilby*, *Oliphant*, aliaque paria; nemo tamen adeo erit insanus, ut eas familias non Scotici esse sanguinis dicet.

Annus incertus. Colitur XXVI. XXVII. Febr. Martyrologium laudatum.

S. OGRINUS. 988.

S. OGRINUS, episcopali et ipse honore subvectus, ex eadem illa patria sua Scotia egressus, amore Dei factus peregrinus, strenuus Domini cooperator, ex eorum Scotorum numero fuisse censendus, quibus in Galliis domorum hospitalium cura incumbabat; quibus, cum a Scotis patribus erectae fuissent, soli Scoti, atque illi peregrini, recipiebantur, ut in Concilio Meldensi cap. XL. Nudum nomen mihi Canisius in Germanico Martyrologio indicavit, nec, prae librorum penuria, plura perspecta habere potui.

Annus incertus. Colitur XXV. Februarii. Canisius.

## S. OSMANA. 989.

S. OSMANA, virgo regia, cum beatam vitam in terris diu egisset, sepulturae memoria aboleri coepit, tum ipsa indicavit. Res autem sic se habet, ex Thoma Cantipratensi lib. II. Apiarii apud Surium tom. III. Presbyter quidam in Galliis ad Iotrense monasterium veniens, in crypta quadam, ubi sanctorum corpora quiescebant, orabat, et cum sancti cujusdam tumulum, ex alabastritide, praeter mentem aperuisset, nec tamen ejus nomen aut meritum scire posset, piam postmodum Luitgardam rogavit, ut a Domino peteret ejus nomen revelari; illa se totam confert ad rogandum Dominum, et cito quod voluit impetrat, apparuit enim ei instantius oranti, et ait, "Ego vocor Osmana, virgo, filia quondam regis Scotiae, et per miraculum Domini in Gallias adducta, sancte vixi, defunctaque ibidem sum, ac sepulta solenniter, sed mei tandem per incuriam incolae obliti sunt." Eadem nocte sequenti ipsa repetiit presbytero oranti, atque ita virgo Dei pristinum inter homines honorem et cultum recepit. Vita S. Luitgardae lib. II. Miror vehementer cur Gabriel Flamma in sua Sanctorum Vitarum versione Italica eam Ostianam vocet; sed vehementius mirari subeat, quae furiae Henricum Fitz-Simonem et alios Hirlandos impellant, ut hanc Hirlandiae donent, Scotiae suae auferant; nam, ut omittam eam non aliter quam Scotam in revelatione vocari, Hirlandia in pentarchiam divisa erat, ut non potuerit dici filia regis Hiberniae, etiamsi Scotia fuisset Hibernia, quod est falsissimum, sed filia regis Ultoniae, Momoniae, aut aliquid simile: sed eos Furiarum tertiae relinquo, et S. Osmanam repeto, quae decenter collocata, a piis hominibus culta.

Revelavit se anno MCCXL. Colitur XXII. Novembr. Martyrolog. Anglicum.

## S. ORBILLA. 990.

S. ORBILLA, virgo Scota, consanguinea S. Abelis archiepiscopi Rhemorum, ab eo patria sua evocata, ut monialibus praecesset, diu Rhemis vita sancta, et continentiae laude bonisque operibus



plena, in coenobio transacta, ad Deum migravit officium illius ecclesiae; nec vero insolens erat mulieres evocari ad evangelici operis perfectionem, nam plenae sunt memoriae ecclesiarum per Gallias et Germanias, Angliam, atque etiam Italiam, ut insulas nostrates et Hirlandiam omittam, Scotis mulieribus, quae sexum suum praetergressae Dei gloriam promoverunt.

Florebat anno DCCLX. Colitur II. Januar. Acta laudatae ecclesiae.

### RICHARDUS OLIPHANTUS. 991.

RICHARDUS Oliphantus, nobilissimo loco ortus, Carmelitanae societatis gravissimus theologus, in Patavino lyceo diu magna felicissimi ingenii laude medicinae dedit operam; sed certiora cogitans immaculae Virgini se addixit, et domum redux Aberdoniae monachum induit; tum Romam ob res sui ordinis vocatus, ex itinere morbo Ticini decubuit, e quo recreatus, sacram theologiam primus ordinis sui in eadem academia coepit profiteri, ingentique concursu auditus est. Scripsit

Lecturas scholasticas	lib. I.
Commentarios sacros	lib. I. Utrumque opus
prodiit ex Veneta Junctarum officina.	
De Conciliis oecumenicis	lib. I. et alia.

Florebat anno MCCCLXIII. ut ex vita primo operi praefixa constat. Antiquissimam hanc familiam esse probat Hoveden. pag. CCCXII. Walterum *Olifard* pro *Olifan* sub annum MCLXXV. ponit.

### ROBERTUS OLIPHANTUS. 992.

ROBERTUS Oliphantus, vir elegantissimi ingenii, Europam, Africam, et Asiam laboriosissime lustravit; Comitem Mortonum et Vicecomitem Oliphantum a piratis Turcis captos quaesiturus; nec frustranea ea opera, nam licet nobiles illos viros haudquaquam potuerit reperire, tamen maximo cum fructu regiones omnes lustravit, et ut varia observavit, itaque in adversaria sedulus retulit. Redux in patriam, Ruthveniae conjurationis accusatus regno cessit, ut sunt magnorum ingeniorum infelices eventus; tum Tho-

mae Bruulaeo, equiti Anglo adolescenti, comes ab avunculo oratore regio Earyo, tum Lutetiae residente, datus, Galliam, Germaniam, Italiam, et Hispaniam peragravit, mox in Daniam permeavit, ubi arcta cancellarii illius regni amicitia fretus ingentem ab eruditione sui admirationem movit. Scripsit

Itineris sui lib. II.

De Nostradami Prophetiis lib. I.

Mathematicae Observationis super Astrologicis Praedictionibus lib. I.

Vivit adhuc in Dania Mysis gratus.

#### ODO. 993.

ODO Senescallus clericus, affinis Joannis episcopi Dunkeldensis, nominatur in controversia quae inter eum et Hugonem S. Andreae episcopum intercessit. Literae Urbani III. papae apud Hovedenum part. II. pag. CCCLX.

Claruit anno MCCLXXXII. Parvum hoc fateor, sed in tanta rerum nostrarum penuria tacendum non duxi.

#### OSBERTUS. 994.

OSBERTUS, abbas de Kelrou, ut est Hovedeni codice part. II. pag. CCCLI. vel Kelkoensis, ut in literis Lucii III. pontificis, a Wilhelmo rege Romam orator missus cum Jocelino episcopo, et Arnaldo abbate Mailrosensi, regis causam egregie in consistorio egit, et absolutionem impetravit.

Vivebat anno MCLXXXVIII.

#### GALTERUS OGILVIUS. 995.

“GALTERUS Ogilvius, singulari exundans eloquentia, adeo ut hominem verborum copia, sermonis ubertate, venustate sententiarum, non modo delectare, sed lascivire et luxuriare diceret,” ait Hect. Boeth. in Vita Episcoporum Aberdonensium. Edidit

Rhetorices Flores lib. I.

Orationes varias

lib. I.

Vixit et professus est in Montano Lutetiae anno MDXX.

ANDREAS OGSTONUS. 996.

ANDREAS Ogstonus Turaviensis, praeceptor in elementis grammaticis  
meus, vir ingenio mediocri, nec indoctus, scripsit

Poemata varia lib. I. vario carminum genere, sed eminent

Epicedium Forbassi Toparchae, ac familiae illius Principis,  
lib. I. elegiaco versu non inculto, ante annos XXX. publi-  
catum.

Vivit adhuc in Orcadibus.

FINIS LIBRI DECIMI QUARTI.

# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER XV.

### S. PANDIONA. 997.

S. PANDIONA, regis Scotiae filia, quae cum in nubilem aetatem adolevisset, et pater iniquissima ac pietati votoque facto adversantia suaderet, saepe urgeret, minis terreret, verita ne vel muliebri imbecillitate succumberet, vel tormentis ad iniqua toleranda cogeretur, fuga subsidium ac virginitatis munimentum quaesivit, habituque dissimulato Angliae intima penetravit, ac prope Grantam Geruviorum, quae postea Cantabrigia dicta est, sanctissime vitam durissimam traduxit, et in sanctissimi voti professione obiit, reliquiis ibidem loci religiosissime conditis; cujus vitam scripsit Richardus Eltesseus, sacerdos Anglus, Lelandus lib. IV. de Viris Illustribus, et meminit Joannes Pitsaeus centuria III. appendicis numero LXXXII. qui scurriliter et contumeliose, ut solet, filiam reguli Scotiae appellat: sed regulus ille magnos Angliae reges saepe in fugam armatus compulit, Angliam ferro flammaque vastavit, Anglicanos exercitus delevit, et, semel dicam, Angliae imperat. Sed os impiorum facit quod solet, nec verissimis Scotiae meae laudibus praejudicat. Scripsit sancta haec virgo

De Virginitate servanda lib. I.

Soliloquium Animae lib. I.

Quo tempore vixerit, non deprehendi, quia altum de ea apud nostrates scriptores silentium. Joan. Molan. in Appendice ad Usuardum.

### S. PALLADIUS. 998.

S. PALLADIUS, primus Scotiae episcopus quem Romae consecratum accepimus, non simpliciter, siquidem diu ante illius in eam insulam appulsum certum est Scotos Christianae veritatis lumine illustratos, et fidei initiatos sacramentis. Abrahamus, et Gotefred.

Bucholzeri Indice chronolog. pag. CCLXXI. Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CXXXVII. Sigebertus Gemblacensis in Chronico: "Coelestinus papa ad Scotos in Christum credentes Palladium primum mittit episcopum." Ergo ante illius adventum Scoti in Christum credebant. Ado Viennensis in Chronico aetate VI. "Scotis Christum credentibus ordinatus a Papa Coelestino Palladius primus episcopus mittitur." Venerabilis Beda libro. I. Histor. Ecclesiasticae Gent. Anglor. cap. XIII. cujus lemma est, "Palladius ad Scotos jam credentes venit." Sequuntur deinde: "Anno Dominicae Incarnationis quadringentesimo vigesimo tertio Theodosius junior, post Honorium, quadragessimus quintus ab Augusto, regnum suscipiens, viginti et septem annis tenuit; cujus regni anno octavo Palladius ad Scotos in Christum credentes a pontifice Romanae ecclesiae Coelestino primus mittitur episcopus." Eadem Hermannus Contractus. Comes Veringensis in Chronico eodem anno: "Palladius episcopus a Coelestino papa ad Scotos jam Christo credentes mittitur;" primus episcopus scilicet Romae ordinatus, ut admonui, nam diu ante episcopos suos Scotica ecclesia habebat, ut ex Apparatu nostro Historico liquet. Marianus Scotus lib. II. aetate VI. consentit: "Ad Scotos in Christum credentes a Papa Coelestino Palladius episcopus primus missus est." Concors est nostratum annalium fides. Appositissime Hect. Boeth. lib. VII. Hist. Scot. in fine: "Inter nostrates Palladius episcopus a Coelestino pontifice maximo ad Scotos in Christum credentes missus, ut Pelagianam haeresim, quae jam magnam Britanniae partem infecerat, a Scotorum gente arceret, populumque ad veram pietatem, a qua continua bellorum atrocitate paulum aberraverat, rite reduceret. Erat Palladius primus omnium, qui sacrum inter Scotos egere magistratum, a summo pontifice episcopus creatus, quum antea populi suffragiis ex monachis et Culdeis pontifices assumerentur. Is utilibus ac piis concionibus Scotos Pictosque a quibusdam superstitiunculis gentilibusque ritibus, nondum in illis populis post relictam idololatriam exterminatis, purgavit; ob quas res Scotorum Apostolus a posteritate est appellatus. Post multos tandem pios sudores, ac religiosa opera Christi dogma propalando pro mortalium salute impensa, Forduni (vico in Mernia nomen est) beatissimum hujus vitae exitum sortitus, fatis concessit, ubi sacrae ejus reliquiae, in multo habitae honore a multis illuc religio-

nis causa confluentibus, vel hac nostra aetate venerandae, ostenduntur. Has Wilhelmus Schewes, S. Andreae olim archiepiscopus, vir undequaque eruditus, effossas humo multis piis precationibus solemnique apparatu in capsulam argenteam honorifice collocavit, IV. anno post Christi adventum in carnem supra nonagesimum millesimum quater centesimum." Quid aversi a rerum nostrarum gloria Angli super hoc ipso censuere? Idem plane, et potentior odio fuit veritas. Matth. Westmonasterien. anno CCCCXXVIII. in Floribus Historiar. "Scotis in Christum credentibus ordinatus a Papa Coelestino Palladius primus episcopus, ibidem mittitur." Florent. Wigorniensis anno CDXXI. "Ad Scotos in Christum credentes ordinatus a Papa Coelestino Palladius primus episcopus missus est, post ipsum Sanctus Patricius."

Rara hujus pietatis argumenta annales Anglicani exhibent, et prae aliis Polydor. Virgilius lib. III. Histor. Anglic. pag. LIX. "Palladius, homo bonus, gratus, pius, et plenus officii, dum apud Scotos erat, omnibus precibus dehortatus est Constantinum regem, ut ne vellet Anglos Saxones, gentem impiam, armis juvare, contra Britanos, homines Christianos, quando posset certo scire eorum calamitatem cum sua aliquando fore conjunctam, cum satis constaret illos non Scotorum, non Pictorum amicitiam, sed totius insulae imperium quaerere, neve alienorum nomine se atque suos toties opponere periculo belli, cujus exitu nihil incertius esset." Paria alii.

Contra hunc tam certum annalium Scotorum Anglorumque consensum, et septem probatissimorum veterum testimonia, insaniae summae esse judico reluctari, et tamen reperti sunt inter recentiores male feriati quidam homines, qui Christianam pietatem Scotis a Palladio primum concessam ausi sint scripsisse. Antesignanus est hujus temerariae cohortis Baptista Platina in vita Coelestini: "Misit ad Scotos Christi fidem optantes Palladium, quem ipse episcopum creaverat." Hunc secutus Ethelwerdus Chronicor. lib. I. pag. CCCCLXXIV. illi in eadem falsitatis opinione succedit Ingulfus abbas Croylandiensis in Chronico: "Scoti, misso a Coelestino papa Palladio, fidem Christianam suscipiunt." Ab his, ut puto, pridem deceptus, Alphonsus Ciaconius in eodem Coelestino: "Palladius item diaconus ad Britanniam directus, postea ad Scotos, qui ex diacono crea-

tus est episcopus, et ad Scotos ab eodem missus est Coelestino." Nemo certe tradidit veterum Palladium ad Britanniam primum missum, deinde ad Scotiam; quare errat Ciaconius. Et post, reliqua ejus pontificis persequens, turpiter lapsus est: "In Britanniam S. Germanum Altissiodorensem episcopum legavit, et Scotos ad fidem per Palladium convertit, Scotorum Apostoli nomen consequutus est." Non Coelestinus Scotorum Apostolus dictus, quod voluit Platina, sed ipse Palladius.

Gente fuisse Britannum affirmant quidam eruditi; in his Ant. Possevin. tom. III. Appar. pag. IV. sed mihi non liquet. Ad eum S. Cyrillum Alexandrinum suos de Adoratione Commentarios scripsisse volunt, et cardinalem factum, ut majori auctoritate ecclesias regeret. Doctissimus Baronius tom. V. Annal. Probus in Gestis S. Patricii, auctor vetustus, gente Scotus, sed librariorum aut perperam utentium vitio corruptus. Prosper Aquitanicus in Chronico: "Basso et Antiocho coss. congregata apud Ephesum plus ducentorum synodo sacerdotum, Nestorius cum haeresi nominis sui, et cum multis Pelagianis qui cognatum sibi dogma juvabant, damnatus. Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a Papa Coelestino Palladius, et primus episcopus mittitur." Ergo Ephesina eodem anno generalis synodus habita, Nestoriani damnati, et ad Scotos Palladius missus, quo Bassus et Antiochus coss. hoc est, ccccxxix. Quam strenuam vero operam navaverit extinguendae Pelagianae apud Scotos pesti Palladius, ex eodem liquet Prospero in Chronico biennio ante in consulatu Florentii et Dionysii, et adversus collatorem in fine. Paene praeterieram Freculphi Lexoviensis episcopi auctoritatem tom. II. Chronicor. lib. V. cap. xxiii. "Tunc equidem ad Scotos in Christum credentes ordinatus a Papa Coelestino Palladeus I. episcopus mittitur;" corrupte sane pro *Palladius*, ut pleraque ea propria in eo scriptore vocabula, quo nullus inter veteres librariorum incuria mendosior, aut transcriptionis negligentia.

Hunc religiosa nostratium successio semper ut divum coluit, et reliquiae ejus magno pietatis affectu colebantur Forduni oppido Merinae, ut supra monui, et confirmat Polydor. Virg. lib. I. Hist. Angl. pag. VI. et tamen an tacito gentium illorum consensu in divorum relictus fuerit numerum, an ab aliquo pontifice, nec annales nostri, quod

sciam, tradiderunt, nec alibi reperi, et nec ullum martyrologium meminit; sed non in eo solo gentis nostrae gloriae iniqui sunt et injurii martyrologiorum compilatores. Fuit autem Graecae et Latinae linguae peritissimus, nec Scoticae ignarus. Scripsit

Contra Pelagianos lib. I. qui ipsius cura Scotia prohibiti, et Romae damnati. Extat Petri Tausiani Bastidei epigramma cultum:

Dum perit haereticis vicina Britannia flammis,  
Scotia Palladio stat bene tuta suo.  
Palladium Trojae quondam si tale fuisset,  
Argolici nunquam fraude perisset equi.

Vitam S. Joannis Chrysostomi, lib. I. aliam ab ea quam ex Simione Metaphraste habet Surius tom. I. et ab ea quam fertur scripsisse Cosmas Vestiarius, quae MS. in Bibliotheca Vaticana asservatur, ut ad XXVII. Januarii Martyrolog. testatur illustris Baronius.

Homilias plures lib. I.

Epistolas ad Coelestinum lib. I.

Missus est in Scotiam, imperante Theodosio juniore, anno CDXXIX. vel anno CDXXXI. vel anno CDXXXII. quae receptior est conformiorque veritati: quando inibi officio functus, incertum. Vide plura infra in *S. Patricio* et in *Servano*. Alius est S. Palladius uterque, Biturigum antistes, ut et Palladius Xantonum praesul. Colitur XXVII. Januarii.

### S. PATERNUS. 999.

S. PATERNUS Scotus, pertinax religiosi voti ac sancti propositi custos, colitur die X. Aprilis. Arnold. Uvion lib. III. pag. CXXX. Joan. Leslaeo lib. V. in fine astipulante. Sigebertus Gemblacensis: "Paderbruma, Germaniae civitas, est cum majori ecclesia combusta. In monasterio autem monachorum Scotus quidam, nomine Paternus, monachus multo tempore reclusus, qui etiam hoc incendium saepe praedixerat, propter propositum reclusionis exire nolens, se comburi passus est." Oh rarum, et, quod sciam, unicum ardentis affectus exemplum, nec nostro seculo imitabile! "Ad sepulchrum multa fiunt mi-





se natum contendunt, Scotum esse ego probo. Sigebert. Gemblacens. Chron. ad annum CCCXCIV. "S. Patricius Scotus cum suis sororibus venditur in Hibernia, ubi cum esset regis porcarius, angeli saepe alloquio fruitur." Clare ille gentes eas sejungit, et in Scotia natum, et in Hibernia venditum vult. Ado Trevirensis in Martyrologio XVII. Martii: "In Scotia natale Sancti Patricii, episcopi et confessoris, qui primus ibidem Christum evangelizavit." Franc. Maurolycus Martyrologio eodem die: "In Scotia natale Sancti Patricii episcopi, qui primus ibi Christum evangelizavit, et maximis virtutibus et miraculis claruit, atque in Hibernia ad edomandos barbarae gentis animos ope divina barathrum fecit horrendum, quod S. Patricii Purgatorium hucusque appellatur, in quod descendentes quidam, reversi mirabilia se vidisse referunt." Et ille Hiberniam a Scotia separat. Petrus Galesinius Protonotarius in Martyrolog. "In Scotia S. Patricii, episcopi et confessoris, qui primus eam nationem Christi sacris imbuat." Usuardus itidem in Martyrologio, quod rogatu Caroli Magni composuit: "In Scotia natale S. Patricii, episcopi et confessoris, qui primus ibidem Christum evangelizavit." Ab eo, puto, hauserunt juniores, Ado, Maurolycus, et Galesinius. Haec Siculi, Itali, Germani, et Galli, de S. Patricii patria prodiderunt, et natalis hic non ortus primus, non depositio, sed dies consecrationis in episcopatum; Hilarii PP. epist. ad Ascanium, S. Paulini epist. XVI. ad Delfinum, S. Ambros. lib. IIX. epist. LX. ad Felicem; quod Hirlandi ignorarunt, in suis contra Scotiam et Thomam Dempsterum famosis libellis. Quid Angli censeant exquirendum, qui vicinia loci diligentius res nostras cognoscunt et scrutantur. Silvest. Giraldus Cambrensis Topogr. Hibern. cap. XVI. "Patricius vero natione Britannus, vir vita et sanctitate conspicuus, regnante Largirio Nelli Magni filio insulam Hiberniam intravit, et gentem inveniens idololatram varioque errore delusam, primus in ea, divina opitulante gratia, fidem Christianam et praedicavit et plantavit. Baptizatis itaque catervatim populis, et tota jam insula ad Christi fidem conversa, apud Ardmacham sibi sedem elegit, quam etiam quasi metropolim constituit, et proprium totius Hiberniae primarium locum; episcopos quoque congruis in locis collocavit, ut in partem vocati sollicitudinis, quod ipse plantaverat, et ipsi rigarent, Deus autem incrementa daret." Ille diserte Britannum facit,

non Hibernum, neque Gallum Britonem. Id quidam ad Angliam referunt, et in his Gulielmus Camdenus in Britannia pag. DXXIV. Scribit in Valle Rosina sub Verginio promontorio apud Dimetas, vulgo *Pembrokehill*, natum esse; sed cum careat idoneis auctoribus, figmenti loco a me id habebitur. Indifferenter Floren. Wigorniensis ad annum CCCXCIV. "S. Patricius nascitur in Britannia ex patre Calphurnio nomine, qui presbyter fuit, filius diaconi nomine Fodit. Mater autem erat Patricii Conches, soror S. Martini de Gallia. Patricius in baptismo dictus est Sucat, a S. Germano Magonius, a Coelestino papa Patricius, id est, pater civium." Explicatius et lucidius Matth. Westmonasteriensis Florib. Historiar. "Eodem illo anno Sanctus Patricius Scotus eodem tempore in Hiberniam venditur cum sororibus suis." Mox idem delirus, et sui oblitus, multa figmenta super eo congerit ad annum CCCXCV. nam et II. Hiberniae archiepiscopum scribit, cum ante eum neque archiepiscopus neque Christiani ulli ea in insula essent: deinde XL. annis tantum praedicationis munus implevisse, cum omnium auctorum consensu constet LX. annos totos in sancto illo obsequio eum collocasse: reges septem baptismatis sacro fonte abluisse. Ridiculum sane, cum antiquissimi gentis illius annales principio quinque tantum fratres insulam inter se divisisse, non autem septem, asseverent, qui omnes sub unius imperii et regni corpus coaluerint. Postea pudendum illud de S. Palladio commentum ponit: "Dum Patricius Romae moraretur, missus est Palladius episcopus a Papa Coelestino ad Scotos ad Christum convertendos, qui primo verbum Dei in Scotia praedicans, tandem in Britanniam pervenit, et in terra Pictorum defunctus est; deinde audita morte Palladii, Patricius Theodosio et Valentiniano imperantibus a Papa Coelestino ad partes occiduas missus est." Omnia impurissimi mendacii plena. Nam Palladius ad Scotos jam conversos est missus, et credentes, non convertendos, uti supra plene; deinde in Britanniam, hoc est, Angliam, cum penetrasse, falsissimum, post susceptum semel apud Scotos docendi munus. Illud amenter etiam confictum, Palladium in terra Pictorum vita functum, cum Forduni obierit oppido Merniae in Scotia, ut ostendi: hoc etiam imperitiae et ignorantiae, Patricium successorem destinatum Palladio, Valentiniani imperio, cum multis post eum annis Palladius in Scotiam fuerit missus, scilicet sub Theodosio

juniore. Erratum erit igitur ut minus centum annis totis. Sed ad S. Patricium redeo, quem, sibi contrarius, vult Hiberniensem ortu fuisse et in Scotia venditum, cum prius ortu Scotum et in Hibernia venditum dixisset. Pergit saperda et insulsus, a Matthaeo archiepiscopo Patricium ad episcopalem gradum promotum asserens, cum archiepiscopi honorem a Coelestino papa acceperit, ut infra patebit ex Sigeberti Chronico. Denique sepulchri locum ejus ignotum contendit, cum omnes eum Duni sepultum et veteres et recentiores affirmant. Silvester Giraldus Topograph. Hibern. cap. XVIII. et versus vulgatissimi, licet falsissimi, nam Brigida Abrenethae in canonic. aede jacet, ac in Scotia. Ex loci archivis et actis Leslaeus lib. IV. Hist. p. CXLIX. Patricius vero in Glastonia, regione Somersetensi, et vixit et obiit, si Malmesburiensi fides lib. II. Gest. Pont. pagina CXLV. nec de Patricio juniore dicant Irlandi intelligendum, siquidem Hiberniae Apostolum idem auctor vocat, et G. Camdenus pag. CLVII. Denique, Columba in ea insula jacet, quae Scoticae ditionis, et Scotorum regum sepultura, a nomine hujus sancti *Columkil* dicitur. Scotichronicon et Veremundus. Tantum improbitas Hirlandica effecit, sanctos Dei, qui aliis deberentur, sibi affingens. Huntindoniensis vero scribit S. Columbam ad S. Martini episcopatu S. Niniani in Gallovidia sepultum, lib. III. pag. CXXXIX. Quam mendaces ergo hi versus!

Hi tres in Duno tumulo tumulantur in uno,  
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Clarissime patriam S. Patricii expressit H. Rabanus in Martyrologio: "In Scotia natalē Patricii episcopi, qui in Hibernia insula primum praedicavit nomen Domini nostri Iesu Christi." Notkerus Balbulus, etiam Martyrolog. scriptor, eodem illo die: "In Scotia natiuitas S. Patricii episcopi, natione Britanni, qui in Hibernia insula Scotia primum evangelizavit nomen Domini nostri Iesu Christi, et eos per miraculorum ostensionem ad fidem veram convertit." Fefellit et hanc et multos alios rerum nostratium exordium; nam quia Scoti primum ex Hibernia in Britanniam transierunt, existimarunt Scotos semper eam insulam inhabitasse; usque adeo nominum ut confusio fit inextricabilis, utque quidam auctores supra laudati, Ado, Galesinius, Maurolycus, Scotos fidei Christianae veritatem et lucem evangelii a S. Patricio hausisse scripserunt; quinimò ipse Mellanius Probus Scotus,

auctor vetustissimus, sed a librariis aut sciolis corruptus, in Vita S. Patricii prodit Palladium, intactis rebus Scotorum, ab illis fuisse repulsum, ac in munere quo fungebatur archidiaconatus esse defunctum, eique successorem Patricium gentem eam ad fidem convertisse: quod etsi historicae ecclesiasticaeque veritati sit contrarium, tamen a Graeculis magno consensu est receptum. Ruffin. lib. I. Histor. Ecclesiast. cap. XI. Nicephor. Callist. lib. VIII. Histor. Ecclesiast. capit. XXXIV. et transcribere illos Ant. Sabellicus et Gilbertus Genebrardus; quos omnes in manifesto errore versari, et supradicta a me in *S. Palladio*, et in Apparatu Hist. facile convincunt; et illud non de Scotis, sed de Hibernis intelligendum docent verba Martyrologii Romani die laudato: "In Hibernia natalis S. Patricii, episcopi et confessoris, qui primus ibidem Christum evangelizavit, et maximis miraculis et virtutibus claruit." Sola haec est auctoritas quae Hibernum convincit fuisse, sed non magni ea momenti, siquidem Martyrologium de depositione, non temporali ortu loquitur; ita falsi qui ex hoc loco Hirlandum contendunt, uti et fabulatores illi qui in Gallis natum volunt, a Scotica nave piratica aut Saxonica puerulum inde sublatum in Hibernia divenditum, in Anglia educatum, porcorum in Hibernia pastorem seu subulcum, Romae institutum; quae pugnantia simul omnia vera esse non possunt, et Gallos dejicit spe sua Malmesburiensis loco laudato, qui eam opinionem ridet. Nec desunt qui triginta annis in Glastemburgensi coenobio commoratum eum fingant in Anglia. In his Gulielmus Camdenus in Britann. Descript. in Belgis, vulgo *Dorsetshire*, pag. CLVII. Sed refellitur hoc facile, cum seculari ille vitae professione non etiam monastica reperiatur egisse, nisi forte dicant in monasteria monachorum admissos seculares, quod non legi. Sunt tamen qui eum canonicum regularem fuisse velint; in his Joannes Trullus Aragonius lib. I. Histor. Can. Reg. cap. V. quod et verum esset, non tamen monachus foret, cum canonici regulares non sint monachi. Joannes Baptista Cicada, S. R. E. Cardinalis, Bernardinus Scotus, Zacharias Ferrerius, Hieronymus Mentuatus, contrarium docuere.

Utcunque sit, certe Hibernorum est apostolus. Wernerus Rolevinchus in Fasciculo Temporum: "Patricius, filius sororis S. Martini, mit-

titur in Hiberniam a Coelestino papa. Vir mirabilium operum, vixit annis centum viginti ;” quod vix credibile est, constat enim Palladio a S. Coelestino misso anno ccccxxxii. qui ultimus ejus pontificis fuit, successisse Patricium non nisi eo mortuo ; igitur e duobus alterum verum esse oportet, aut Palladii successorem non fuisse Patricium, aut non ab eodem pontifice utrumque legatum ; nam, ut dixi, Coelestinus ultimo sui pontificatus anno Palladium ad Scotos destinavit, qui ibi magna sanctitate et eruditione multis annis versatus ; cum tamen si verum sit, quod Laerius scribit, oportuerit eodem illo anno et missum ad Scotos Palladium excessisse, et Patricium ei successorem designatum, et S. Coelestinum fato etiam concessisse, quod durum credere ; nihilominus tamen eundem illum errorem video amplexum Sigebertum, qui in Chronico anno laudato haec habet : “ Coelestinus papa ad Scotos in Christum credentes Palladium primum mittit episcopum, postquam ab eodem Coelestino ad eosdem missus est S. Patricius, genere Britto, filius Conches sororis S. Martini Turonensis, qui in baptismo quidem dictus est Suchat, a S. Germano Magonius, a Coelestino vero Patricius, a quo archiepiscopus Scotorum ordinatus, per LX. annos signis, sanctitate, doctrina excellens, totam insulam Hiberniam convertit ad Christum.” Et in eodem opere ad annum ccccxcii. “ S. Patricius, secundus Hiberniae archiepiscopus, anno aetatis suae cxxii. in Christo quievit.” Non fuisse secundum gentis illius archiepiscopum, supra ostensum. Totum vitae ordinem brevi recensione ponit Marianus Scotus lib. ii. Chronicor. aetate vi. ad annum ccccxcii. “ S. Patricius, Hiberniae archiepiscopus, cum esset annorum xcii. obiit, cum esset annorum sexdecim venditus est, sex annis vixit in servitute, in Romanis partibus ;” puto aliquid deesse, saltem annorum numerum, quibus in Romanis vixit partibus ; “ sexaginta annis praedicavit in Hibernia.” Et forte etiam erratum a librario fuerit in numero primo annorum, siquidem consensus est scriptorum vivendo eum centum et viginti annos superasse. Idem de ejus redemptione eodem libro ad annum ccccxcv. “ Cum S. Patricium nolisset dominus suus dimittere, nisi pro massa aurea, servavit S. Patricius praecepto angeli Victori cuidam gregem porcorum, quorum custos dum fuit Sanctus Patricius et pastor, fodit massam auream, quam ille Patricius domino suo pro se dedit.” Vereor ne fidem etiam fallat in hoc antiquitas ; nam Sige-

bertus antea laudatus regis porcarium nominat, hic Victoris cujusdam subulcum facit, Matthaeus Westmonasteriensis dominum, cui ille probrosam eam servitutem obierit, Scotum quendam Cuulcu appellat, Florentius Wigorniensis Milvo filio nepotis Buani in Aquilonari Hibernia venditum ait ad annum salutis ccccx. Conciliet haec qui volet, mihi indicasse pro instituto satis erit. Suspectam etiam de eo relationem facit nominum varietas; quibus addendum ex eodem Westmonasteriensi, primum ei nomen fuisse Naunum: quo fonte multiplex haec appellatio defluerit, ego non assequor; nam ut verum sit eo seculo nomina in confirmatione consuevisse mutari, tamen unde quatuor haec aut quinque nomina, quae ei affingunt? Certe an episcopi aut antistites ordinati novum aliquod nomen assumere pro more habuerint, nescio; illud mihi certo persuasum, ipsos pontifices nomina sua non mutasse ante Sergium, qui lxxxv. pontifex sacrum magistratum iniiit anno salutis dclxxxvii. ut praeter Annalium Ecclesiasticorum scriptores notat Caelius Rhodiginus lib. xxv. cap. xxvi.

Cum eo consecrati sunt, et eidem sacratissimo operi addicti, Anfilius et Iservinus; de quibus nihil aliud comperi. Ipse iis deinde in agro quodam deserto monasterium aedificavit canonicis regularibus, ut in Joanne Trullo loco laudato legitur. S. Antonini part. II. tit. x. cap. xviii. xxi. In Scotia hoc an in Anglia exstructum, quaeratur.

Magnam hujus sanctitatem memorat anonymus auctor vitae S. Winwaloci apud Surium tom. II. die tertio Maii. "Per idem tempus claruit S. Patricius, ecclesiae Christi eximium decus, et totius Hiberniae splendidum sidus, cujus eximiae virtutis opinio adeo S. Winwalocum affecerat, ut modis omnibus ad eum proficisci peroptaret, ut vivendi normam ex ejus sanctissima institutione capesseret. Sed cum in ea versaretur cogitatione per visum ei S. Patricius sese exhibuit vultu angelico, et caput aureo diademate coronatus, aitque ei, 'En ego sum Patricius quem tantopere cupis adire, sed ne mea causa tam longum iter terra marique susciperes, misit me Dominus, ut voti tui compos et visu et alloquio meo perfruaris;' deinde blando eum sermone admonebat, ut non se sed Christum suis ubique praesentem accederet, et eum sibi vitae praeceptorem deligeret; praedixit etiam illi futurum eum aliis militiae spiritualis ducem, salubrique eum consilio instruxit; porro

etiam hortabatur, ut a magistro suo socios expeteret, et cum iis ad alium sese locum transferret." Nec plura eo in loco.

Sanctissima ejus opera venerabile etiamnum hodie apud nostrates Hibernosque nomen ei conciliant, ut nullum ardentius colant sanctorum, aut vota crebrius majorique pietatis affectu nuncupent; extatque, non sine impiorum et sectariorum horrore, antrum ab eo divina permittente gratia factum, cujus antea hic supra Maurolycus meminit, et praeter rerum Hibernicarum scriptores describit Simeon Maiolus Diebus Canicularibus colloquio xx. Verba sunt: "Cum S. Patricius praedicaret Hibernis, nec eos per miracula, neque per comminationem futurarum poenarum, nec per promissa coelestium gaudiorum, posset convertere, Deus per ejus preces locum indicavit, mirabili hiatu ac profunditate inscrutabili, per quem in Purgatorium descenditur, quin et Purgatorium S. Patricii vulgo nuncupatur: descendere in illud plurimi, alique quidem nunquam redeuntes, alii redeuntes admiranda quae sibi contigerunt de poenarum acerbitatibus a se visis tradiderunt; inter hos praecipuus Agneius miles. De quibus rebus atque aliis pluribus libello quodam praecipuo actum est, uti partem ejus recenset Dionysius Carthusianus, de quatuor Novissimis artic. XLVIII. Sed ante illum scripsit de eodem Vincentius lib. xx. Spec. Histor. cap. LIV. Appellari autem Purgatorium D. Patricii memorat Albert. Crantzius Dan. lib. II. cap. XXIV. huc penetrasse Ulysses ex Claudio putat Joannes Camers ad caput xxxv. Solini." Plura qui cupis, adi S. Antoninum archiepiscopum Florentinum, Joannem Capgravium, qui non est manu mea, et alios. Scripsere vitam ejus ex professo Mellanius Probus Scotus, ut dixi, libris II. et Gulielm. Malmesburiensis lib. III. Neuter est penes me; diligens lector, consulere potes. Hic scripsit

De Antiquitate Avallonica	lib. I.
Itinerarium Confessionis	lib. I.
Hodoeporicon Hiberniae	lib. I.
Historiam Hiberniae ex Rhuano vetusto auctore	lib. I.
Epistolas plures	lib. I. quas laudat loco ultimo laudato Gulielmus Camdenus. Ego tamen non vidi.
Sermones plures	lib. I.



Obiit anno aetatis **XCII.** vult **Marianus,** vel **CXX.** ut **Wernero Ro-**  
**levincho** placet, vel certe anno **CXXII.** ut probabilior praeferat auctori-  
 tas plurium, anno salut. **CCCCLVIII.** ut **Sylvester Giraldus** prodidit,  
 vel **CCCCXCI.** ut receptior est cum **Sigeberto** opinio. In quodam libro  
 veteris notae **MS. Chromelliae** haec extant: “Anno quo **S. August.**  
 doctor mortuus est, scilicet **CCCCXVIII.** missus est **Patricius** in **Hibern-**  
**niam.**” Venit vero eo anno **CCCCXXXII.** “Obiit **Patricius** **CCCCXCIII.**  
 anno aetatis suae **CXX.**” Omnia hic incerta, gens, nativitas, educatio,  
 vitae series, apostolatus, legatio Romae, adventus in **Hiberniam,** tem-  
 pus apostolatus, denique mors ipsa ac sepultura, tanta est in tam il-  
 lustri viro ornando scriptorum vetustiorum qua cupido qua dissensio.

#### S. PLECHELMUS. 1002.

**S. PLECHELMUS,** episcopus **Candidae** in **Scotia Casae.** **Bedae** lib. v.  
**Hist. Angl.** cap. **XXIV.** et sequitur eum **Molanus** **Indiculo SS. Belgii**  
 pag. **LVI.** **Jo. Gerbrand.** a **Leidis** lib. II. **Chronic. Belg.** cap. **XVI.**  
 “**S. Plechelmus,** sacerdos Dei, in confinio **Scotiae** de clara nobilium  
 prosapia procreatus.” Sacerdos eunti Romam **S. Wironi** propositi se  
 et itineris socium adjunxit, et a pontifice Romano episcopus creatus  
 est, sive **Wironis** episcopus, sic enim loquitur anonymus auctor in  
 vita **S. Wironis** apud **Surium** tom. III. die **VIII. Maii.** Addit autem,  
 “**Plechelmus** virtute venerabilis, nec aetate major, nec meritis multo  
 minor.” Consecratus ergo Romae. Cum ad patriam reversus, aliquan-  
 diu substitisset, iterum eundem **Wironem** secutus, in Gallias venit,  
 ubi a **Pipino** honorifice excepti montem **Odiliae,** sive **Petri,** ab eo ac-  
 ceperunt, ibique sanctissimae vitae cursum terminarunt, ut multis in-  
 fra in **S. Wironis** relatione agetur.

Est autem **S. Plechelmus** patronus **Ruraemondae** in **Belgio** urbis,  
 cujus nomini praecipuum templum dedicatum, quae episcopalis sedes  
 erecta est, concedente **Paulo IV.** anno **MDLIX.** Recliturque ejus  
 sancta memoria die **xv. Julii,** ut in **Martyrologii Usuardi** **Additioni-**  
**bus** doctus **Molanus** expressit. “**Civitate Oudensele** natale **S. Ple-**  
**chelmi** episcopi **Tuneintiensis,**” indicavit **Aubertus Miraeus** de **Col-**  
**leg. Canonico.** cap. **LVII.** ex anonymo quem laudavi nuper scriptore.  
 Omnia ejus scripta aevi injuria perierunt.

Floruit anno DCCXLVIII. venit enim in Francia regnante Pipino, patre, ut existimo, Caroli Magni. Magna certe anonymi illus auctoris injuria est, qui neque episcopatum nominavit, neque pontificem a quo inaugurationis insignia suscepit, expressit. Ego conjicio episcopatus eum insignia a Paulo I. habuisse, qui xcv. in Petri cathedra sedit circa annum salut. DCCLVI. regnante apud Scotos Eugenio VIII. An idem sit Plechelmus, aut Pechtelmus, S. Adelmi socius, apud Trithemium lib. III. de Vir. illustr. S. Benedicti cap. CXLII. quaeratur.

### S. PHILANUS. 1003.

S. PHILANUS episcopus, vel Filanus abbas, sanctissimae recordationis, apud nostrates in Fifa et Argadia cultus; cui templum et arx munitissima in lacu Levino. Hect. Boeth. in Descriptione Scotiae. Memorabile de hoc narratur ab eodem lib. XIV. Histor. Scotie. pag. CCCIII. Robertus Brusius rex, ad bellum in Anglos se paraturus, brachium S. Philani jussit in castra deferri; sed a sacerdote deceptus, et capsula tantum argentea, non ipsum brachium, concessa, ne tumultu, scilicet, perderetur: sed cum rex in precibus perseveraret, capsula sponte, nulloque tangente, aperta, verum brachium, quod domi relictum, sacerdoti ostendit, quo rex et milites armati praeclaram victoriam de hostibus retulere, caesis L. millibus Anglorum, cum ducentis equitibus auratis, ipso rege Eduardo aegre fuga et proditione Merchiarum comitis elapso. Scripsit

De Meditatione Sanctorum lib. I.

Homilias lib. I.

Epistolas ad Ecclesiam suam lib. I.

Floruit anno DCCIII. Colitur die IX. Januar. Breviarium Scoticum.

### S. PRISCUS. 1004.

S. PRISCUS, episcopus incertae sedis, uti priori illo et rudi seculo receptum, magna virtute et sanctitatis fama ecclesiam sibi commissam administravit, coetaneus SS. Colmanni, Medani, Modani, et Euchini, itidem episcoporum ecclesiae Scoticae. Hect. Boeth. lib. VIII.

in fine. Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CXLIII. Scripsit  
 Homilias de Sanctis lib. I.  
 Vivebat anno DXXXI. Quo die colatur, non reperi.

### S. PEREGRINUS. 1005.

S. PEREGRINUS, a vita cognomento desumpto, Scotiae regum Romani et Plantulae filius, incomparabilis sanctitatis vir, qui ex peregrinatione Hierosolymitana XLII. annos totos eremum incoluit, partemque Apennini a suo nomine appellari fecit, ubi et templum ei sacrum ingenti concursu, in ditioe Mutinensi, frequentatur; corpus vero Lucae requiescit, ut Sylvanus Razzius in Vita Sanctorum Hetruscorum, et Caesar Franciottus in opere de Sanctis Lucensibus prodiderunt. Vitam ejus anonymus scriptor Italus, nec doctus, dedit, eamque Rhegii et Bononiae publicavit Peregrinus Capius: sed ea mihi est jure suspecta, quod anilibus fabulis sit referta, nec quicquam bonae frugis contineat. I. Romani et Plantulae, Scotiae regum, nec annales Scotici nec peregrini ulli scriptores meminerunt. II. Ad regnum vocatus, diadema respuit, totumque patrimonium, id est, census regni annuos, pauperibus erogavit. III. Dum visitaret loca sancta, Hierosolymis adiit adoravitque locum ubi Deipara Virgo baptismo lustrata. IV. Jubetur in Aegypto adorare Mahometum, qui ducentis a morte Peregrini annis vix natus fuerat. V. Postquam innocuam flammam decem horis illaesus sustinuisset, Aegypti Soldanum cum toto regno sacro baptismi fonte lustravit; cum adhuc eo seculo Aegyptus sub Romano esset imperio, nec nomen Soldani multis postea seculis auditum. VI. Dum Ancona (quo ex peregrinatione Hierosolymitana appulerat) Romam petit, in itinere S. Michaelis in monte Gargano fanum supplex invisit; duplici sane errore, nam mons Garganus neque in illo tractu, sed in Apulia prope Sipontum urbem sit, neque adhuc eo tempore instituta solennitas apparitionis S. Michaelis in eo monte, qui dicitur apparuisse anno CCCLXXXVII. ut Sigebertus vult, vel CCCXCII. ut ad diem VIII. Maii in Martyrologio Romano Baronius docet ex historia MS. illius rei, quae in Biblioth. Vaticana habetur, idque factum vult anno DXXXVI. Vide locum. VII. Canonizatum anno salut. CCCCLXIV. cum multis postea

seculis caerimoniae referendi in sanctos, seu canonizationis, sint introductae, ut memini me in Historia Ecclesiastica observare. Utcunque illa vita ab imperito sic scripta, constat tamen magnae sanctitatis virum fuisse, et piae vitae anachoretis unicum exemplar: cujus sepulturae adfuerunt, ut idem ille auctor ignobilis tradit, Geminianus Mutinensis episcopus, et Alexius Pisanus episcopus, cum omnibus aliis Hetruriae episcopis et clero, S. Severinus Ravennae archiepiscopus, cum Galliae Cisalpinae omnibus praesulibus, numero quidem **XXVII**. Scripsit

Orationes, et orandi Modum,

lib. I.

Meditationes

lib. I. quas dicunt ipsius

manu corticibus arborum inscriptas, etiamnum hodie asservari.

Obiit anno CCCCLXIV. quo etiam in sanctorum album relatus, et templum ei dedicatum die I. Augusti, quo Bononienses, Mutinenses, Lucenses, alique Italiae populi, commemorationem ipsius solennem agunt, et veluti natalem celebrant.

#### S. PETRANUS. 1006.

S. PETRANUS, frater S. Gibirini, ex Scotia eum in Gallias secutus, miro sanctae piaeque vitae ardore in Rhemensi tractu vixit, sanctis ascriptus, ut reliqui omnes septem fratres. Molanus, et Georgius Colvenerius notis ad Flodoardum. Scripta perierunt.

Peregrinabatur anno DIX. Sigeberto auctore; quando obierit, non comperi.

#### S. PETROCUS. 1007.

S. PETROCUS, in Scotia mediocri fortuna parentibus ortus, ut in Scotchronico habetur, in Hiberniam trajecit, ut discipulos S. Patricii coram conveniret; a quibus aliquandiu detentus, ad S. Davidem Scotum apud Menenses agentem in Cornubiam transivit, ubi vita vere apostolica instituta ad oppidum Laffenac, seu Loderic, monasterium celebratissimum manibus suis fundavit, quod ab ipsius nomine *Petrocstow*, deinde contracta voce a posteris *Padstow*;

quo nullum in tota Anglia sanctitatis opinione, aut monachorum doctissimorum numero, nobilius. Scripsit pleraque, ut in Polychronico Scotico est lib. IV. cap. XII. sed omnia interierunt, praeter

De Vita solitaria

lib. I.

Floruit anno DLXIV. Stultissime Anglum facit Pitsaeus.

#### S. PRAXEDES. 1008.

S. PRAXEDES, filia Claudiae Scotae de qua egi lib. III. supra hoc opere, et S. Pudentis, senatoris Romani, soror SS. Novati, Timothei, et Pudentianae. De ea sic Martyrologium Romanum die XXI. Julii: "Romae S. Praxedis virginis, quae in omni castitate et lege divina erudita, vigiliis atque orationibus et jejuniis assidue vacans, quievit in Christo, sepultaque est juxta sororem suam Pudentianam Via Salaria." Addit iis Franc. Maurolycus Martyrolog. eodem die: "officioque erga pauperes exercitata." Id Ado Trevirensis explicans, eodem die in Martyrologio, ait eam "omne defuncti patris patrimonium in pauperes erogasse." Vitam ejus scriptam aiunt a Pastore quodam presbytero, qui eam sepelivit: quando hujus nomen in S. R. E. titulum cardinalitium iverit, docet historia MS. quae in Vaticana Bibliotheca asservatur, et ab eruditissimo Baronio laudatur, laudato Martyrologii Romani loco.

#### S. PUDENTIANA. 1009.

S. PUDENTIANA, ut vult Martyrologium Romanum die XIX. Maii, seu Potentiana, ut alii malunt, Galesinius, Maurolycus, Ado Trevirensis, et Usuardus eodem die, filia Claudiae Scotae, soror S. Praxedis. Verba Martyrolog. sunt: "Romae Sanctae Pudentianae virginis, quae post innumeros agones, post multorum martyrum venerabiliter exhibitas sepulturas, post omnes facultates suas pro Christo pauperibus erogatas, tandem de terris migravit ad coelos." Gesta etiam hujus idem Pastor presbyter recenset, et Mombritius tom. II. Vit. SS. et quia non Scotica est, sed Scotae tantum filia, longiorem de ea sermonem non produco; qui volet, fontes ipsos adeat.

Floruit haec cum sanctis suis germanis circa annum xc.

## PASLATENSIS. 1010.

PASLATENSIS quidam monachus, incerto nomine, sed magna eruditionis claritudine, si tamen unus ille fuit, ac non plures incepti ab uno, eo in monasterio, operis continuatores, scripsit

Chronicon ab initio Mundi lib. I. quod Georgius Buchananus in Historia sua Scotica sequi se profitetur, et veluti Palladium incendio furentium cum Knoxio haereticorum exceptum asservat Alexander Setonius, Scotiae cancellarius, Dunfermelinae comes. Eo etsi res orbis universi, res tamen praecipue Scoticas attingit, et sunt quae Hector Boethius non viderat.

Vivebat anno MCCCCLII.

## S. PATRICIANUS. 1011.

S. PATRICIANUS quis fuerit, docet Hector Boethius lib. VIII. Hist. Scot. in fine. "Passi sunt complures sub idem tempus antistites et sacerdotes, propter Christi nominis confessionem, a Saxonum feritate in Albione, uti qui Britannicas res memoriae prodiderunt, literis mandaverunt, constantissimis animis martyrium: alii alio fugientes secundioribus se rebus servaverunt, et inter eos Patricianus episcopus, vita et disciplina insigni, apud Congallum regem, a quo praediis et agris in Mona insula donatus, vitam plane Christiano dignam docendo et exhortando ad meliora peregit. Quievit is beatissimo fine, perspicuum cunctis exemplum, studiosam vitam, Deoque optimo maximo semper acceptam, relinquens, Conrano rege Scotis imperitante." Meminit et Joannes Fordunus Hist. Scot. lib. III. qui ait eum scripsisse

Documenta ad Fideles

lib. I.

De Persecutione Saxonica

lib. I. Gens ea bar-

bara feritate littus Oceani Britannici primum obsidebat; deinde regionem ipsam ingressa, cives omnes, sed maxime Christianos mactabat.

Vivebat anno DXXXIV.

## PELAGIUS. 1012.

PELAGIUM, damnatae memoriae haereticum, Britannum, hoc est, Anglum, faciunt omnes. D. Hieronymus lib. I. et III. Commentar. ad Hieremiam Scotum vult; Christophorus Browerus notis ad Fortunat. Venant. lib. III. epigram. VIII. illum sequitur, genti sane nostrae injurius; quo fit ut viros sanctitate, eruditione, et rerum gestarum gloria prae caeteris illustres nobis auferant, sceleratos omniq̄ue infamia coinquinatos liberaliter donent.

Fuit hic ortu Anglus, professione monachus, ut est in Decreti part. II. apud Gratianum causa XXIV. quaest. III. cap. penultimo. "Eodem die quo ille in Anglia natus tenebras errorum toti mundo effudit, summum ecclesiae lumen Augustinus in Africa emicuit;" auctor Wasfila est, vetustissimus historiae ecclesiasticae scriptor. Sectam suam impie disseminare coepit anno CCCCIV. sedente in Petri cathedra Innocentio I. cujus sanctissimi pastoris opera, indicto Carthaginem concilio CCXXIV. episcoporum, per universum orbem damnata est ea impietas anno CCXV. sed eadem per Agricolam Pelagii discipulum renovata est anno CCCXLVI. ut ex narratione liquet Matthaei Westmonasteriensis. Verum illam acerrime in Anglia impugnarunt Sancti Germanus Altissiodorensis, Lupus Treccassinus, antistites; in Scotia S. Palladius, gentis illius apostolus; et scripto damnarunt non modo concilium Carthaginense, ut dicebam, et Milevitanum, sed et Innocentius papa decreto edito, quod ampliavit ejus successor Zosimus, et Magister Sententiarum lib. II. distinct. XXVIII. et Gennadius Massiliensis libris VI. et Constantini presbyteri extat volumen ad Patientem Lugdunensem super illius sectae pravitate, et S. Scripturae glossator ad caput XXIX. Ecclesiast. et alii; ut jure dicat D. Hieronymus, "Pelagius seculi gladio, et totius orbis auctoritate damnatus est."

Adjutores habuit Coelestinum et Julianum, ut praeter alios habet diserte Tiro Prosper in Chronico in Luciani consulatu. Error est in numero, ut puto, in Chronico Rheginonis, qui ortum hujus pestis in annum CCCL. retulit, aliis in annum CCCCVII. rejicientibus, jure in annum XII. Arcadii, quod placuit Hermanno Contracto in Chronico. Marianus non bene, ut opinor, lib. II. aetate VI. anno CCCXXII. ortam vult,

complices appellans Coelestinum et Julianum, ut et Sigebertus, qui eos locat in anno salut. CCCCLV. rectius haud dubie. His et Leporium addit Ado Viennensis Chronico, sed Coelestinum vocat, et episcopum facit, ut et Julianum. Qui plura volet, adeat Bedae Annales Anglicanos, et Joannis Balæi Centurias, Polydori Virgillii Historiam lib. IV. et alios.

Florere incepit, ut monui, anno CDIV. hoc est, anno XVII. antequam Anglosaxones in Britanniam appulissent, et mirum in modum rem Christianam ea in gente turbavit; sed tamen ab ejus pestis atrocitate immunis fuit nostra Scotia, nec quicquam suae fidei puritati nocuit vicinorum contagio.

#### S. PECHTWINUS. 1013.

S. PECHTWINUS, Candidae Casae in Scotia praesul, Florentio Wigorniensis memoratur. Scripsit vero

In Matthaei Evangelium Commentarios lib. I. MSS. extant in bibliotheca Pauli Petavii, senatoris Parisiensis.

Obiit anno DCCXCIX. hoc est, anno X. Caroli Magni apud Francos, imperante Scotis Fergusio III. auctore Wigorniensis, loco laudato.

#### PHILIPPUS. 1014.

PHILIPPUS, abbas Scotorum Benedictinorum ad D. Jacobi in suburbio Herbipolensi, et coenobiarcha XVII. Michae successor sub Ottone Volfahale episcopo. Vir fuit religiosi voti tenax observator, nec minus prompto ad secularia negotia animo, censum auxit, et honorem. Scripsit

Epistolam ad Carolum IV. Imperatorem, a quo omnium privilegiorum monasterii confirmationem impetravit.

Praefuit annis XXI. Obiit anno MCCCLXI. Chronicon dicti coenobii.



## PHILIPPUS. 1015.

PHILIPPUS et ipse ejusdem monasterii abbas numero XXXII. sub quo coenobium, decessorum incuria, in ultimam et non ferendam penuriam incidit, ut aedibus collapsis monachi omnes excederent; quam vastitatem et desolationem mors ipsius statim est insecuta; quo defuncto Laurentius Herbipolensis antistes, bulla impetrata ab Alexandro VI. pontifice, regimen a Scotis, in quorum gratiam fundatio facta fuerat, ad Teutones transtulit, sub quibus varia fortuna diu fuit. Nimium vehemens in Scotos nostros est Joannes Trithemius abbas, eo Spanheymo translatus, sed excusat Joannes Busaeus, doctissimus Jesuiticae societatis pater. Scripsit Philippus

De miserabili Monasterii Desolatione lib. I.

Sedit anno I. obiit an. MCCCXVII. Primus abbas Germanus qui Scotis eo in monasterio regendo successit, fuit Kilianus Crippus. Vide Chronicon Trithemii.

## S. PASCHASIUS. 1016.

S. PASCHASIUS, princeps legationis Romanae, cum a sanctissimo Victore pontifice Donaldus Scotiae rex doctores obnixè petiit, quorum opera pia Scoti Christiani fierent. Paulus Jovius in Descriptione Scotiae. Quinam hi doctores primi et apostoli Scotiae fuerint, a nostrarum rerum scriptoribus proditum non erat, nisi Lismorensis monachus anonymus id nos docuisset. Scripsit

Contra Ritus Paganos lib. I.

Institutionem ad Neophytos Scotos lib. I. Anonymo

Lismorensi [auctore].

Vivebat anno CCIII. eo enim anno Scotia ad fidem conversa, dixi in apparatu. Colitur Dornae in Sutherlandia XII. Decemb. Breviaria Scotica.

## S. PRISCUS. 1017.

S. PRISCUS hic alium praecessit multis annis, ex eorum numero qui Culdei, seu Dei Cultores, a nostratibus appellati, populi Christiani doctores habebantur; quo seculo claritudinem etiam sunt consecuti Amphibalus, Modocus, Calanus, Ferranus, Ambianus, Carnocus, et plerique alii viri doctrina et religione insignes, ait Joannes Leslaeus lib. III. pag. CXXII. et Hect. Boeth. lib. VI. Histor. Scot. ut saepe hoc opere indicatum. Scripsit

Contra Ethnicorum Superstitiones lib. I. qui ea tempestate penitus Scotia eliminati Culdeorum opera.

Florebat anno CCXC. vel serius, ut aliis visum; sed parum interest.

## S. PIRMINIUS. 1018.

S. PIRMINIUS Scotus, apostolus Boiorum; nam primum quidem Meldensium episcopus, ut Baronio videtur, aut Argentinensis, ut aliis placet, vel episcopus in Bavaria, ut sentit Cratepolius; deinde Augiam Divitem famosum coenobium fundavit, et quia in ea insula serpentium tanta copia erat, ut certam incolis perniciem afferrent, eos omnes serpentes uno crucis signo in perpetuum abegit; sed ab hac sede sua depulsus, in Alsatiam se contulit, alia monasteria conditurus. Contract. Chronico. Trithem. lib. IV. Vir. III. cap. CXCI. Vitam ejus literis mandarunt Henricus comes a Calune, abbas Augiensis, et Warmannus comes a Dilingen, episcopus Constantiensis. Hunc tantum virum non desunt qui Angliae donarint, in Scotiae praejudicium; sed exactis ipsis prudentius nostratibus eum adjudicavit Wolfgang. Lazius in Austria, et rursus in Migrat. Gent. lib. VII. pag. CCXXXI. Vide Raderum in Bavaria Sancta. Scripsit

Homilias varias lib. I.

Floruit anno DCCXXVII. Contract. ut jure Baronium reprehendat Uvion pag. CCCLX. Colitur die III. Novemb. Martyrolog. Rom.

## S. POTENTINUS. 1019.

S. POTENTINUS, abbas Scotus, ac discipulus S. Columbani Scoti

Bobiensis, cum eo Luxovium profectus, cum eo inde a Theodorico et Brunehilde expulsus, Franciam lustravit, donec Constantiam urbem in Armoricis appulisset; in cujus suburbano coetum monachorum collegit, quibus in summa regulæ observantia præfuit, magistro suo simillimus. Scotum autem esse liquet, nam nemini Luxovio exire cum sancto viro permissum, qui non ejusdem concivis et conterraneus, hoc est, Scotus. S. Jonas cap. XXIII. pag. CLIX. Scripsit

Ad Monachos collectos lib. I.

Epistolas ad Columbanum lib. I.

Floruit anno DCXXI. Dies cultus est incertus.

#### S. PROMPTIA. 1020.

S. PROMPTIA virgo, soror S. Gibriani Scoti, quæ cum eo septemque fratribus patria egressa, in Galliis regulariter vitam in timore Domini transegit, et in territorio Rhemensis archiepiscopatus sanctorum operum plena quiescit. Flodoardi Historia.

Deposita est anno DXIX. Jac. Cheyneus.

#### POSSENNIA. 1021.

S. POSSENNIA, soror itidem superioris, et virgo, eodem vitæ genere usa, eadem in provincia, jejuniis et orationibus dedita, vixit, et in eadem deposita, sanctorum itidem albo, saltem ab episcopo loci, inserta, colitur. Idem Flodoardus.

Annus idem cum sorore, dies vero incertus.

#### PATRICIUS. 1022.

PATRICIUS, SS. Trinitatis monachus, natus Dornæ in Sutherlandia, monasterii Aberdonensis superior, cum sectarii omnia temerarent, jamque ipsum coenobium, ferro flammaque saevituri, demoliri apparent, concionaturus obviam processit; sed illi qui Deum contempserant, ipsumque verum cultum aboleverant, nequaquam sacerdotibus parcere decreverant, verum eum scalis præcipitatum, eliso cerebro, interemerunt.

Necabatur anno MDLIX.

## PATRICIUS PANETARIUS. 1023.

PATRICIUS Panetarius, doctrinae laude et professione Parisiensi inclytus, sed multo magis prudentiae dotibus celebris; quo nomine in arcani concilii secretum admissus a Jacobo IV. rege, edidit ad eum

Politicæ Observationes. lib. I.

Claruit anno MDXX. Hectori Boethio aequalis.

## JOANNES PAPARO. 1024.

JOANNES Paparo, apostolicae sedis per Scotiam et Hiberniam legatus, et cardinalis, auctoritate Eugenii III. Hiberniae archiepiscopatus quatuor instituit, Armachanum, Dublinensem, Cassiliensem, Tuamensem, ut ex Baronio colligit in Geographia Ecclesiastica Aubertus Miraeus. Hunc sane Onuphrius Romanum facit, forte quia Romae natum ex Paparone illo equite qui clarissimam eam familiam Romae fundavit, ut supra hoc tractatu dictum cap. XVIII. Scripsit

Ad Ecclesias Scoticas lib. I.

Hibernis archiepiscopatus instituebat anno MCLI. nec plura reperi. Corrupte Joannem Papirum vocat Rogerus de Hoveden pag. CCLXXXI.

## JO. PATRICIUS. 1025.

JO. PATRICIUS Banſensis Seraphico ordini se totum mancipavit Aberdoniae, post legitimos in bonis artibus titulos, maximamque nominis existimationem, pietatis praeconia certissima habiturus. "Optime de Francisc. relig. meritus," ait Franc. Gonzaga part. III. de Orig. Seraph. Relig. pag. DCCCXLVIII. cum LXXX. fratribus sacerdotibus ex Scôtia in Belgium trajecit, et pro constante fidei confessione spontaneum exilium passus," violatae majorum pietati eximium testimonium perhibuit. Scripsit

Sermones ad Fratres de Patientia Evangelica lib. I. MS. ut audio,

**Audomari et Tornaci.**

**Summarium Legis divinae** lib. 1.

**Contra Haereses nascentes** lib. 1.

**Acta Disputationis suae** lib. 1.

**De Missae Sacrificio** lib. 1.

**Exulavit anno MDLIX. cum primum in ecclesias furens haeresis involavit; ubi obierit, non deprehendi.**

### **PECTELINUS. 1026.**

**PECTELINUS, Candidae Casae in Scotia antistes, eodem tempore sedebat quo Hagustaldensem ecclesiam Accas administrabat; nec plura de eo comperi. Scripsit**

**Epistolas ad Accam Coepiscopum** lib. 1.

Florebat anno DCCXXXI. quem annum mors ipsius insecuta est; cui Frithwaldus successit, eodem Wigorniensi auctore; sed cum duo priores Scoti fuerint, hunc Anglum esse volunt, sed ego nullo probato scriptore id affirmari video. Hoc sane certo liquet, Candidae Casae episcopatum semper ditionis fuisse Scoticae, nec unquam Anglico juri subjectum, atque etiamnum hodie Galdiae seu Gallovidiae episcopatus audit.

### **ROBERTUS PHILIPPUS. 1027.**

**ROBERTUS Philippus Sanchrensis, nobile literarum tirocinium in Scotia egit, auxit Lovanii, absolvit Romae, Parisiis ita sacrae theologiae arcana imbibat, ut cum in Scotia esset, novatores congressum timentes, carceri eum publico a patre haeretico proditum manciparent, ubi constantia insuperabili minas eorum qui torquebant, ac cruciatus sprexit; Lutetiam redux, philosophiam publice in Becodiano est professus. Scripsit:**

**In omnia Aristotelis Opera** lib. 1.

**Fidei Controversias** lib. 1.

**Vivit adhuc Tolosae in sancto Presbyterorum Oratorio, cui se ad-dixit, consortio; homo sine ambitione, eruditus, ac suavissima morum comitate.**

## JOANNES PETREUS. 1028.

JOANNES Petrens, sive Petrie, bonas artes in Galliis multos jam annos docet summo ingenii vivacissimi fructu. Scripsit

In omnia Aristotelis Philosophica Opera lib. I.

Tractatus Politicos lib. I.

Vivit adhuc Beriaraci in Aquitania, et utramque linguam severioremque gnaviter colit.

## DAVID PERSONUS. 1029.

DAVID Personus Abirbrothensis, cui vico et monasterio nobili nomen a fluviolo alluente, Neracensis in Gallia Collegii moderator, Baronis Rossensis Scoti nuper in Italia comes, multarum linguarum gnarus, varia opera habet emittenda, sed vernaculo sermone : in his sunt,

Varietas Rerum lib. I. opus ingens, et multis annis elaboratum.

Cantiones Scoticae Amatoriae lib. I.

Apologia pro Patria lib. I. Neapoli nuper

conscripta dum quidam apud proregem de ea non pro dignitate loqueretur : versus sane sunt boni.

Vivit adhuc in Scotia, finitis peregrinatione Scotica et Italica.

## HENRICUS PHILIPPUS. 1030.

## ALEXANDER PEIRSONUS. 1081.

## DAVID PRIMROSIUS. 1032.

NIHIL quod ego viderim emiserunt nisi, rege Scotiam repetente, epigrammata quaedam et poemata, quae simul cum aliis prodierunt Edimburgi.

## APPENDIX AD LIBRUM XV.

## S. QUERANUS. 1033.

S. QUERANUS in Scotia abbas, ait Martyrologium Romanum die IX. Septembris, repetuntque Usuardus, Petrus Galesinius, et alii. Scripta omnia injuria temporis interierunt. Quo tempore vir

sanctus floruerit, non potui deprehendere. Existimo tamen esse qui Ceranus dicatur ab Adamanno Scoto in Vita S. Columbae lib. I. cap. III. et sic facile erit aetatem ipsius deprehendere; nam qui ante Columbam vixit referetur jure in annum DC. Meminit Arnoldus Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. CCXCVIII. nec quicquam tamen de actis ejus aut tempore: ex Breviario tamen Scotico, excerpte v. CL. Jac. Cheynaeo, J. C. ac theologo, deprehendi floruisse anno DCCCLXXVI.

#### S. QUINTIGERNA. 1084.

S. QUINTIGERNA, vidua moribus sanctissimis, matrona eo seculo in Scotia vixit, quo aurea pietas passim obambulabat, eratque unica sanctitatis cura.

Claruit anno DLX. Colitur die VII. Januarii. Breviar. Scot.

#### S. QUADANOCUS. 1035.

S. QUADANOCUS memoratur ab anonymo scriptore in vita S. Winoci apud Surium tom. VI. die v. Novembris; fuit enim hic S. Winoci civis et discipulus, et peregrinationis socius. Scotum autem fuisse S. Winocum docet Theodoricus abbas monasterii S. Trudonis in Vita S. Rumoldi, infra lib. XVI. sic ergo anonymus ille: "Habuit proinde in consortium suscipiendae peregrinationis conjuratos in Christi sacramenta tirones; Quadanocum videlicet, Ingenocum, atque Madocum, genere quidem spectabiles, et vita probabiles. Hi una cum Beato Winoco, rerum suarum onere expediti, patrio solo parentumque opibus exuti, ad currendam viam mandatorum Dei passibus fidei ducebantur." An una cum Winoco monasticum habitum induerit in monasterio Sithin sub regula S. Bertini Scoti, affirmare non audeo. Est tamen probabile, illum qui parentes opesque caducas spe gloriae aeternae reliquisset, in tam sancto proposito deserere magistrum noluisse; et dicunt ejus rei memoriam Audomaropoli hodie asservari. Scripsit

Vitam Winoci magistri lib. I. aliam ab ea quam Surius recitavit loco laudato, quae MS. Bononiae in Morinis extat. Floruit anno DCXCVIII. ut ex actis SS. Winoci et Bertini colligi-

tur; eo enim anno posterior hic obiit. Beatum recolit Henricus Cesterius in Arbore Bertiniana, et Locrius pag. LXXX. Chronici Belgici.

S. QUHISLANUS. 1086.

S. QUHISLANUS Scotus eremita in provincia Kyntyre sancte vixit, et eodem in loco depositus: incoluit autem lacum, quem prius a viro sanctissimo *Kilkeran* dicunt; ipse autem habuit cellam in mediterraneo ejusdem lacus, insula modica, quae hodie parochialis est ecclesia, vulgo *Kilquhislan*, id est, cella Quhislani.

Clarebat anno MXXII. Colitur die ultimo Octobr. Nundinae loci. Brunus pag. XXCIX.

QUINTINUS. 1037.

QUINTINUS unus ex iis qui fatali Scotorum calamitati cessit, Eduardo Angliae rege tyrannice Scotiam, regum suorum pueritia et dissidio expositam, opprimente; tunc enim, cum publica monumenta longa parentum cura coacervata et erudito studio collecta, e bibliothecis rapta, igne consumerentur, et literati quique in Angliam relegarentur, hic spontaneum sibi exilium indixit, et Parisios se contulit, ubi egregium a liberalibus studiis nomen patriae sibi que peperit. Scripsit

Querelam de Patriae Miseria lib. I. versu eleganti. Prodiit Lutetiae typis Stephani Balland anno MDXI.

Florebat anno MCCCXX. aut praeter propter.

FINIS LIBRI DECIMI QUINTI.



# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER XVI.

S. RADULPHUS. 1035.

S. RADULPHUS, aut Radulfus, D. Bernardi amicitia clarus, conventum monachorum ex patria deduxit in locum qui *Walesle* dicitur, ait Anselmus Gemblacensis in Auctario, quanquam illum Anglia oriundum faciat more illius seculi quo Scotos per Angliam peregrinationes suas incipientes, Scotorum oblitterata appellatione, Anglos vocabant. Cognomentum ei a S. Columba, puto quia in insula S. Columbae in aestuario Forthae monachum induerat. Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum, qui eum abbatem S. Ebrulphi creatum prodit. Scripta omnia interierunt praeter

Expositionem in Regulam lib. 1.

Claruit anno MCL. venit in Burgundiam anno MCXXXII. abbas S. Ebrulphi renunciatus anno MCLXXVII. ut ex auctoribus laudatis est palam.

S. RUTHIUS. 1036.

“ S. RUTHIUS discipulus S. Columbae, haud parum natalium amplitudine, sed magis longe religione honestatus,” ait H. Boethius lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXVII. Sancto illo patre in Hiberniam contentente, ecclesiae Scoticae regimen suscepit, fuitque alicubi episcopus, ut Fordunus prodit, sed sedem non expressit. Scripsit

Sermones de Sanctis lib. 1.

De Vita Monastica lib. 1.

Claruit anno DCVI. Jo. Leslaeus lib. IV. pag. CLII. Colitur die XXVII. Decembris. Scotichronicon.

## S. H. RABANUS MAURUS. 1037.

S. H. RABANUS, seu Rabamus, ab habitu corporis Maurus, et cognomento Gallico Magnentius vocatus, Academiae Parisiensis sub Carolo Magno fundator. Vide supra hoc opere lib. I. in *Alcuino*, et lib. III. in *Clemente*, et lib. XII. in *Mailrosio*: adde Paulum Morigiam Jesuitam lib. II. Viror. illust. cap. VI. “ Monachi fuerunt Claudius, Rabanus, et Joannes, cum Alcuino, qui fundarunt Academiam Parisiensem, et originem Ticinensi dederunt.” Hos enim tres ille comites ex Scotia in Gallias habuit, ubi nobilissimum literarum emporium Lutetiae erexit. Praeter eos quos antea laudavi, ipse Balaeus, et Dei veritatis et Scotorum hostis, illiteratissimus descriptor, Britannic. centur. II. cap. XVII. “ Ex praedictis constat Anglos et Scotos Lutetiae bonas artes primum publicasse.” Ridiculum sane testimonium, nam omnes illos doctores magno conatu Anglos fecerat, tum sui oblitus, Scotos etiam in partem gloriae vocat; et ineptit insanum Polydorus Virgilius lib. v. Histor. Anglic. pag. CVI. eadem levitate fidem fallens. Religiosius Itali, Gallique ac Germani, Ricobaldus Ferrariensis, Ptolemaeus Lucensis, Robertus Gaguinus in Carolo Magno, Robertus Gonletus in Compendio Fundationis Universitatis Parisiensis, aiunt unanimi consensu, “ primam theologiae sedem in Academia Parisiensi posuisse Alcuinum, Joannem, Rabanum, et Claudium, Scotos;” quod Gilbertus Genebrardus inseruit suae Chronologiae pag. DXIX. Lilius Gyraldus Ferrariensis delatos ait “ in Galliam ex Scotia ad institutionem Parisiensis scholae, tempore Caroli Magni, Claudium, Dementem, Rabanum, et Alcuinum;” sed corruptum nomen, legendumque *Clementem*. Raphael Maphaeus Volaterranus Commentar. Urban. “ Scholam Parisiensem, tunc primum inchoatam, sua doctrina celebriorem reddidit.” Hunc vero Academiae Parisiensis fundatorem eundem esse cum praesule Moguntino putat in Bibliotheca Conradus Gesnerus, et cum eo Josias Simlerus. Vera sane opinio est, illum Alcuino multo fuisse juniorem, nam ejus discipulum vocat Flodoardus lib. III. Hist. Rhemen. cap. XXI.

Hic a Carolo Magno Meldensi episcopatu donatus, maluit religiosam

vitam sub regula D. Benedicti, quam in Mailrosensi in Scotia monasterio amplexus erat, seque adoptari voluit inter monachos Fuldenses, quorum deinceps abbas fuit. Ermenoldus Diaconus in Vita S. Solae: "Sanctissimus, ac in omni parte peritissimus dominus, Abbas Rabanus perspicabiliter fulget." Id sub Carolo Magno ei commissum coenobium, idem auctor testis, qui illo ipso aevo scribebat; sed criminantibus fratribus, studiis theologicis impensius quam par erat addictum, seculariaque coenobii negotia ab eo nimium seposita, offensus secessit, nec prius rediit, etsi ardentissimis omnium votis et precibus revocatus, nisi inauguratus Moguntiae archiepiscopus, ut volunt, a S. Bonifacio. Hunc Sixtus Senensis lib. iv. Biblioth. Sanc. Robertus Bellarminus lib. de Scriptor. Ecclesiast. Joan. Trithemius Catalogo illustrium Viror. pag. cxxv. et libr. de Scriptor. Ecclesiast. pag. ccli. volunt natione fuisse Germanum, Genebrardus pag. xxxi. Gallum, Balaeus et alii Anglum; sed Scotiae eum civem suum donant, praeter rerum nostratum auctores, qui supra a me sunt laudati.

Nec minores super re ipsa et fundatione academiae, quam gente ipsius, dissensiones, siquidem sunt qui eum non collegam Alcuini, Joannis, et Clementis, volunt fuisse, sed discipulum, et nec Fuldae monachum, sed Turonibus vixisse; quinimo non defuit Christophorus Browerus, qui assereret, eum Parisiis vixisse, nedum doctoris ibi partibus functum, a nullo veterum probari, nisi ab auctore anonymo Abbatum Fuldensium.

Imo nec de successione archiepiscopatus omnino certum. Lambert. Schafnaburg. Chronic. ad annum dcccxlvi. "Oggarius Moguntiae archiepiscopus obiit, cui Abbas Rabanus Fuldensis successit, abbatiam Waldo suscepit." Dissensit Marianus Scotus in tempore et decessore ipso, nam lib. iii. aetate vi. anno dcccxxii. ait, "Egil Fuldensis abbas obiit, Rabanus ei successit." Cui fides adhibenda? Ille certe Fuldensis monachus nescire ista non debuit. Hic adstipulatores habet non vulgares. Florent. Wigornien. ad annum dcccxlvi. "Otgarius archiepiscopus Moguntinus obiit, Abbas Rabanus Fuldensis successit. Hatto successit abbas ad Fuldam." In tempore etiam Sigebertus discors, qui anno dcccxlvi. "Rabbanus abbas Fuldensis, ordinatus Moguntiae archiepiscopus, celebra-

ta synodo Moguntiae jussu Ludovici regis, multa ecclesiae utilia decrevit." Error etiam hic in nomine, nam *Rabanus*, non *Rabbanus*, dicitur ab illustriss. Baronio: "fulgentissimum ecclesiae sidus," referente Antonio Possevino Apparatu Sacr. pag. CXI. Minor anni numerus, nam synodum hanc coactam volunt anno DCCCXVI. et ipsi gravissime lapsi: conciliat discordias, et rem totam perspicuam facit Nicolaus Serarius lib. I. Moguntiacorum, et Antiquitates Fuldenses.

Verba sunt Trithemii loco ultimum laudato: "Omne studium ad scientiam convertit Scripturarum; in omni eruditione tam secularium quam divinarum scripturarum longe doctissimus evasit; philosophus clarus, poeta insignis, rhetor facundus, astronomus, et computista celeberrimus, Graece, Latine, et Hebraice peritus, cui similem suo tempore non habuit ecclesia: deinde succrescentibus meritis, anno aetatis suae quinto et trigesimo omnium fratrum suffragio" (haec falsa esse oportet, et a monachis Germanis conficta) "illius coenobii abbas electus est; et praesidens regimini annis quatuor et viginti, multa et pene infinita opera conscripsit et volumina. Demum post mortem Otgarii Moguntinensis archiepiscopi, ejusdem ecclesiae pontifex consecratus est, et annis novem in praesulatu sedens multa bona fecit ecclesiae." Eadem loco laudato repetit, subjungitque: "In monasterio Fuldensi adhuc juvenis monachum induit," in gloriam gentis suae haec finxit Trithemius, "et tam moribus quam scientia mirabiliter profecit; unde et quartus ejusdem coenobii abbas consecratus, ovibus sibi commissis verbo et exemplo XXIV. annis praefuit, et pene infinita opuscula scripturarum composuit. Tandem offensus improbitate monachorum suorum, qui eum dicebant nimium scripturis intentum temporalia negligere, agente id in eis Diabolo, displicentiam contra eum acceperunt, scandalizati in eo quo maxime debuerant aedificari. Dans igitur locum irae, nec cum ingratis ovibus diutius manere consentiens, monasterium et habitatores ejus deseruit, et ad Ludovicum imperatorem filium Caroli transmigravit, cum quo et multis diebus permansit. Monachi autem poenitentia ducti, legationem ad eum mittentes rogabant ut rediret ad monasterium, sed non impetrarunt. Mansit ergo cum imperatore usque ad mortem Otgarii Moguntinensis archiepiscopi, in cujus locum successit."

Scriptis autem

Martyrologium lib. I. editum nuper a doctissimo Canisio tom. VI. Antiquarum Lectionum.

In sacram Scripturam lib. CLXXII. rogatu Freculphi Lexoviensis episcopi, cum quo ei magna ingenii exercitatio. Sixtus Senensis Bibliotheca Sancta lib. IV.

Orationem in solennitatem omnium SS. lib. I. institutam a Gregorio IV. volunt. Fascicul. Temporum pag. XLVI. Platina in Gregorio IV. "Scribunt, rogatu Ludovici sanctorum omnium celebritatem kalendis Novembris Gregorium instituisse, eamque a Rabano monacho, theologo insigni, carminibus et prosa laudatam fuisse. In his enim duobus dicendi generibus vir doctus, ut illa maxime tempestate satis valebat."

Commentarios in libros Paralipomenon lib. I. Platina ibidem.

In libros Machabaeorum lib. I. qui, licet incerto sint auctore, tamen inter canonicos recensentur. D. Hieronymus prologo ad lib. II. "In eos Bellator presbyter, et Rabanus, praeter glossarios," ait Genebrardus Chronolog. pag. CXCIX. commentarios ediderunt. Platina loco laudato. Gesnerus.

Sermones elegantes ad Populum lib. I. Platina.

Etymologias lib. I. quas scio non extare, licet eas in bibliothecam Cassinensem intulerit Theobaldus abbas, ut narrat Leo Marsicanus cardinalis lib. II. Histor. Cassinen. cap. LVII.

Versus ad diversos, et Poemata varia, lib. I. nuper edita a Christophoro Browero, et notis illustrata eruditissimis, quae consuli possunt; stylo sane duro egregiam antiquitatem legentibus ostentant.

Tractatum in librum Sapientiae, et in Ecclesiasticum, lib. I. ad Otgarium archiepiscopum, decessorem suum. Sigebert. Chron. ad annum DCCCXXVII. lib. X.

In Genesim lib. IV. ad Freculphum Lexoviensem.

De Institutione Clericorum lib. III. Editi Coloniae anno MDLXVIII.

In Exodum	lib. IV.
In Numeros	lib. IV.
In Deuteronomium	lib. IV.
In Threnos	lib. III. qui falso hactenus a typographis Divo Hieronymo sunt attributi. Sixtus Se- nensis et Bellarminus.
De Laudibus S. Crucis	lib. I. oratione soluta, opus pium.
De eadem	lib. I. ingeniosissimum carmen, et raro artificio elaboratum, continens XXVII. schemata, seu figuras, quibus omnibus iniunctis literis certa proportione concurrentibus Crux efficitur. Opus hoc dedicaverat Gregorio IV. D. Pe- tro offerendum, sed eo defuncto ad Sergium II. misit. Edidit nuper hoc rarum monumentum Jacobus Wimphe- lingius. Exemplar, puto, habuit a Porphyrio exule, cujus similia extant poemata.
In Leviticum	lib. IV.
In Josue	lib. II.
In [librum] Judicum	lib. II.
In librum Ruth	lib. I.
In libros Regum	lib. IV. quos Hilduino in- scripsit.
In Esdras	lib. III.
In Judith	lib. VII.
In Hester	lib. I.
In Job	lib. I.
In Proverbia Salomonis	lib. I.
In Tobiam	lib. I.
In Psalmos	lib. I.
In Esaiam Prophetam	lib. VIII.
In Hieremiam	lib. XX.
In Ezechielem	lib. XX.
In Danielelem	lib. III.
In Evangelium Matthaei	lib. VIII.
In Evangelium Lucae	lib. III.
In Evangelium Marci	lib. IV.
In Evangelium Joannis	lib. I.

In Prophetas minores	lib. XII.	
In omnes Epistolas Pauli	lib. XXIII.	
In Epistolas Canonicas	lib. VII.	
In Acta Apostolorum	lib. I.	
In Apocalypsin Joannis	lib. I.	
De Universo, ad Haymonem Episcopum,	lib. XXII.	Putant
etymologias esse.		
De universali Natura	lib. I.	
De Officiis divinis	lib. I.	
De Computo Dialogum	lib. I.	
De Quaestionibus Canonum	lib. I.	
De Benedictionibus Patriarcharum	lib. I.	
Epistolas ad Ludovicum Regem	lib. I.	
Ad Reginaldum Episcopum	lib. I.	
Epistolas ad diversos	lib. I.	

Hunc tantum et tam pium scriptorem, quem **non sine sanctitatis** opinione obiisse probissimi auctores testantur, cujus **eruditionem bibli-**othecae omnes commendent, ut loquitur Gaspar **Bruschius**, mirum quam male feriati traduxerint et laceraverint, et **inter alios Thomas Waldensis** Epistola ad Martinum V. inter haereticos **ponit**, quod non bene de Eucharistia senserit; sed falso Waldensis **ille praecipuum** ecclesiae vindicem infamat; neque quisquam ea **tempestate** de re ecclesiastica melius meritus.

Obitus incidit in regnum Donaldi V. apud Scotos, et imperium Lotharii anno DCCCLVI. ut concordēs sunt Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, compilatio chronologica, Sigebertus et alii; nec dissentit ullus.

Epicedium sibi scripsit vivus, ut in Moguntiācis Nicolaus Serrarius censuit, et jam diu antea publici juris fecerat Melchior Hittorpius in Commentario de divinis Ecclesiae Catholicae Officiis, et praefixum extat libris de Institutione Clericorum, cum hac inscriptione, Epicedium Rabani Mauri in Vitam suam. Suae etiam editioni Poematum Rabani inseruit Browerus pag. xc. Inde tu repete, si tanti putabis; ego certe ineptum titulum censeo quidem illud esse, "Epicedium in vitam suam." Aut ubi in antiquitate exempla? Versus deinde ipsi neque seculum illud nec stylum omnino Rabani sa-

plunt, sed ab aliquo nostri seculi editi videntur, ut de patria Rabani certo constaret, eaque gloria Scotis, Anglis, et Gallis praescriberetur, ut omnium frivolum esse credere nulli terrarum hoc epicedium Rabani Mauri nisi in Germania extitisse. Nec videtur tam alienus ab ambitione, gloriam apud posteros scripto carmine voluisse aucupari. Habeat ergo alumnos suos erudita Germania, Scotos non detrahat nobis, sed potius gratias agat pro tot viris sanctis, tot doctis, quibus, Scotia oriundis, et fidem acceptam refert, et auctam, et conservatam.

Sancti eum titulo quidam honorarunt, sed privati illi tantum, neque publica id auctoritate sanctum. Cineres tamen ejus, et S. Maximi, in Saxoniam tulit Albertus cardinalis, et condidit in Hallensi S. Mauricii basilica, anno salutis MDXV. ut notavit Trithemius; sed nec Fulda nec martyrologia loquuntur, Uvion tamen lib. III. Lig. Vitae pag. DCCXXXV. sancti eum honore indigitat. Colitur die IV. Februarii. Uvion idem in Adjunct.

## S. REGULUS. 1037.

S. REGULUS, cognomento Albatrus, gente Graecus, Achaia oriundus, a Constantio Augusto civitate patris S. Andreae apostoli reliquias asservare jussus, dum ad sacrum excubaret scrinium divina visione admonitus, eas in Albionem detulit, et in Otholiniam, Pictorum eaestate regionem, nunc Fifam Scotis subjectam, appulit, ubi ipso petente Heirgustus Pictorum rex oppidum erexit, quod *Kibewil* vocatum, quasi Reguli templum dicas, postea S. Andreae Fani appellationem accepit, regni totius primas, ut in Apparatu Historico a me abunde dictum. Scripsit hic multa, ut annales nostri referunt; sed extat tantum

Epistola ad Patrenses lib. I. sive, ut Joannes Campusbellus vult,

Monita divina de transferendis S. Andreae Reliquiis in Albionem lib. I.

Appulit in Albionem anno CCCLXIX. Fuse H. Boethius lib. VI. Hist. Scot. pag. CV. Joannes Leslaeus lib. III. pag. CXXVI. Hist. Scot. Matthaeus Westmonasteriensis ad annum CCCL. "Ossa Sancti Andreae



apostoli et Lucae evangelistae Constantinopolim delata, ibidem honorifice deponuntur." Eadem illo anno Florent. Vigornien. "Ossa S. Andreae apostoli et Lucae evangelistae Constantinopoli miro favore suscipiuntur." Aliter annales nostrates. Colitur die XVII. Octobris.

#### S. RONNANUS. 1038.

S. RONNANUS, episcopus in Scotia, alius a Ronanno seu Romano monacho, qui in Angliam ad Nortumbros convertendos missus erat: hic dignitate illo, ut apparet, nonnihil antiquior, ac vitae genere sublimior, episcopali dignitate ecclesias nostrates administravit. Scripsit

De Tonsura Clericali lib. I.

Vixit anno DCIII. et colitur die XVII. Feb. Breviarium Scoticum.

#### S. RUDBERTUS. 1039.

S. RUDBERTUS, aut Rupertus, aut Rudpertus, Boiariorum et Noricorum apostolus, "ex regali prosapia regum Francorum ducumque Scotiae originem traxit." Ex historia antiqua anonymus auctor in vita ejus cap. I. quem publicavit Henricus Canisius tom. VI. Antiquar. Lectionum. Hic, peregrinatione instituta, profectus Romam, per Germaniam rediens, Vangionibus evangelium annuncians ab iis est episcopus creatus, VIII. numero, sed postea in Boarios conversus immensos labores ad eam gentem Christo conciliandam impendit; Junaniam urbem vetustate collapsam restauravit, et ecclesiam magnificam erigi curavit, primusque antistitis officium ibi ab apostolica auctoritate et suscepit sancte, et ad successores transmisit; diciturque Saltzburgensis archiepiscopatus et principatus, quod hi versus in certo auctore significant:

Urbs Junanensis fuit olim splendida muris,  
 Aggeribus magnis, munitaque turribus altis.  
 Sedes hic regum fuerant, ac templa deorum  
 Gente sub antiqua fulgenti marmore structa;  
 Sed, veluti legimus, multis inculta diebus,  
 Culmine de summo cecidit prolapsa Junana,

Ac tegitur silvis, tegitur lustrisque ferinis,  
 Urbeque detenta, remanent vix ultima signa.  
 Haec loca Rudbertus sibi delegit, pater almus,  
 Primus et hic sedem construxit pontificalem,  
 Ac sedis primas regimen susceperat ipse,  
 Conducens late populos ad pascua vitae.  
 Nos meritis ejus clementer ducat ad aethra  
 Sanctus sanctorum, noceant ne crimina tetra.

Res ejus gloriosas scriptis extulerunt, praeter anonymum jam laudatum, plerique alii, et plures meminerunt. Viguleius Hundius in Metropoli Salisburgensi in principio et alibi Nunbergensis monasterii conditorem facit, ut et alii monasteriorum SS. Petri et Maximiliani auctorem referunt. Caesar Baronius tom. VII. Annal. Ecclesiast. ad finem, et Not. ad Martyrologium die XXVII. Martii; Joann. Aventin. lib. III. Histor. Boiar. pag. CCLXIII. et pag. CCLXVI. Petrus Catalogo lib. XII. cap. V. Joan. Trithem. lib. III. de Vir. illust. Ordin. S. Benedicti cap. CCVI. Marcus Velserus Rerum Boicarum lib. IV. pag. CCXVII. Gaspar Bruschius Monasteriis Germanicis pag. LXXVII. Chronica MSS. Salisburgensia ad D. Petri ibidem asservata; Anton. Demochar. tom. II. de Sacrific. Missae pag. XXXV. LXV. et cap. XL. pag. LXXIX. Petrus Cratepolius in Episcop. German. et martyrologiorum compilatores ad diem XXVII. Martii; Joann. Molanus ad Usuardum, Petrus Galesinius, Felicianus, Arnoldus Uvion par. II. et alii. Vitam plene reperies apud Laurentium Surium tom. II. Illud de eo magnificum et valde gloriosum praedicatur, quod Theodonem regem, Christianis infensissimum, sanctis operibus ad fidem converterat, non tantum populum. Scripsit

Ad Theodonem et Theodobertum Reges pro Monachis lib. I.

Piam et paternam Exhortationem ad Fratres lib. I. et alia.

Theodonem regem convertit ad fidem anno DLXXX. Fugatus a tyranno Vuormacia sedit Saltzburgi, seu Junanae, annis XLIV.

Obiit anno DCXXIII. Auctores supra nominati. Concilium Saltzburgense eum patronum vocat, cujus meminit Gherard. Althensis, et Henr. Stero, anno MCCXXCI.

## S. RAPERTUS M. 1040.

S. RAPERTUS, sive Ratpertus, monachus S. Galli, et scholae diu moderator, etsi in Indiculo Scotorum Scriptorum incerti auctoris Scotus dicitur, tamen haud certo affirmarim, praecipue cum Jodocus Metzlerus, canonum sacrorum doctor, et ejusdem familiae professor, de gente nihil dicat: conjectura tamen est non levis, quod fundatores monasteriorum Scotos monachi Scoti plerumque secuti, et praecipue in Germaniam, cujus regionis mores, virtus, atque aura ipsa non esset nostratibus insuavis. Ejus sunt:

Litaniae lib. 1. versu quas Nicolaus III. canonizavit.

Versus ad Processiones lib. 1. MSS. in monasterio S. Galli.

Epigrammata, et Poemata varia, lib. 1. edita a Canisio tom. v. Antiquarum Lectionum.

Hymni de S. Gallo lib. 1.

Hymni de S. Othmaro lib. 1.

Chronicon Monasterii lib. 1.

Vita S. Galli Rhythmis Germanis lib. 1. quam Eckerardus junior Latinam reddidit, in iambos redegit Jodocus Metzlerus nuper.

Obiit inter quadraginta discipulos, quibus animam suam commendavit, anno DCCCLXXXIII. et censetur sanctis annumerandus, licet martyrologia omnia sileant. Jodocus Metzlerus.

## S. RICHARDUS M. 1041.

S. RICHARDUS, cognomento Sacrista, in Dandranensi sanctissimo monasterio Cisterciensem Benedictinorum habitum induit, et cum magnos pietatis progressus fecisset, essetque et haberetur vir vitae integritate et singulari doctrina clarus, patria egressus, S. Bonifacii Scoti locum passionis et reliquias visitaturus, indeque Romam et Hierosolymam perrecturus, peregrinationem instituit; sed cum in Frisiam pervenisset, in monasterio prope Gronyngam, quod D. Bernardi dicitur, sacristae officium sancte pieque gessit,

et obiit, ut ex Chronicis Gronyngensibus constat. Scripsit

Ad Fergusium Fundatorem lib. I. Fuit hic abnepos  
Fergusii illius qui Dundranense coenobium fundarat; unde error  
Scoticorum chronicorum colligitur, qui fundatum  
volunt a S. Davide.

De Harmonia lib. I.

Meditationes lib. I.

Floruit anno MCCLXXXVII. Augustinus Argeus Friso medicus,  
lib. de Viris claris Patriae suae, illum vel Scotum vel Anglum facit.

S. RICHARDA R. F. U. IMP. 1042.

S. RICHARDA, Scotorum regis Gregorii LXXIII. filia, et Caroli Crassi imperatoris uxor, accusata fuit adulterii cum Luithuardo episcopo Vercellensi, Paul. Morigia lib. IV. Hist. Monast. cap. III. post multos sancte cum marito actus; sed non bene aulicorum artes processere; nam "sanctissima femina vomeris igniti probationi se submitit," Rhegino abbas Prumiensis Chronic. ad annum DCCCLXXXVII. atque ita absoluta suspicionis. Joan. Cuspinian. in Caesaribus. Post quam accusationem, Andelahae, seu Andelow, ad Montana Vosagi in pago Helisatia, nobilissimum canonissarum coenobium erexit, et insigniter dotavit; ibique per voluntarium a Caesare divortium separata, gloriosae ibidem loci vitae exitum est sortita; et cubat honorifico tumulo post summam arcum in sublime elevato. Aubert. Miraeus lib. de Collegiis Canonic. cap. XXXIX. In sanctos relata, colitur XVIII. die Septemb. Arnold. Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. CCCXIII. Herman. Contract. Fragment. Chronici praefixum Alberto Argentinensi, Franc. Irenic. Exeges. German. lib. XI. Caroli Sigon. Reg. Ital. lib. V. in fine. Scotam vero facit, praeter ceteros, Petrus Cratepol. de Sanctis Germ. pag. XCVII. "Sancta Richarda imperatrix, filia Scotorum regis, Caroli Crassi Romanorum imperatoris conjux." Divortii causa peracta anno DCCCLXXXVII. ut admonebam, paucos exinde vixisse annos censetur. Trithem. lib. III. de Vir. illust. Ord. S. Bened. cap. CCCXIV. Uvion lib. IV. cap. III.

## S. RORTILA. 1043.

S. RORTILA, Verdensis episcopus VI. successor eorum "Scotorum quos ob fidem egregiam, praeclaraque in se merita, Carolus Magnus dicitur ad praecipuos Saxoniae debellatae honores evexisse." Philipp. Belforest. lib. I. Histor. Carolor. Suam hic ecclesiam prudenter et moderate administravit. Scripsit

Statuta Ecclesiae Verdensis lib. I.

Floret anno DCCCXXIX. Albert. Crantzius lib. II. Metropol. cap. XXX. Suffrid. Petr. lib. I. Orig. Saxon. cap. XV. In sanctorum relatus numerum. Arnold. Uvion lib. II. Lign. Vitae cap. LV. qui eum Saxonum feritate martyrium passum ex Alberto Crantzio eodem lib. I. cap. XXIX. Metropol. docet; diem tamen quo coli debeat ab ecclesia non praescribit.

## S. RUMOLDUS. 1044.

S. RUMOLDUM natum ex Scotia ait Petr. Cratepol. pag. CXXVIII. Apostolum Machliniensem tota illa provincia colit ex decreto synodi I. Machlinien. Usuardus Martyrolog. die I. Julii: "Machliniae passio S. Rumoldi, martyris gloriosissimi atque pontificis, Scotorum regis filii, signis et doctrina mirabilis, qui regalis celsitudinis solium et pontificalis dignitatis respuens honorem, Machliniam petiit, sibi divinitus revelatam, quam VIII. kalendas Julii consecravit martyrio; sed quia eadem die sanctissimi Baptistae et praecursoris Domini celebratur nativitas, Romanus pontifex Alexander IV. passionem nostri martyris in nativitatis praedictae octavis instituit solennizari." Petrus Galesinius eodem die: "Machliniae S. Rumoldi, episcopi et martyris. Is regio natus, regis spreto opibus, religionis causa Romam peregrinatus; inde angeli admonitu Machliniam venit, quam ad fidei Christianae disciplinam instituit, et martyrio suo consecravit." Martyrolog. Roman. laudato die: "Machliniae passio S. Rumoldi martyris, Scotorum regis filii, et episcopi Dublinensis." Chronographus Cameracensis anonymus, qui ad Gerardum II. episcopum Cameracensem opus suum inscripsit, et floruit circa annum mil-

lesimum : “ Apud Machlinas est monasterium canonicorum, ubi quiescit pretiosus Dei martyr Rumoldus, genere Scotus, qui vitam eremiticam ducens inibi martyrizatus est. Hoc autem monasterium, ab antiquitate constructum, regalibus emolumentis maxime augmentatum.” Arnold. Mirman. *Theat. Convers. Gent.* “ Rumoldo auctore, Davidis Scotiae regis filio, Machlinienses inserti sunt Christo.” Non rex hic David, sed regis filius aut frater, ut alibi probatum. Jo. Gualter. v. CL. in *Chron. Chronic. tom. III. pag. MDIII.* “ S. Rumoldus archiepiscopus fuit ex Scotia.” Constant. Ghin. pag. XIII. “ Passio S. Rumoldi, Scotorum regis filii.” Haec probatorum auctorum sufficiunt testimonia, ut puto, ad probandam S. Rumoldi patriam non Hiberniam, sed Scotiam fuisse. Addo locum doctissimi Auberti Miraei in *Geogr. Eccl.* “ S. Rumoldus, Machliniensium in Belgio patronus, fuit Dumblandensis in Scotia episcopus, non Dublinensis in Hibernia. Argumenta sunt insignia regni Scotiae, quae suis gentilitiis in clypeis mixta, hodieque usurpant Machlinien. archiepiscopi.” Clare Molan. *Indiculo SS. Belgii LXII.* ex ea parte Scotiae quae hodie Hibernia dicitur. Vitam hujus obiter attingit Sigebert. *Gemblacensis lib. de Vir. Illustrib. cap. penult. et Teutonicus auctor anonymus, quem Latinitate donavit Joannes Dominis, pastor Waurianus, quod opus Bruxellis prodiit; et Theodoricus monachus, et abbas S. Trudonis, ut tom. VII. habet Surius. Epitome ejus apud Francisc. Haraeum, cujus haec sunt verba: “ Ab occasu alter pene orbis Britannia, cum adjacente Scotia, qui statim ut ab illius aeternitatis sole tacti sunt, illi sub umbra ejus quem desiderabant requiescere, isti ad ardorem usque martyrii festinaverunt incalescere, et stridentia anhelantiaque verba in dulce crucis melos didicerunt infringere. Unde autem hoc tam late diffusum germinarium, nisi quia in eorum cordibus coaluerunt Iesu Christi amor et desiderium? Assentit in hoc Herbipolis, gloriosa martyris Kiliani meritis et corpore, nec minus prona Scotorum talium et tantorum patrum gloriosa veneratione: Columbanus Italiam, Bertinus et Winocus illustrant occidentalem Galliam, et innumerabiles alii suis quique in locis, qui vitae sinceritate et fidei integritate multos ad justitiam erudiunt, et quasi stellae fulgent in aeternitate. Ex horum numero, ex hoc orbis terrae remotissimo angulo, Beatus Rumoldus emicuit.” Et paucis interjectis: “ Ex regali prosapia extitit oriundus il-*

lustris regis Scotiae satus, exiturus haeres ejusdem." Legendum est *satis*. Totum vitae ordinem deinde ac miracula prosequitur. Meminit Theobaldus ad Sigerum Lorensensem praepositum, in vita Sancti Gumhari apud Surium tom. v. die Octobr. XI. Is ergo cap. XIV. "Eodem tempore fuit Rumoldus, vir sanctus, divina gratia plenus, qui vitia penitus mortificans ad virtutum culmina in dies contendebat, non die non nocte a hono vacabat opere, sed carnem suam vigiliis et jejniis attenuans, orationibus assiduis incumbens."

Quam magnifice de eo sentiant Mechlinienses, audiendus est Joannes Molanus in Natal. Sanct. Belgii die 1. Julii, apud Aubertum Miraeum lib. de Canonicor. Colleg. cap. LXXIV. "Beati Rumoldi opus est monasterium apud Malinas, qui locus, quantumvis a Nordmannis esset vastatus, tam celebris antiquitas fuit, ut connumeraretur in portione Caroli, quam de regno Lotharii, in divisione cum fratre suo Ludovico facta, accepit. Fuit autem ab initio foundationis, non monachorum, sed canonicorum monasterium. Situm erat in pratis intra ulmos, sed paulatim Mechlinia ex parva urbe trans Dilcans adeo excrevit, ut nunc Collegium S. Rumoldi in mediotulio urbis situm sit, et a Paulo IV. pontifice maximo erectum est in archicathedralem primam Belgii ecclesiam. In coemiterio hujus ecclesiae situm erat oratorium sive sacellum, a D. Rumoldo constructum, in quo is frequenter meditari solebat; quod cum in summa apud plebem Mechliniensem veneratione esset, fidei hostes qui sibi Gensiorum nomen sumpserunt, funditus cum multis aliis sacris locis everterunt. Ab iisdem, dum ex improvise urbem occuparunt, inventum est in medio ecclesiae corpus S. Rumoldi, et foedissime conculcatum et dispersum; Dei tamen benignitate ex cranii cicatrice notum, ope Virginis est conservatum. Perit etiam feretrum ejus: siquidem cum multis miraculis et victoria contra hostes clareret, fullones et textores, eorumque consortes, anno millesimo trecentesimo sexagesimo nono, ob victoriam recentem per ejus merita obtentam, ei ex voto construxerunt feretrum aestimatum in registro civitatis in argento et factura ad sexaginta millia florenorum, praeter gemmas et alia quae postea accesserunt. Novissime celebre donarium adjecit Margarita Maximiliani I. imperatoris filia, Belgii gubernatrix, ut feretri valor fuerit ultra vas auri cum ab hostibus religionis profanabatur.

“ Porro Machliniensis civitas retinet apud Gallos antiquum Malinae nomen, quae vox Latinis in usu fuit, quando Lyra, vicinum Brabantiae oppidum, Ledo dicebatur; Ledo enim et Mailna leguntur pro maris accessu et recessu in Appendice ad tom. III. Divi Augustini in lib. I. de Mirabilibus Sacrae Scripturae; unde a maris fluxu haec nomina indita esse non indocte annotavit Theodoricus abbas Trudonensis, B. Bernardi aetate, cum S. Remmoldi vitam meliori stylo conscriberet.” Haec ibi.

Civitatem hanc archiepiscopali pallio honoravit Paulus III. P. M. petente Philippo II. Hispaniarum rege, circa annum MDLIX. In hac basilica XII. praebendas instituit, et novae fundationi adjecit Notgerus Leodiensis antistes; nam eo seculo Machlinia juris fuit ac ditionis Leodiensis; atque ita in libro Cursus Apostolici, seu Registro Cancellariae Romanae, lectum. Scripsit vero hic nos-  
ter

De Contemptu Mundi

lib. I.

Fuit et alius S. Rumoldus sive Remoldus, monachus et martyr, cujus celebratur memoria VII. id. Januarii, et recolit Joan. Trithemius lib. III. de Vir. illustr. Ordin. S. Benedicti cap. CCXLIX. sed diversus a nostro, cujus in annalibus aut historiis nostratibus non fieri mentionem indignor.

Passus est martyrium anno DCCLXXII. ut habet sententia probabilior. Colitur die I. Julii. Calendarium Adami Regii.

#### B. THOMAS ROBERTSONUS P. 1045.

B. THOMAS Robertsonus, vitae inculpatae sacerdos, turbulentis in Scotia moribus exortis praeclara fidei confessionis documenta dedit, inter Scotiae ecclesiae martyres jure numerandus; nam cum Glascae sacrum Missae sacrificium perageret, a Barone Boidio deprehensus, violenter caesus, carcere foetidissimo maceratus, tandem constantia vere Christiana impias haereticorum insanientium minas contemneret, in forum raptus, et patibulo suspensus, sacerdotalibus indutus ornamentis beatum finem sortitus est, vestimentis omnibus illis igni exstructo cum corpore beato injectis. Scripsit



Contra Ministros	lib. I.
De Invocatione Sanctorum	lib. I.
De Sacramentis	lib. I.

Passus est anno MDLXIV.

### RUTGERUS ABBAS. 1046.

RUTGERUS, ab aliis Donaldus, Scotici in suburbio Herbipolensi monasterii abbas sub Joanne de Egloffstem episcopo, scripsit

De legitimo Consessu Concilii Constantiensis lib. I. quod septimo ipsius anno initium sumpsit.

Acta ejusdem Concilii lib. I.

Sedit abbas XXI. annis XI. Obiit anno MCCCCXVII. Chronicon dicti monasterii.

### RORICUS ABBAS. 1047.

RORICUS, ejusdem coenobiarcha XXIII. sub Joanne le Brun episcopo, monachum Argentinae induit in Scotorum monasterio; pius egregia eruditionis opinione literas humaniores Lutetiae professus (acta ejusdem academiae) Argentinae evocatus regimen suscepit. Scripsit

Carmina Sacra lib. I. Laudat Winzet abbas Scotorum Ratisbonae.

Sedit annis X. Obiit anno MCCCCXLVII. Chronicon dicti monasterii.

### GULIELMUS RADYNGES. 1048.

GULIELMUS Radynges, Carmelita Scotus, ut vult R. P. Petrus Thomas Saracenus, Sacrae Theologiae Doctor, in Chronicis MSS. ejusdem ordinis, scripsit

Examinationes Templariorum lib. I.

Ordinarias Quaestiones lib. I.

Florebat anno MCCCXII.

## ALEXANDER RAMSAYUS. 1049.

ALEXANDER Ramsayus, vir doctissimus, in patrio Sanctandreano gymnasio praeclaram famam ab eruditione accepit, Andreae Melvini praeceptor. Scripsit

Panegyricos Latinos lib. I.

Castigationem veterum Dionysii Halicarnassaei Interpretum Latinorum lib. I.

Notas in D. Paulini Opera lib. I.

Obiit anno MDLXXII.

## ROLLANDUS. 1050.

ROLLANDUS, episcopus Dolensis electus, in Scotiam a Lucio pontifice ad Wilhelmum regem super negotiis Joannis et Hugonis episcopatum S. Andreae sibi vindicantium. Roger. de Hoveden Annal. part. II. pag. CCCLII. Scripsit

Epistolas ad Lucium Papam lib. I.

Florebat anno MCLXXXVI.

## ROLLANDUS. 1051.

ROLLANDUS, subdecanus ecclesiae Glascuensis, vir pius et moderatus, et, ut puto, D. Dominici habitum indutus, clarus secularibus scientiis, sed multo illustrior theologicis studiis, scripsit

De Dilatatione Ordinis S. Dominici lib. I.

Quaestiones arduas lib. I.

Resolutorium Sententiarum lib. IV. Richardus

Brumus in Collectaneis

Floruit anno MCCCCLXXXI. et die XXIX. Augusti locum assignavit tertio ordini S. Dominici Registrum Patris Generalis, et ex eo Joannes Michael Plodius.

## HUGO DE ROKESBURG. 1052.

HUGO de Rokesburg, clericus Wilhelmi Scotiae regis, et ab eodem cancellarius factus, an aliquid scripserit, nescio.

Vixit anno MCXCVI. Roger. de Hoveden part. II. Annal. pag. CCCLXX.

## ROGERUS. 1053.

ROGERUS, Roberti Leicestriae comitis F. in Scotia educatus, et ejusdem regni cancellarius. Hoveden. ibid. loci: "Rex Scotiae dedit episcopatum S. Andreae Rogero cancellario suo, praesente Joanne Dunkeldensi episcopo, et non contradicente." Scripsit

Sermones varios lib. I.

In Ecclesiasticum lib. I.

Vivebat anno MCXCVI.

## REGINALDUS MACER. 1054.

"B. REGINALDUS cardinalis Scotus," ait Scotichronicon lib. XII. cap. VII. "dictus Macer." "Monachus de Malros, succedit Gregorio in episcopatu Rossensi mense Februario," ait Rogerus de Hoveden part. II. pag. CCCCXXVII. Meminit ejusdem paulo infra: "Venit ad regem Scotorum Haroldus senior, interfecto Haroldo juniore per conductum Rogeri et Reginaldi episcoporum S. Andreae et Rosmarkin, et obtulit regi copiam auri et argenti pro Cathania." Scripsit

Praecepta salutaria ad Fratres lib. I.

Collectiones Synodales lib. I.

Sedebat anno MCXCVI.

## RICHARDUS. 1055.

RICHARDUS episcopus Morefensis nominatur in literis Clementis III. pontificis; corrupto sane nomine pro *Moraviensis*. Nec de eo plura. Scripsit

Epistolas ad Clementem III. super Causa Joannis Episcopi  
S. Andreae lib. I.  
Vivebat anno MCLXXXVIII. Hoveden. part. II. pag. CCCLXIX.

## RADULPHUS. 1056.

RADULPHUS episcopus Orcadam Scotia profugus ad Stephanum  
Angliae regem se recepit, cujus hortatu in Wilhelmum Scotiae re-  
gem arma Anglus movit, et ad Alvertum pugnatum, duce eodem  
Radulpho, infeliciter a nostris mense Augusti. Scripsit

Pro Causa Stephani Regis lib. I.

Ad Trocstinum Archiepiscopum Eboracensem lib. I.

Conciones Militares lib. I.

Pugnae cum imperio interfuit anno MCXXXVII. Hoveden. part. I.  
pag. CCLXXVII. Alius est eodem nomine infra, et eadem dignitate  
laudatus, sed forte hujus successor, nam ille nunquam admissus paci-  
fice ad ecclesiae suae regimen, nec tantae videtur fuisse auctoritatis  
ut exercitibus Anglicanis contra Scotos praefuerit.

## B. RICHARDUS. 1057.

B. RICHARDUS episcopus S. Andreae nominatur in pace finali inter  
Wilhelmum Scotiae et Henricum II. Angliae reges apud Hovedenum  
part. I. pag. CCCXL. Scripsit

Super Jure Ecclesiae Scoticae lib. I.

Decreta Synodalia lib. I.

Sedebat anno MCLXXV.

## RICHARDUS. 1058.

RICHARDUS episcopus de Dunkelden, superiori synchronos, in eodem  
foedere nominatus, scripsit, ut est apud Fordunum,

Pro Concordia Eboracensi lib. I.

Sedit anno MCLXXXV. Hoveden. ibidem.

## REGINALDUS. 1059.

REGINALDUS episcopus de Rosmarkin, ut loquuntur, Hovedenus pag. CCCCXXXVII. id est, Rossensis, qui cum Rogero antistite Sanct-andreano duxit ad Regem Haroldum seniore in insulis tumultum. An aliquid scripserit, non deprehendi; certe nihil extat.

Sedebat anno MCXCVII.

## PETRUS RAMSAEUS E. 1060.

PETRUS Ramsaeus, seu de Ramsaeo aut Ramsayo, ut aliis placet, nonus Murthlaci et Aberdoniae antistes, Radulphi successor, monachus Aberbrothensis, "omnium disciplinarum genere eruditus," ait Hector Boethius lib. de Vitis Episcoporum Aberdonensium. Edidit

Varias Ecclesiae Sanctiones lib. I.

Decreta ad Sacerdotes lib. I.

Sedit annis X. obiit anno V. Alexandri III. regis, qui fuit salutis humanae MCCLIV.

## JOANNES ROUGH H. 1061.

JOANNES ROUGH, impius et vilis apostata, e sancto Dominicanorum coetu ex Scotia fugit in Angliam, ibique damnato ordine suo, mutatoque habitu sub Eduardo VI. cacodaemonis praeco uxorem duxit, cum qua turpiter vixit, donec sub piissimae reginae Mariae principatu ex impietatis latebris extractus, in apertam ignominiae lucem perductus, igne vindice violatae religioni poenas luit. Scripserat nonnulla scelestissima. Exustus est anno MDLVII.

## RADULPHUS ALIUS, E. 1062.

RADULPHUS alius circa haec eadem tempora his verbis describitur ab anonymo monacho Wigorniensis, in continuatione

Florentii: "Turstanus Eboracensis archiepiscopus Robertum, quem Alexander rex Scotiae ecclesiae S. Andreae intruserat petente David fratre ac successore Alexandri, in episcopum Eboraci consecravit; in quo officio Randulphum Dunhelnensem episcopum et quendam Radulphum, ad Orcades insulas jam alium episcopum ordinatum, sibi adjuutores adsciverat; qui Radulphus, quoniam nec principis terrae nec cleri nec plebis electione vel assensu fuerat ordinatus, ab omnibus refutatus, et a nemine loco pontificis susceptus erat." Eadem, sed uberius, Joannes Fordunus, additque, "offensum eum injuria ecclesiae suae, cum modo Eboracensi, modo Dunelmensi antistiti frustra adhaesisset, utriusque in episcopalibus ministeriis vicarius, in trasmari-nas regiones abiisse."

Quae si vera sunt, adducor ut credam eundem in monasterio Ful-densi D. Benedicti habitum induisse. Hunc vocat Trithemius Cata- logo Viror. illustr. "in divinis Scripturis eruditissimum, in omnibus literis secularium studiorum doctissimum, philosophum, rhetorem, poetam, oratorem, theologum insignem, Graece ac Latine peritum, ingenio subtilem, scientia profundum, eloquio dulcem, disertum, et ornatum. Scripsit

In Leviticum opus celeberrimum, et valde utile,	lib. xx.
In Epistolas Pauli	lib. xiv.
Historiam Francorum Regum et Principum	lib. i.
Chronicon suorum Temporum	lib. i.
Epistolarum ad diversos	lib. i.
Sermones varios	lib. i.
In multos Biblior. libros Comment. elegantissimos	lib. i.
Tractatus plures	lib. i.
Carmina diversi generis	lib. i." Haec verbatim Trithemius.

Ad Orcadianos suos Admonitiones lib. i. scripsisse eundem, si tamen idem est, Fordunus auctor est.

Deseruit ecclesiam suam, et in Angliam venit, anno MCL. auc-tore anonymo Wigorniensi. Quando monachum induerit, scrip-serit, aut obierit, nec ego reperi, nec Trithemius, qui more suo Scotiae meae est injurius, dum hunc non Scotum sed Germanum

facit; sed ego vindicias secundum veterem ritum peto, et manu injecta MEUM assero.

### RADULPHUS AB. E. 1063.

RADULPHUS abbatis auctoritate Melrosiam regebat dum in Scotiam appulit Joannes S. R. E. Cardinalis S. Stephani de Monte Caelio, legatus a latere per Scotiam et Hiberniam, qui indicto Perthum dierum quatuor concilio mores ecclesiasticorum reformavit, tum in Hiberniam ex officio legationis concessit, secumque Radulphum abbatem abduxit, et ecclesiam Dunensem, ex morte sui praesulis pastore destitutam, ei commisit, qui religiosissime eam administravit. Scripsit

Acta Concilii Perthani	lib. I.
Ad suos Melrosienses	lib. I.
Epistolam ad Joannem legatum	lib. I.

Ex Scotia in Hiberniam legatum apostolicum est secutus anno MCCI. Scotichronicon lib. VIII. cap. LXI. Quamdiu sederit, non inveni.

### REGINALDUS C. 1064.

REGINALDUS, primus abbas coenobii Abbirbroth seu Arbroth, Romam cum Joanne S. Andreae antistite legatus, ut obedientiam regis Wilhelmi nomine praestaret. Alexander III. qui tum in Petri cathedra sedebat, rosam auream balsamo impletam eidem regi donum misit, ut refert Hect. Boeth. lib. XIII. Hist. Scot. pag. CCLXXIII. tum, ubi proceres in verba Alexandri triennis tantum Wilhelmi regis filii jurassent, fidemque ei ut regi exhibuissent, ad eundem regem a summo pontifice legatus venit, "ensem, cujus capulus vaginaque aurea gemmis distincta erat, et galerum purpureum, indicium ecclesiae defensoris, afferens," idem Boeth. pag. CCLXXVII. Ensem diu successores sollicite conservarunt, galero donavit Reginaldum, quem non est mirum inter cardinales ab Italis non numeratum, quod brevi post purpurae honorem acceptum abiecit. Scripsit

De Legatione sua	lib. I.
------------------	---------

**Historiam Scotiae lib. 1. Fordunus utriusque operis meminit. Romam profectus est anno MCCXV. Obiit cardinalis anno MCCXLI.**

**REUTHA R. 1065.**

**REUTHA rex, cognomento Nathacius, patruelis Reutheri, in regum nostratium nomenclatura legitimus, nundinas instituit, pecuniam primus ex corio signavit, sepulchra eorum qui fortiter pro patria egissent pyramidibus et obeliscis honorari voluit. Scripsit**

**Historiam Gentis suae lib. 1.**

**Medicamentorum Canones lib. 1. Eam artem impensius coluit, et diu ante Romanos scriptis extulit, praeter annales nostrates Paschali Gallo auctore; et Bibliotheca Medica illum inter scriptores medicinae claros reponit.**

**Anno regni sui XIV. sponte se abdicans vitae privatae se reddidit; regnum Thereo filio Reutheris legitimo heredi reliquit anno ante Assertoris nostri in carnem adventum CLXXV.**

**S. ROMANUS. 1066.**

**S. ROMANUS, vel Romianus, de quo v. CL. Jo. Gualterius Chronicor. in Bibliotheca SS. minorum Patrum pag. DCCCCXCII. "Romanus presbyter, natione Scotus." Beda lib. III. Hist. Eccles. Anglorum cap. XXV. "His temporibus quaestio facta est frequens et magna de observatione Paschae, confirmantibus eis qui de Cantia vel Gallia venerant, quod Scoti dominicum Paschae diem contra universalis ecclesiae morem celebrarent. Erat in his acerrimus verae Paschae defensor, nomine Romanus, natione quidem Scotus, sed in Galliae vel Italiae partibus regulae ecclesiasticae veritatis observantia edoctus, qui cum Finnano configens multos correxerat, et ad solertioveritatis inquisitionem accenderat; nequaquam tamen Finnanum emendare potuit, quin potius, quod esset homo ferocis animi, acerbiorum castigando, et apertum veritatis adversarium reddidit." Scripsit**



- De Celebratione Paschae pro Ecclesiae Catholicae Ritu lib. 1.  
 De Tonsura Clericorum lib. 1.  
 Claruit regnante in Scotia Ferquhardo I. anno DCLX.

## ROSINUS FLORIDUS. 1067.

ROSINUS Floridus, unus ex Culdeis, episcopatum alicubi gessit, ut Indiculus Scriptorum Scotorum anonymi praefert; eo vivebat seculo quo haeresis Pelagiana Britanniam inficiebat, et strenuam piae causae operam navavit, communicato cum Palladio consilio. Scripsit

- Contra Severinum et Julianam Episcopos  
 Pelagianos lib. 1.  
 Ad Ecclesias Scoticas Antidotum lib. 1.  
 Epistolas ad Coelestinum Pontificem lib. 1. a quo consecrationis suae insignia Romae acceperat, ut moris erat.  
 Epistolas ad Palladium lib. 1.  
 Sermones de Sanctis lib. 1.  
 Claruit sub Fergusio II. anno CCCCLXI. aut praeter propter.

## GULIELMUS RAMSAEUS. 1068.

GULIELMUS Ramsaeus, vir clarissimi ingenii, Georgio Buchanano studiorum in Galliis comes, Conimbricae etiam professionis collega, cum ille haereseos insimularetur e Lusitania in Gallias remigravit, et in academia Lugdunensi Batavica, tunc primum oriente, bonas artes professus est, ubi juxta Buchanani effigiem vultus ipsius artifice manu depictus in bibliotheca spectatur. Scripsit

- Judicium de Lusitanis, ad Vallium Senatus Burdegalensis Praesidem, lib. 1. Reliqua opera inedita in eadem illa bibliotheca diligenter asservantur.  
 Obiit in patria in Fano S. Andreae philosophiae professor anno MDXC. aut circiter.

## JOANNES RHETORFORTIS. 1069.

JOANNES Rhetorfortis Glascuensis, vulgo Rutherford, eandem Conimbricam cum Buchanano et Ramsaeo professionem laboriose exercuit, et sortem civis sui et collegae Buchanani misertus, sibi que ab eodem delatione metuens, in Gallias redivit. Prius in Scotia philosophiam fuerat professus. Meminit Aldus Manutius in praefatione ad Paradoxa Ciceronis, fuerat enim Jacobi Critonii praeceptor. Scripsit

Logicam lib. iv.

Collationem Philosophiae Platonicae et Aristotelicae lib. i. quo in opere Joannis Dempsteri sententias quasdam impugnavit.

Collationem Divi Thomae Aquinatis et Scoti in Philosophicis lib. i. quo opere nihil laboriosius aut doctius.

Praefationes solennes, Parisiis et Conimbriae habitas, lib. i. Extant typis Wechelianis.

Venit Lutetiam anno MDLII. Acta nationis Germanicae ad D. Cosm. Obiit in Collegio S. Salvatoris Andreapoli philosophiae professor anno MDLXXV.

## HERCULES ROLLOCUS. 1070.

HERCULES Rollocus amoenissimo ingenio scholam Edimburgensem rexit, et multis annis in erudienda Scotica nobilitate impensis, Musis potius quam sibi natus videri poterat. Suaves ad haec mores, et erudito sale temperati, gratum omnibus efficiebant. Scripsit

Observationes in quosdam Auctores Graecos et Latinos lib. i. Non prodierunt.

Orationes lib. i.

Carmina diversi generis lib. i. In his est ipsius querimonia qua sibi vivus Phoebus Cygnus parentavit, cum in morbum incidisset, ex scholae publicae regimine et praefectura ob fidei Catholicae professionem deturbatus.

Angor edax pueros fingendi, tristis egestas,  
 Et populi ingratae, sors o mea dura! querelae,  
 Marcorem morbosque mihi, celeremque senectam,  
 Fecerant, et misero clauserunt funere vitam.

Obiit Edimburgi, vix tandem laboriosa docendi provincia defunctus, anno MDLXXXVI. Omnia ipsius opera audio Edimburgi MSS. asservari, propediem edenda in usum literatorum et gentis nostrae gloriam. Utinam, utinam! Vidi ego nonnulla optimaefrugis, nec quietam antiquis ingeniis cessura.

ROBERTUS ROLLOCUS. 1071.

ROBERTUS Rollocus, Herculi et doctrinae merito et religionis puritate longe inferior, quippe Calvini sectam et voce et scriptis diu professus, scripsit varia, ego paucula vidi; et in his sunt:

- Analysis Logica in Epistolam ad Hebraeos lib. I. Bibliotheca Classica pag. CXLI. Vereor ne quid sit quod haeresim sapiat; ego certe laudatum id nolim.
- Tractatus de Justificatione lib. I.
- In Epistolam ad Colossenses lib. I.
- Commentarii in Epistolam ad Ephesios lib. I.
- In Epistolam ad Galatas lib. I.
- In Epistolam ad Thessalonicenses, cum notis Piscatoris, lib. I.
- Prodiit Herbonae.
- In Epistolam ad Philemonem lib. I.
- In Epistolam ad Romanos lib. I.
- In Evangelium D. Joannis lib. I.
- Harmonia in Passionem et Victoriam Dominicam lib. I.
- Tractatus de Vocatione efficaci lib. I.
- In Selectos aliquot Davidis Psalmos lib. I. quod primum, ut existimo, ipsius in Galliis opus prodiit: nescio an Genevenses opera ea corruerint; ipse sane credebatur, dum viveret, non longe a Catholica fide alienus.
- Obiit anno MDXCI. Edimburgi, ut puto, ubi natus.

## B. RICHARDUS A S. VICTORE M. 1078.

B. RICHARDUS a S. Victore, sive Victorinus a quibusdam dictus, monachus scilicet S. Victoris ad muros Parisiorum, gente Paduanus ineptissime dicitur a Joanne Trullo Aragonio lib. I. cap. VI. et Augustino de Novis Ticinensi, consentiente Basilio Serenio in prae-fat. ad Indulta et Privil. Canon. Regular. cum opera ipsa et epitaphium Scotum faciant, ut omittam omnium gentium et scriptorum consensum. Ingens ei certamen fuit cum Andrea quodam Anglo, ejusdem ordinis et monasterii monacho, qui opera illius impudenter et dicaciter reprehenderat; sed Richardus noster tanta modestia, et vere religiosa continentia, ac simul eruditione admirabili, illi respondit, ut ille deinceps obmutuerit, nec quispiam contradicere auderet, non modo omnium judicio victus, sed etiam suae infamia petulantiae et dicacitatis oneratus, procacitatis suae et temeritatis poenas luit, et vigeant in illis gentium suarum odia. Sed missa Angli immodestia ad Richardum redeo, qui dicitur Anglicus a Jo. Philippo Novariensi lib. III. Chron. Canon. Regul. cap. XXXVII. et lib. V. cap. XIV. cum tamen Angli ipsi Scotum fuisse fateantur. Pitsaeus pag. CCXIV. Porro fuit is "vir in divinis Scripturis eruditissimus," ait Trithemius lib. de Scripturibus Ecclesiasticis pag. CCLXIV. "et in saeculari philosophia nobiliter doctus, ingenio praestans, eloquio scholasticus, moribus et conversatione praecipuus;" qui gentem tacet, uti et Anton. Possevinus Appar. Sacr. pag. CXXXIV. et Sixtus etiam Senensis: ita Scotiae fatum est. Sixti sunt haec: "Richardus, monachus et prior coenobii Victorini Pariensis," nescio an recte priorem faciat, ambigo, "ordinis Canonicorum Augustinensium, vir honestate conversationis et eruditionis gloria conspicuus, ingenio subtilis, et eloquio medius, inter Augustini argutiam et Bernardi dulcedinem incedens, scripsit multa in divinas Scripturas mystici sensus opuscula, in quibus intellectum erudit, affectum accendit, et lectoris studium ad majora promovet et producit." Addit Jo. Balaeus: "Disputator omnium sui temporis acutissimus." Plura Jo. Major lib.

III. *Histor. Mag. Britann. cap. XI.* Amicissimus fuit D. Bernardo, cui et multa opera inscripsit sua. Sanctissime vixit, ait illustriss. Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ex quo hunc elenchum operum ipsius excerpsi.

De Exterminatione Mali, ac Promotione Boni,	lib. II.
De Statu interioris Hominis	lib. III.
De Eruditione interioris Hominis	lib. III.
Benjamin Minor	lib. III.
id est, De Praeparatione ad Contemplationem.	
Benjamin Major	lib. v.
id est, De Gratia Contemplationis.	
Allegoriae Tabernaculi Foederis	lib. I.
De Trinitate	lib. VI.
De tribus appropriatis Personis in Trinitate,	
ad Divum Bernardum,	lib. I.
De Incarnatione Verbi, ad eundem,	lib. I.
De Emmanuele	lib. II.
Exceptionum	lib. IV.
De Potestate ligandi et solvendi	lib. I.
De Contemplatione Plagarum in fine Mundi	tract. I.
De judiciaria Potestate in finali Judicio	tract. I.
De Spiritu Blasphemiae	tract. I.
De Gradibus Charitatis	lib. I.
De quatuor Gradibus violentae Charitatis	lib. I.
De gemino Paschate	lib. I.
In die Paschae Sermo	lib. I.
Declaratio Difficultatum Scripturae Sanctae,	
ad Divum Bernardum,	lib. I.
Quomodo Spiritus Sanctus sit amor Patris et Filii	lib. I.
De Differentia Peccati mortalis et venialis	lib. I.
De superexcellenti Baptismo Christi	lib. I.
De Missione Spiritus Sancti	lib. I.
De Comparatione Christi ad Florem, et Beatae	
Mariae Virginis ad Virgam,	lib. I.

Quomodo Christus ponitur in Signum Populorum	lib. I.
De Differentia Sacrificii David et Abrahæ	lib. I.
De Differentia Sacrificii Abrahæ et B. Mariæ	lib. I.
Explanatio Difficultatum ex Tabernaculo Foederis	lib. I.
De Templo Salomonis ad literam	lib. I.
De Concordia Temporum in libros Regum	lib. I.
Explanatio variorum Locorum in Psalmis	lib. I.
Explanatio libri Cantici Canticorum	lib. I.
De Visione Ezechielis	lib. I.
De Templo Ezechielis	lib. I.
Decisio Dubiorum in Apostolo	lib. I.
In Apocalypsim Joannis	lib. VII.

Haec ex Bellarmini nomenclatura. Addunt alii nonnulla titulis quidem diversa; et quia libri non sunt ad manum, malui bis idem opus ponere, quam omnino negligere. Sic ergo Sixtus:

Epitome totius Sacrae Scripturae	lib. I.
De Melchisedech mystice	lib. I.
De Benedictionibus Patriarcharum	lib. I.
Chronographia, ad D. Bernardum,	lib. I.

Hi ex illo tituli, at ex Trithemio nonnulli sunt ab his omissi.

Contra Judaizantes	lib. I.
De duodecim Apparitoribus	lib. I.
De Profectu Monachorum	lib. I.
De Triplici Holocausto	lib. I.
De Auctoritate Petri	lib. I.
De Instructione Novitiorum	lib. I.
De Officiis Ecclesiae	lib. I.
De XLII. Mansionibus	lib. I.
De Studio Sapientiae	lib. I.
De Oratione mentali	lib. I.
De diversis Affectibus	lib. I.
De Visione Nabuchodonosor	lib. I.
De quatuor Ventis	lib. I.
De Verbis Esaiæ	lib. I.

Chronica ab Initio Mundi	lib. I.
Epistolae ad diversos	lib. I.
Tractatus vari	lib. I.

Sunt et quaedam alia in Catalogo Balaei quae neque illi nominant neque adhuc prodierunt.

In totum Danielem Explanationis mysticae lib. I. Cujus magnam partem Compendio Allegoriarum super librum Danielis inseruit Godofridus Tilmannus suppresso auctoris nomine.

Exceptionum libros IV. tantum Bellarminus ponit, eos Divisiones vocat Trithemius, et numerat XXIV. Contra eos excipit illustrissimus cardinalis, eosque tanto ingenio indignos judicat, et expungit, primo quod lib. I. cap. XXIV. dicat "inventores theologiae fuerunt, apud Graecos Linus, apud Latinos Varro, et nostris temporibus Joannes Scotus," quod supra hoc opere est defensum. Eodem cap. inventorem rhetoricae facit Demosthenem, falso. In lib. III. cap. VII. de insulis loquitur, et Scotiam suam tantum nominat, et cap. VIII. ejusdem libri civitates totius orbis celebriores nominaturum se profitetur, nec Lutetiam, ubi, cum haec scribebat, degebat, nominat, Londinum, Edimburgum, aliasque omnes Scotiae et Angliae urbes omittit. In lib. IV. enumerat pontifices Hebraeorum, et Aaron non nominat, uti nec Eleazarum, Phineesve. His adductus jure putat libros eos alterius esse ignobilioris auctoris. Quid si haec ab indoctis librariis?

Praeclarum illud est de eo elogium apud Wernerum Rolevincum, sive Rolevincum, ut aliis placet, libro Fasciculi Temporum pag. LV. "Richardus de S. Victore, pietate plenus, et doctor floridissimus, claret." Quia vero nec illi quos laudavi nec Genebrardus Chronolog. pag. DCXXIV. Scotum eum fuisse dixerunt, id ex epitaphio ipsi aeri inciso in D. Victoris suburbani probabitur:

Moribus, ingenio, doctrina clarus et arte,  
 Pulvereo hic tegeris, docte Richarde, situ.  
 Quem tellus genuit felici Scotica partu,  
 Te fovet in gremio Gallica terra suo.  
 Nil tibi Parca ferox nocuit, quae stamina parvo

Tempore tracta, gravi rupit acerba manu :  
 Plurima namque tui superant monumenta laboris,  
 Quae tibi perpetuum sint paritura decus.

Claruit anno M<sup>C</sup>XL. Errat Genebrardus, qui loco laudato reponit eum in annum M<sup>C</sup>LXIII. ac gravior lapsus in codice Gesneri, qui eum locat in anno M<sup>C</sup>CXL. uti et Josias Simlerus, ejus epitomas-tes, in Epitome Bibliothecae, manifesto errore centum annorum, qui ab operis indubie profectus. Beatum facit Augustinus de Novis Ticinen. in Procurso Canonic. Regul. pag. XLIX. et Jo-annes Philippus Novariensis, Chronic. Canon. Regular. pag. XXXVII.

## ROBERTUS E. 1079.

ROBERTUS, S. Andreae in Scotia episcopus, David regi sanctis- simo gratus et perfamiliaris fuit, a quo ad illud dignitatis evecus, scripsit

Statuta Ecclesiastica lib. I. Mores enim sacerdotum, pe- tente ipso rege, sollicite reformavit. Extat opus in biblio- theca Joannis Bongarsii cum inscriptione ista, Roberti Statuta.

Floruit anno M<sup>C</sup>XXVIII. Anonymus monachus Wigorniensis ad Chronicon Florentii continuat. meminit.

## B. RICHARDUS ABBAS. 1080.

B. RICHARDUS, Fuldae abbas, non minore pietate quam eruditio- ne insignis, ait Joann. Leslaeus lib. VI. pag. CCXV. hoc ei glorio- sum quod S. Marianum monachi habitu induerit. Scripsit, ut audio,

Chronicam succinctam lib. I.

Repertorium Theologicum lib. I.

Vixit anno M<sup>C</sup>CVIII.



## RAIMUNDUS E. 1081.

RAIMUNDUS, aut, ut alii volunt, Weimundus, ex monacho Benedictino coenobii Saviniensis, " ob singularem eruditionem et prudentiam primus episcopus Sodorensis, seu Monae insulae, creatus, vitam in pace finivit." Scripsisse fertur

Sermones ad Monachos lib. I.

Creatus est episcopus anno MCLI. quando obierit, incertum. Matthaeus Westmonast. ad annum dictum. Arnold. Uvion lib. II. cap. LIII.

## RUDOLPHUS E. 1082.

" RUDOLPHUS, monachus et abbas monasterii Aberbrothaei, vir prudentia insignis, et sanctitate admirabilis, qui ita utrumque et religiosi et episcopi vitam in omni postea actu tuebatur, ut dubites plane fueritne diligentior episcopus, an arctior religiosus; tenuiori enim veste episcopus quam abbas, duriori parsimonia dives quam pauper, arctiori regula magistratus quam privatus, semper vixit. Unde ipsis regibus carus ecclesiam suam multis, eorum munificentia, beneficiis et divitiis ampliavit." Ex Joanne Leslaeo lib. VI. Arnold. Uvion lib. II. cap. XXXVII. Scripsit

Monita salutaria ad Alexandrum Regem lib. I.

Vixit anno MCCXV.

## EDUARDUS ROBINSON M. 1083.

EDUARDUS Robinson, monachus S. Trinitatis de Redemptione Captivorum, Aberdonense monasterium sancte rexit, cum bonas artes Lutetiae prius et didicisset feliciter, et docuisset laboriose. Ejus sunt

Exceptiones Sacrae Scripturae MSS. in eodem coenobio lib. I. Lugduni.

Floruit anno MCCCXVII.

## ROMUALDUS. 1084.

ROMUALDUS quis fuerit, aut ubi, quave vitae conditione vixerit, mihi inexploratum; tantum id constat, Scotum vocari ab Antonio Possevino Appar. Sacr. pag. CLXV. et scripsisse

De Morte Mariae Stuartae Reginae Scotorum lib. I. Opus in manus meas adhuc non pervenit, nec alibi ejus nomen celebrari puto.

Floruit anno MDLXXXVII. eo enim anno Christianissima et sanctissima femina sui seculi, et sexus decus, in inhumanae haeresis lamina mactata.

## ROSCELINUS E. 1085.

ROSCELINUS, sive Rozelinus, aut Rucelinus, de quo anonymi historici fragmentum a Roberto ad mortem Philippi I. "In dialectica quoque hi potentes extiterunt sophistae; Joannes qui eandem artem sophisticam vocalem esse disseruit, Robertus Parisiencensis, Roscelinus Compendiensis, Arnulphus Laudunensis." Fuit ergo hic episcopali dignitate sublimis; quam ob causam aut a quo evectus, non deprehendi. Joannes Aventinus lib. VI. Annal. Boior. "His quoque temporibus reperio Rucelinum Britannum, magistrum Petri Abelardi, novi Lycei conditorem; qui primus scientiam vocum sive dictionum instituit, novam philosophandi viam invenit, eo namque auctore duo Aristotelicorum Peripateticorum genera esse coeperunt; unum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod scientiam sibi rerum vendicat, quamobrem Reales vocantur; alterum novum, quod eam distrahit, Nominales ideo nuncupati, quod avari rerum, nominum prodigi atque notionum, verborum videntur esse assertores." Britannus illi est qui revera Scotus fuit, et Lutetiae summa ingenii celebritate sectae illius nobilissimae fundator fuit. Fordunus diserte, et Epistolae Petri Abelardi, qui putatur parum sanam doctrinam ex eo hausisse, nam hunc "insanas suas sententias super Christianae fidei articulis defendisse" cri-

minatur Ivo Carnotensis Epist. VII. et Franciscus Juretus verba producit Anselmi abbatis Beccensis ad Fulconem Beluacensem episcopum: "Audio, quod tamen absque dubietate credere non possum, quia Roscelinus clericus dicit in Deo tres esse personas, esse tres ab invicem separatas, sicut tres angeli, ita tamen ut una sit voluntas et potestas." Hunc errorem videtur docuisse tantum cum junior esset, et postea resipuisse; nam ex literis S. Anselmi, a monasterio Beccensi ad archiepiscopatum Cantuariensem translatus, liquet datis ad Urbanum papam, eam illum haeresim abjurasse in concilio quod Rainaldus Rhemensis archiepiscopus indixerat; et credibile est, abjurato errore illo ad episcopatum fuisse illum promotum, qui tamen nec in tabulis Democharis, nec apud ullum, quod sciam, nostratum historicorum. Scripserat

De Trinitate lib. I.

De Philosophia Aristotelica lib. I.

Contra Reales, pro Nominalibus, lib. I. Cujus sectae auctoritatem non vulgariter, sed multis post annis, promoverat Gulielmus Ockamus Anglus: sed tamen inventio Ruscelino Scoto debetur, quem ego nunc ab orco revocatum luce dono recidiva.

Floruit anno MCXI. quo tempore obierit, non assero.

ROBERTUS ABBAS. 1086.

**ROBERTUS**, cognomento de Keldelith, vir claro sanguine et nobili ingenio, regni Scotiae cancellarius, amore coelesti, an turbulentorum procerum motu territus, an aliqua alia causa, compertum non habeo, in monasterio Neubotel Cisterciensem monachum induit, ac postea abbas creatus de Dunfermelin, indeque translatus crescentibus sanctitatis et virtutis meritis, Joanni abbati de Melros defuncto successit abbas, non sine maxima sanctitatis opinione. Scotichronicon lib. X. cap. XXVI. Scripsit

De Successione Abbatum de Melros lib. I.

Florilegium Spirituale lib. I.

Creatus est abbas Melrosiae anno MCCLXIX. Obiit anno MCCLXXIII. Scotichronicon lib. X. cap. XXXIII.

THOMAS RUBETTIUS M. 1087.

THOMAS Rubettius, Benedictini ordinis monachus, e seculari pompa ad regularem habitum transivit cum S. Waltheno, cujus socius individuus et comes usque ad mortem fuit. Scotichronicon et continuator Forduni. Scripsit

Decreta Synodalia lib. I.

De Vita S. Waltheni lib. I.

De Miraculis ejusdem lib. I.

Floruit anno MCLI.

ROBERTUS ABBAS. 1088.

ROBERTUS, abbas Dunfermelin ex monacho ejusdem loci, successit Archibaldo abbati defuncto. Scotichronicon lib. VIII. cap. LIX. Vir doctissimus, et religiosae vitae cultor indefessus; synodo tamen ad Edimburgum habita a Joanne presbytero cardinali, titulo S. Stephani in Monte Caelio, per Scotiam et Hiberniam legato apostolico, depositus est; quam ob causam exploratum non habeo, ipse tamen sibi non defuit, sed decreto legati viriliter intercessit, scripsitque

Povocationem ad Papam lib. I.

De Causa sua, ad Clerum, lib. I.

Deprehendi ex Scotichronico lib. X. cap. IV. causam depositionis ejus fuisse, quod cum regni cancellarius esset, et in Anglia regi Alexandro comes esset, Henrici regis III. filiam Margaretam desponsanti, legitimare voluerit sororem regis spuriam, uxorem Alani Hostiarii, magni Scotiae justitiarum; et sigillum quidem magnum legitimationi affixum comminutum fuit, curaque et officium cancellarii traditum Gamelino, postea S. Andreae episcopo.

Abbas creatus est anno MCLXXXVIII. Sede motus anno MCCLI. nisi hi duo Roberti diversi sint.

## THOMAS REIDUS. 1089.

**THOMAS** Reidus Aberdonensis, pueritiae mens et infantilis otii sub **Thoma Carnigillo collega**, Lovanii literas in schola Lipsii serio didicit, quas magno nomine in Germania docuit, carus principibus. **Londini** diu in comitatu humanissimi ac clarissimi viri **Fulconis Grevillii**, regii consilarii interioris et Angliae proquaestoris, egit; tum ad amicitiam regis, eodem **Fulcone** deducente, evectus, inter palatinos admissus a literis Latinis regi fuit. Scripsit multa, ut est magna indole et varia eruditione, sed ego vidi tantum.

De Subjecto Metaphysices lib. I.

De Natura Entis lib. I.

Contra utrumque opus nuper scripsit **Henningus Arnisaecus** Francofurti anno MDCXI.

Historiarum Ecbaes lib. I.

Panegyricos allquot lib. I.

Vertit Psalmos allquot **Davidis** elegantissime, in contentione cum **Buchanano Georgii Eglishemii**, lib. I.

Omnia Regis **Jacobi VI.** Opera Latina fecit, et **Londini** publicavit.

Ex aula se, nomine consilio, nuper proripuit, dum illi omnia festinati honoris augmenta singuli ominarentur; nec quid deinde egerit, aut quo locorum se contulerit, quisquam indicare potuit: multi suspicabantur, taedio aulae affectum monasticae quieti seipsum tradidisse sub annum MDCXVIII. Rumor postea fuit, in aulam rediisse, et meritissimis honoribus redditum; sed nunquam id consequetur quod virtus promeretur.

## ADAMUS REGIUS. 1090.

**ADAMUS** Regius, vulgo **Kyng**, **Edimburgensis**, bonis artibus instructissimus, ad miraculum usque doctus, maximo auditorum concursu philosophiam **Parisiis** docuit, et mathematicam.

- cas, in quibus facile eo seculo princeps habebatur. Scripsit
- |                                       |   |
|---------------------------------------|---|
| Canisii Cathechismi Versionem Scotice | lib. I.   |
| Kalendarium SS. Scotorum              | lib. I.   |
| De Kalendarii Correctione             | lib. I.   |
| De Theoria Planetarum                 | lib. I.   |
| Supplementum Sphaerae Buchanani       | lib. I. elegans et eruditum opus, quodque in Parnasso medio natum docti existimant. |
| 'Επιστολήιον Regi                     | lib. I.   |
- Venit in academiam Parisiensem anno MDLXXXV. Vivit adhuc Edimburgi, et in senio erudito advocati munus gloriose implet.

P. ROSSETUS. 1091.

P. ROSSETUS, bonarum artium Lutetiae doctor, varia edidit, ego pauca vidi; in his,

- Carmen Epicum de Leone Scotorum Regum insigni lib. I.  
 Epitomen Regum Scotorum lib. I. versu sane venustissimo :  
 adolescens Duaci vidi, nec postea mihi copia ejus unquam facta.  
 Epistolas ad diversos lib. I. sed maxime ad Hectorem Boethium.

Floruit anno MDXXV.

ANDREAS ROBERTSONUS. 1092.

ANDREAS Robertsonus magno nomine patriam suam illustravit, et multa versu prosaque edidit; ego tantum vidi

- Epithalamium Jacobi VI. et Annae Scotorum Regum lib. I.  
 Obiit Edimburgi anno MDXCV.

JACOBUS ROBERTSONUS. 1093.

JACOBUS Robertsonus Aberdonensis, puerilium meorum studiorum collega, cum in patria insigni utriusque linguae cogni-

tioni philosophiam adjecisset, venit in Aquitaniam, et maxima nominis celebritate Burdegalae ac Tolosae humaniores literas ac philosophicas est professus, suavissima morum continentia scientias exornans. Scripsit multa, ego apices paucorum vidi; in his sunt:

De Philosophia Veterum	lib. I.
Aquitaniae Antiquitates secundis Musis natum.	lib. I. opus laboriosum et
Carmina multa	lib. I. In his est inscrip-
tio Praetorii Tolosani.	

Pax bello, toga pura sago, quid distet, et armis,  
Indicat hoc almae nobile pacis opus.

Vivit adhuc Tolosae, Squillani Lycei, ut audio, moderator; de cujus eruditione et humanitate, cum multa dixero, plura dicenda praeteriisse censebor.

#### DAVID REIDUS. 1094.

DAVID Reidus Dumblanensis, et studiorum in Scotia et professionis collega Regii, honorum etiam particeps, et humanioris literaturae doctor, scripsit

Declamationes veteri ritu	lib. I.
Contra Jezabel Anglicanam pro Serenissima Maria Stuarta Scotorum Regina impie mactata	lib. I.
Querelam ad Europae Principes super Sanctissimae Reginae Morte nefaria	lib. I.

Docendi munus subiit anno MDLXXXVI. quando obierit, incertum.

#### JOANNES RAYUS. 1095.

JOANNES Rayus, Edimburgensis scholae triginta paene annis moderator, linguae Graecae et Latinae peritissimus, multiplicem lectionem judicio acerrimo circumspiciens, temperans, scripsit varia, sed ad me paucorum apices pervenerunt: vidi tamen

Editionem omnium poeticorum Georgii Buchanani Operum lib. I. ab ipso procuratam, in qua nolim epigrammata quaedam, turbulentis temporibus scripta in Hamiltonios et alios, exempta; ipse certe lectu digna censuerat, nec quicquam civilis factionis acerbitas Hamiltoniis, quos ille lace-  
rabat, nocere debet.

Orationes varias lib. I.

Carmina utriusque linguae ac varii generis lib. I.

Epigrammata ad diversos, maxime ad Thomam Cragium Ad-  
vocatam, lib. I.

In Cointum Calabrum Observationes lib. I.

In Coelii Sedulii Poemata sacra lib. I.

Vivit adhuc Edimburgi, Crates Mallotes alter aut Aristarchus.

GULIELMUS REGIUS. 1096.

JACOBUS REIDUS. 1097.

UT multa alia egregia ediderint, ego nihil vidi, nisi in regis ad Sco-  
tos suos regressum Epigrammata et Poematia lib. I.

FINIS LIBRI DECIMI SEXTI.



# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER XVII.

S. SEDULIUS E. 1028.

S. COELIUS Sedulius. Vide supra in voce *Coelius* lib. III. Ejus exemplo et imitatione libros suos de virginitate composuit Aldhelmus. Beda lib. v. Hist. Eccles. Gent. Anglor. cap. XIX. Opera enumerat Joannes Trithemius lib. de Script. Ecclesiast. pag. CCXXVII. a nobis praetermissa :

In majus Volumen Prisciani lib. I.

In secundam Editionem Donati lib. I. utcumque opus suspectum mihi, nam praeterquam quod aetas non patitur ut in illos scribat Sedulius, tum illud certe in antiquitate est inauditum, secundas ullas fuisse auctorum editiones. Locum ejus lib. IV. Carm. de Maria Virgine, quae prima Christum vidit resurrexisse, disputant Rupertus Tuitiensis lib. VII. Divinorum Officiorum cap. XXV. et Joannes Hessels Belga Censura Historiarum cap. III.

S. SEGENIUS ABBAS. 1029.

S. SEGENIUS, coetaneus Ereni et Failbei, ac ipsius Sancti Columbae, ut memorat S. Adamannus in Vita S. Columbae cap. III. lib. I. eodem etiam tempore quo S. Aidanus episcopus ordinabatur, Huensi monachorum coenobio praeerat. Beda lib. III. Hist. Ecclesiast. Gentis Anglorum cap. v. Abstinent ac vere pius audit. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLVIII. Ejus sunt multa apud Balaenum opera, et in his,

Regulae ad Monachos lib. I.

Epistolae ad diversos lib. I.

## Homiliae de Sanctis

## lib. I.

Floruit anno DCXXXV. Etsi in nullo martyrologio reperitur, nostrates tamen semper, ut in sanctorum album ascriptum, sunt venerati, templaque Deo sub invocatione ipsius erexerunt et plurima et opulenta, antequam haeticorum immanis furor aedes sacras et religiosae antiquitatis monumenta exstinxisset. Colitur VII. Aprilis. Martyrologium Anglicanum.

## S. SERVANUS E. AP. 1030.

S. SERVANUS episcopus, et Orcadum episcopus, de quo Joannes Leslaeus lib. IV. Histor. Scot. pag. CXXXVII. Polydorus Virgilius lib. III. Hist. Anglor. pag. LVIII. "Juvit istud negotium pro sua parte et Coelestinus Romanus pontifex, qui paulo ante miserat in Scotiam, jam Christi dogma amplectentem, Palladium episcopum, qui ad extremum in ea sacerdotalem ordinem rite instituit, fecitque Servanum, virum singulari bonitate ac modestia praeditum, episcopum, quem postea in Orcades misit, qui insulanos Christianae religionis cultum doceret, quod ille studiose fecit." Hunc etiam nulla martyrologia in sanctorum numero ascriptum habeant; tamen, ut superior, praecipua veneratione a nostratibus semper colebatur, aedibus sacris erectis, et festiva recordatione, ecclesiasticisque officiis honoratus. Huic Georgius Brounus episcopus Duncheldensis templum Petkarniae parochiale dicavit circa annum MDXI. Alexandro Millo teste. Audiatur Hector Boethius lib. XV. Histor. Scotor. pag. CCCXVII. "Cum ad lacum venissent" milites Angli Baliolum secuti, "colustrato circumquaque loco castris ponendis idoneo, templum Divo Servano sacrum, ac coemeterium occupant, nefandaque in eo loco plurima committunt, scorta in templa adducentes, ac omnibus libidinibus commaculantes, equos ad aras alligantes, et quod Deo dicatum erat contumeliose defoedantes, sacra profanaque juxta habendo." Orcadum episcopatus, ab eo fundatus, religioso eum cultu prosequitur, episcopio ei dedicato. Joannes Leslaeus, et annales omnes nostrates consensu unanimi. Scripsit

Epistolas ad Orcadianos lib. I.

Epistolas ad Ecclesias Scoticas lib. I.

Floruit anno ccccxl. Meminit et Antonius Possevinus Appar. Sacr. pag. ccx. "Servanus, Scotorum episcopus, et Orcadum apostolus." Alii eadem.

#### S. SILVANUS ARCH. A. 1031.

S. SILVANUS archidiaconus, "magnae sanctitatis et virtutis vir," in Scotia successisse fertur peregrinationem suscipienti Sancto Livino in archiepiscopatum Dublinensem. Breviarium ecclesiae Gandavensis, et ex eo S. Livini Vita in epitomen redacta per Franciscum Haraeum, die xii. Novembris. Hic decessoris sui sanctitatem secutus mire, beatissimo est exitu defunctus. Scripsit

Flores Sacrae Scripturae lib. I.

Vixit anno dclxiii.

#### S. SERFUS AP. 1032.

S. SERFUS primo nascentis apud nostrates religionis seculo vixit, et ex Culdeorum grege episcopus electus, aliquid magni animo agitans, Orcades nondum adhuc fidei luce illustratas adiit, et verbum vitae rudibus illis gentibus indefessus nunciavit. Scripsit

Conciones ad Orcadianos lib. I.

De Religionis Christianae Mysteriis lib. I.

Epistolas ad Scoticas Ecclesias lib. I.

Claruit anno ccxciii. Multis post illum annis eadem in gente erudienda labores alii posuerunt; ut hic primus Orcadum apostolus, S. Servanus secundus dici possit. Colitur ejus pia memoria die I. Augusti. Breviarium Scoticum.

## S. STOLBRANDUS E. 1033.

S. STOLBRANDUS, Scotiae episcopus, cum Dani in Scotiam irruerent, Picticae gentis jam deletae causam propugnaturi, in insulam Maiam in Forthae aestuario concessit, ubi vel immanem ethnicorum barbarorum truculentiam tutus evaderet, vel una cum piissimis viris, vel ipsum secutis vel locum illum religiosissimum incolentibus, mortem oppeteret gloriosam. Scripserat

Commentarios in librum Job lib. I.

De Casu Regni Pictici lib. I.

Historiam Britanniae lib. I. Est in bibliotheca regis Christianissimi illius fragmentum; indicavit a multis annis Isaacus Casaubonus.

Passus est cum multis aliis anno DCCCLXXIV. Memoria in Maia insula miraculorum gloria inclaruerat. Vide lib. I. hoc opere in *S. Adriano*.

## S. SCANDALAUUS. 1034.

S. SCANDALAUUS, Eoglodius, Totaneus, Moteferus, et Gallanus, S. Columbae comites ac discipuli, cum ipse in Hiberniam trajecisset, monasteria in Iona insula sancte rexerunt, ut annales nostri prodiderunt, et in his Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLII. Hector Boethius lib. IX. pag. CLXVII. Scripsit

Ad Fratres in Iona lib. I.

Claruit anno DCVI. Relatus in divorum numerum religiose colitur a nostratibus, licet martyrologia sileant: colitur autem die v. Maii. Martyrolog. Anglic.

## S. SERLO M. 1035.

S. SERLO, monachus Mailrosiensis, ac socius episcopi Cathenensis S. Adami, cum eo etiam a furente plebe combustus, ut lib. I. supra hoc opere videbis, scripsit

Vitam Adami magistri lib. I.

De Decimis	lib. I.
Contra Usuras	lib. I.
Chartam Libertatum Scotiae	lib. I.

Affectus est martyrio [die] dominica infra octavas nativitatis B. Mariae, ut loquitur Scotichronicon lib. IX. cap. XXXVII. annus erat MCCXXII. Alius Serlo est, Anglus et Benedictinus, clarus anno DCCCCLX.

### S. SUIBERTUS E. 1086.

S. SUIBERTUS, Verdensis episcopus primus, Scotus, nam pater ipsius Sigebertus, ut Marcellinus apud Surium auctor; hic vero ortu Scotos reges attingebat, et per eosdem Northumbriae comitatu donatus, primus Scotorum eam provinciam tenuit, ut Veremundus habet apud Joannem Campumbellum. Hic vero antistes ea dignitate "a Carolo Magno donatus ob insignem Scotorum bello Hispaniensi fidem, solertiam, et fortitudinem, qui gratissimi animi princeps praecipuas omnes dignitates Saxoniae bello superatae Scotis indulsit," ut historici Franci testes, et in his Philip. Belforest. lib. I. Hist. Carolor. Optimus hic, et piissimus antistes, ut omnes alii octo sequentes Scoti, ex coenobio Amarbaricensi ad episcopatum translatus, nihil prius habuit quam clerum et populum sibi commissum ad pietatem dictis et factis ipsis hortari. Sanctis ascriptus. Arnold. Uvion lib. II. Lign. Vitae cap. LV. Vitam scripsit B. Marcellinus, et retulit F. Surius tom. II. die I. Martii. Scripsit

Ad Fratres Amarbaricenses	lib. I.
Ad Ecclesiam Verdensem	lib. I.
Canones sacros	lib. I.

Florebat anno DCCLXXXVIII. Adi ad Gasparem Bruschiom Centur. Monasterior. Germanicor. Albert. Crantz. lib. II. Metropol. cap. XXX. Suffrid. Petr. lib. I. de Origine Frisior. cap. XV. Henricus Sinclarus putat Sigebertum non ortu Scotum, sed exulem in Scotia haesisse, ibique ex Scota uxore Suibertum genuisse. Ut est, sub Carolo Magno nulli Angli, Scoti plurimi militarunt; et octo sequentes loci antistites Scoti; ut hic Anglus videri non possit.

## S. SYRA, R. F. V. 1037.

S. SYRA, filia Eugenii IV. regis, de qua Hector Boethius lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXXIV. "Erat Fiacrio soror, virgo sanctissima, nomine Syra, quae audita fratris sanctitate ad eum in Meldensi agro anachoreticam vitam agentem cum majusculo sanctarum virginum comitatu se recepit; quae ab eo cum sodalibus in sancto proposito confirmata ad Gallicanam Campaniam se contulit, ubi per vitae sanctitatem, et clara sanctitatis signa, insignem sui reliquit memoriam." Nec plura apud exteros scriptores de illa quod sciam, nec martyrologia ulla meminerunt, licet in Campania Gallica multa sint templa ejus honori erecta, multaque sanctarum monialium claustra, sub ejus sacra militia viventium. Acta ecclesiae Meldensis MSS. Jo. Leslaeus lib. IV. pag. CLV. Arnol. Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. DXVII. Forte eadem erit Siria matrona, quam in territorio Trecensi cultam docet die VIII. Junii Molan. Addition. Usuardi. Scripsit

De Sancta Monica lib. I.

Meditationes lib. I.

Exhortationes ad Sorores lib. I. Quae in ipsius monasteriis religiose asservantur in eadem Campania.

Floruit anno DCXXXII. quo fratrem suum S. Fiacrium secuta oceanum trajecit: quando obierit, non comperi. Calendarium Adami Regii natalem reponit in annum DCXLIII.

## B. JO. SCOTUS, EREM. 1037.

B. JOANNES Scotus Tevidalius, idem ille cum Joanne jejunatore, de quo lib. IX. supra, sed quia de eo multa notatu dignissima tradidit Gilbertus Brunus, abbas Dulcicordis, in Collectionibus Historicis, non erit forte ingratum rem tam stupendam verbis ipsius ex patrio sermone in Latinum versis repetere. "Hoc anno," inquit, "Joannes Scot. in Tevidalia natus, quibusdam causis impellentibus, venit ad coenobium S. Crucis, ubi observatus est

amplius quam viginti dies sine cibo ullo aut potu transigere. Id cum rex audisset, eum in arce Edimburgensi custodibus appositis toto mense asservari praecepit, quo tempore nihil in corporis illius constitutione mutatum fuit; quare custodia illa arcta liberatum dimissumque rex virum in maxima sanctitatis opinione habuit. Ille peregrinatione Hierosolymitana decreta, Venetias apulit, ubi XL. dierum jejunio sancte peracto Veneti illum fisci impensa in Terram Sanctam deducendum atque in Italiam reducendum censuerunt; inde Romam profectus sanctitatis suae periculum fecit, tum domum repetens iter per Gallias instituit, eodemque inibi experimento exhibito admirationem omnibus movit, indeque in Angliam trajecit; et Londini quidem, quod palam assereret Henricum regem non potuisse ab uxore Catharina Aragonia divertere, nec libellum ei repudii sine maxima impietatis nota remittere, in carceres coniectus, sed comperta jejunii sanctitate cum honorifico elogio dimissus. Hoc eo admirabilius est, quo ille, cum luberet, cibo et potu, ut alii solebant homines, uteretur. Barba ei subflava, promissaque toga candida ad talos dimissa, cinctus zona coriacea induebatur. Erat sermone patrio disertissimus, nec Latini ignarus: totum vitae cursum precibus impendebat. Plerique eum virum sanctum habebant, licet alii de illo segniora censuerint, et pejora longe scripserint." Scripsit

Vaticinia de mutanda Religione	lib. I.
Precum sanctissimarum Synopsin	lib. I.
Sermones per Annum	lib. I.
Exhortationes ad Clerum	lib. I.
De Terra Sancta	lib. I. Quae omnia

vidit Richardus ille Brunus, et impensius laudavit.

Vivebat anno MDXXXI.

#### JOANNES A SACROBOSCO P. 1038.

JOANNES a Sacrobosco Scotus, vulgo *Halybush*, quae familia adhuc durat apud nostrates, et certissimam de eo memoriam conservat. Acta nationis Germanicae ad D. Cosmi Parisiis, et Scotum

fuisse diserte loquuntur, et venisse in eam academiam adoptatumque v. Junii anno MCCXXI. Fuit canonicus in monasterio Nithisdaliae, vulgo *Halywod*, quod fundavit Deo Virgilla comitissa Gallovidiae. Richardus Gibbonus Anglus in Angl. Histor. Scotum vocat, incolam Halywod. Hoc cum sit indubitatum, non defuit tamen maledicentissimus Lelandus, qui futili argumento et ridicula, ut solet, ratione Anglum fuisse et Oxoniae studuisse affirmet: et Gulielmus Camdenus in Britanniae Descriptione, ubi de Brigantibus, Halifax oppidum, quod sacram silvam significat, eum produxisse voluit; sed falso, nam nomen illud est ignobile et nuperum, oppidum enim ante vocabatur Hortau. Deinde perridiculum est ex Halifax efficere velle a *Sacrobosco*. Scripserat ille

De Sphaera Mundi	lib. i. opus celebratissimum, quod mathematicorum nobilissimi commentariis illustravere, Gemma Frisius, Petrus Ramus, et Christophorus Clavius.
De Algorismo	lib. i.
De Ratione Anni	lib. i.
De Computo Ecclesiastico	lib. i.
Breviarium Juris	lib. i.

Claruit anno MCCLV. ut Balaesus voluit, sed et Genebrardus eo anno Lutetiae mathematicam professum scribit; uterque falso. Nam Aubertus Miraesus in Chronico diem suum obiisse recte annotat anno MCCXXXVI. Consentit et sepulchralis cippi inscriptio ad D. Mathurini Parisiis, ubi ille sepultus, insculpta sphaera cum his versiculis:

De Sacrobosco, qui Computista Joannes  
 Tempora discrevit, jacet hic a tempore raptus.  
 Tempora qui sequeris, memor esto quod morieris;  
 Si miseres, plora, miserans pro me precor ora.

### SAMSON P. 1039.

SAMSON presbyter, relicta Scotia, in Bavariam bonarum artium studio se contulit, unaque cum Alberto et Clemente Scotis



acerrima contentione vexavit S. Bonifacium super caerimoniis quibusdam Romanae ecclesiae, quas stabilire volebat pontifex; et Bonifacium resistebant hi quos nominavi Scoti, adjuti a Sydonio Bavaro-  
rum archiepiscopo, ut latius exsequitur Joannes Aventinus in Annalibus Boiorum lib. III. "Clemens et Samson Scoti, sacerdotes atque episcopi, nummarii, avari, libidinosi, sacrilegi peculatores, temulenti," Zacharias PP. Epist. VI. ut non sit mirum si profligatissimus haereticorum Mornaens dicat, "Clemens et Samson, Scoti aetate sua doctissimi." Haereticus schismaticos laudat. Rectius sane Wiscelius junior :

Progenerans quosdam Stygio e foetore scatentes,  
Inapidum Albertum, Clementem, et finibus idem  
Samsonem, Scotos, sinceri dogmatis hostes,  
Audentes sanae doctrinae opponere sancti.

Hunc Sydonium existimo vel haereticum vel schismaticum fuisse; nam sub Utilone duce cum Roma ad Bavaros venit Bonifacius Scotus, unus tantum episcopus erat in tota gente, Vivilus, ut ex epistola Gregorii II. ad eundem constat Bonifacium apud Suriium tom. III. in vita ejus pag. CLV. quod si verum est, haereticae impietatis nota non carebit Samson. Vide lib. III. hoc opere supra in *Clemens*. Scripsit hic

Super Controversia cum Winfrido misso lib. I.

Vivebat anno DCCL.

### B. SEDULIUS JUNIOR, E. 1040.

B. SEDULIUS alius, ob aetatis differentiam Junior dictus, Pergusti, seu Fergusti socius, et Scotorum Australium episcopus, interfuit generali Romae concilio celebrato sub Gregorio II. ut tom. III. Concilior. General. habetur, pag. CCCXVII. ubi episcopus Britanniae vocatur. Meminit Honorius Augustodunensis Luminar. Ecclesias. et uberius Joannes Major lib. I. Histor. Magn. Britann. cap. IV. et cap. VIII. Scripsit

Statuta Concilii Generalis lib. I.

In Evangelium D. Matthaei lib. I. Quod opus

MS. penes se habet eruditissimus Jacobus Sirmondus.

De sancto Missae Canone lib. I. Impius est hoc loco Balaeus, qui vult tum primum missarum solennia in ecclesiis instituta, abusis verbis Sigeberti: Gregorius II. "constituit ut tempore Quadragesimae v. feria jejunium et celebritas missarum fieret in ecclesia, quod non fiebat antea." O perditae haereticae, veritatem agnosce, et erubescere, nam non missarum ille solennia instituit, sed ut feria v. in Quadragesima missae augustum sacrificium celebrarent, edixit, quia forte ante illud tempus dies Veneris ob recordationem passionis dominicae lugubris erat, et a consecratione immunis.

Floruit anno DCCXIV.

#### S. SARANUS ABBAS. 1041.

DE clericorum tonsura ac Paschatis celebratione anceps diuque inter ecclesias Scotticam et Britannicam exorta est quaestio: tunc in ecclesia Scotica vir erat pius ac prudens, Saranus abbas et doctor, ut habetur tom. III. Concilior. in decretis Honorii I. cap. XIX. pag. LXIII. Orta autem haec contentio est anno DCLXIV. Sigeberto auctore, licet male Florentius Wigorniensis rejiciat in annum DCLXXXVI. Tunc enim reconciliati fuerant paene, et ad unionem Catholicae ecclesiae reducti per Egbertum anno DCCX. Herman. Contract. Chron. nam si verus est Florentii numerus, sequitur discrepantiam illam XXIV. annis durasse, quod falsum ex Beda. Ut ille in numero abundans exerrat, ita Rhegino Prumiensis deficiens, qui "Honorium pontificem Scotos in celebratione Paschae orantes per epistolam corripuisse" scribit, idemque praestasse Joannem et ejus successorem Severinum anno DXLVI. Nec omnino sanus in Mariani Scoti Chronico numerus, qui id ait anno DCXXXIII. contigisse, cum nondum adhuc mota fuisset controversia. Scripsit hic

Epistolas ad Hilarium Archipresbyterum, Joannem

Primicerium, Joannem Diaconum, et alios, lib. I.

Super Controversia de Paschatis Celebratione lib. I.

Vixit anno DCLXVI. Colitur die X. Martii, Martyrologium Carthusianum, vel die XIII. Maii, Petrus Canisius.

### S. SIGEBERTUS, AB. A. 1042.

S. SIGEBERTUS successit in regimine Fuldae S. Egeberto, et cum aliquot annis sedisset abbas, "virtute et pietate est consecutus, ut Moguntinus archiepiscopus omnium conspiratione declararetur," ait Johannes Leslaeus lib. v. in Machabaeo rege. Adi ad Antiquitates Fuldenses, quas edidit Christophorus Browerus, et doctissimis viris [notis?] illustravit. An aliquid scripserit, non deprehendi.

Floruit anno MLVII.

### ROBERTUS SLIPPINGEN M. 1043.

ROBERTUS Slippingen Carmelita, in monasterio Perthano indutus, Sorbonicis sociis ascriptus, edidit

Determinationes Theologicas lib. I.

Floruit anno MCCCCX.

### ROBERTUS STUARTUS M. 1044.

ROBERTUS Stuartus, regio Scotorum sanguine, ac Jacobi V. regis cognatus, D. Francisci habitum induit, et mira vitae sanctimonia et integritate vixit. Scripsit

Vaticinia de Rebus Scoticis lib. I. quae etiamnum hodie circumferuntur, quibus religionis casum, uti accidit, et reginae mortem praedixit.

Vivebat anno MDLII. Franc. Gonzaga part. III. Origin. Seraphic. pag. DCCCXLVIII.

## SECUNDUS PHILOSOPHUS. 1045.

SECUNDUS, philosophus Scotus, vel Anglo teste Rogero de Hoveden part. II. Annal. pag. CCCCLXIV. summae fuit apud sui seculi homines dignationis. Diu peregrinatus, domum regressus, muliebrem sexum exosus Athenas abiit, ibique linguarum peritia et philosophicorum studiorum elegantia clarissimus. Licet in pertinaci usque ad mortem silentii proposito perseveraret, tamen per scriptionem Hadriano imperatori et innotuit, et admirationem movit. Scripsit

Responsa Quaestionibus Hadriani Imperatoris lib. I. quae sunt veluti apophthegmata, et alia.

Vivebat anno CXX.

## GEORGIUS SIBBALDUS. 1046.

GEORGIUS Sibbaldus, omni humaniori literatura instructissimus, in patria bonas artes didicit, in Galliis docuit; quindecim annis medicinae serio dedit operam; tum doctorali apice Patavii accepto, magno patriae sibi que ornamento, scripsit

In Graecos Auctores Observationes	lib. I.
Criticas Exercitationes	lib. I.
Veteris ac novae Medicinae Collationem	lib. I.
Poemata	lib. I. et alia.

Vivit in Scotia, et suis est ornamento.

## HENRICUS SPITALIUS. 1047.

HENRICUS Spitalius, haud vulgaris doctrinae, philosophiam in academia Aberdonensi nascente operose docuit. Ejus est

Facilis ad Aristotelicam Sapientiam Aditus lib. I.

Floruit domi anno MDXX.

## S. SEGIANUS P. 1048.

S. SEGIANUS presbyter, unus ex illis qui ecclesiam Scoticam administrabant, orta de Paschate cum Britannis quaestione, nominatur in epistola Honorii I. tom. III. Concilior. cap. XIX. pag. LXIII. Scripsit, nomine ecclesiae suae,

Epistolas ad Divum Hilarium, Joannem Diaconum, Joannem Primicerium, Joannem servum Dei, locum sanctae sedis apostolicae tenentes, lib. I.

Super celebrando Paschate lib. I. pro patrio Scotorum ritu, ut opinor, contra Britannicam ecclesiam, nondum enim adhuc Scoti ab Honorio P. M. moniti errorem deposuerant illum.

Floruit anno DCLXVI.

## S. STELLANUS P. 1049.

S. STELLANUS, et ipse presbyter, eadem aetate Scoticam ecclesiam sancte regebat, et strenue allaboravit ut Honorii pontificis maximi decreto obtemperaretur, utque sibi commissi in omnibus sanctae Romanae ecclesiae capiti, et Petri successoribus subessent. Scripsit

De Paschate celebrando lib. I.

Epistolas ad Joannem, Hilarium, et reliquos, lib. I.

Nominatur in epistola Hilarii archipresbyteri ad Scoticas ecclesias nomine Honorii scripta, tom. III. Concilior. loco laudato.

Vivebat anno DCLXVI.

## S. SYLVENEUS M. 1050.

S. SYLVENEUS monachus, rara pietate, nec minore eruditione, primis seculis post acceptam fidem, egregiam operam exstirpandis vitiis navavit, coetaneus Damiani presbyteri, et alio-

rum, qui supra hoc opere laudantur. Scripsit

In omnes Psalmos lib. IX. Scotichronicon

lib. X. cap. II.

Meditationes lib. I.

Florebat sub appulsum S. Reguli ex Achaia in Albionem anno  
CCCLXIX. Hector Boethius lib. VI. Histor. Scot. pag. CV.

DAVID SCOTUS. 1051.

DAVID Scotus, Parisiensis professor, Dumblanae natus, scripsit

Historiam Decreti Gratiani, opus incomparabile, lib. VIII.

Adoptatus est in academiam Parisiensem anno MDLIV. obiit in  
legum pontificiarum ibidem professione, anno MDLXXIII.

ROBERTUS STRALOCHUS. 1052.

ROBERTUS Stralochus Aberdonensis et ipse Lutetiam suo ingenio  
illustravit, nam, cum ingenti studiosorum adolescentum concursu phi-  
losophiam docuisset, scripsit

Praefationes solennes ad Auditores suos lib. I. Prodiit  
typis Henrici Stephani opus.

Compendium totius Philosophiae lib. IIII.

Docebat anno MDLXIX. Obiit in Scotia medicinam chemicam  
exercens.

SIMON SIMSON. 1053.

SIMON Simson circa eadem tempora Dunkelda Parisios venit, ac  
diu philosophiam celebri fama professor, Lycei Plessaei gymnasi-  
archa aliquandiu, deinde actiosa illa vita seposita, dulciorem quietem  
censuit, quam in Aremoricis nactus, Sorbonicae facultatis socius,  
et S. theologiae doctor. Demochares tom. III. pag. XIII. Scrip-  
sit

Historiam Jacoborum lib. VI. opus rarum, fama dignum [et]  
immortalitate.

Contra Magdeburgenses Centuriatores lib. 1. Quod opus dum emittere pararet, amicis interpellantibus distulit, ut res Scoticas fusius exsequeretur; quod non potuit, morte preventus, efficere. Est opus sane pium, varium, et eruditum, quo singulas insanientium haereticorum imposturas diligenter detexit, et erudite refutavit.

Docebat Parisiis anno MDLXXXV. Obiit anno MDCXI.

### THOMAS SMETONUS H. 1054.

THOMAS Smetonus Dumblanensis, et ipse humanioris literaturae Parisiis professor, ac deinde nomine Societati Jesu dato, in Claromontano ibidem collegio, magno ingenii applausu, easdem artes docuit, sed apostata vilis postea, et sacrae militiae desertor, haereticus ministrus fuit. Scripsit

Contra Archibaldi Hamiltonii Calvinianae Confusionis Demonstrationem lib. 1. opus verborum ornatu non inelegans, sed doctrina vacuum.

Epitaphium Metellani lib. 1. cui ille in Italia comes haeserat. Is est Metellanus qui in Dialogo de Jure Regni apud Buchananum interloquitur.

Docebat secularis Lutetiae anno MDLXIV. Obiit apostata anno MDLXXVIII. Edimburgi an alibi, pro comperto non asseruerim.

### HENRICUS SCRINGERUS. 1055.

HENRICUS Scringerus, ex nobilissima familia Dudopae Deidonensis praefecti, vulgo conestabuli, Fuggerorum Augustae Vindelicorum munificentia literas coluit; suo aevo Latinae, Graecae, ac orientalium linguarum peritissimus, vir indefessae lectionis, iudicii limatissimi, sine furo ambitionis eruditus, usque adeo ut Jacobus Cujacius profiteatur se ab ejus congressu nunquam nisi doctiorem recedere, multa edoctum irreperta interpretibus. Scripsit multa, ut nemo eo seculo plura: in his,

**Novellae Constitutiones Latinitate donatae** lib. I. Antea transtulerat Henricus Agylaeus Buscoviducensis. Conradus Rittershusius prooemio Juris Justiniani cap. IV.

**Notas uberiores in eadem Constitutiones** lib. I. ipse promittit; an extent, nescio.

**Plutarchi omnia Opera** lib. I. cum MSS. contulit, Eduardo Henrysono Scoto auctore in notis ad Plutarchi Commentarium de Contrariis Stoicorum.

**Diogenes Laertius de Vita Philosophorum** ad multa exemplaria correctus, et observationibus illustratus, lib. I.

**Athenaeum** lib. I. cum MS. contulit, unde omnia sua hauserat magni momenti Isaacus Casaubonus.

**Strabonem etiam cum MS. collatum** volebat emittere, ut ex epistolis ipsius MSS. planum est: sed cum codex in manus Isaaci Casauboni venisset, mirum quam ille fidenter alienae operae nomen suum apposuit; hoc certe candide Henricus Stephanus profitetur, etsi non bene cum Scrimgero ei conveniret.

**Basilicon libros, cum MSS. variis collatos, Latinos fecit** lib. I. Phornutum ex collatione MSS. correxit lib. I. ultima senecta.

**Palaephatum quoque ex iisdem MSS. ita auxit, ut alius ab edito videri possit: qui duo auctores ultimi asservantur** in bibliotheca Petri Junii equitis, Jacobi regis educato-  
ris.

Epistolae lib. I.

Obiit anno MDLXXII. vir aeterna memoria dignissimus, qua nobilitatis praerogativa, qua eruditi ingenii dotibus.

### SALIFAX BARDUS. 1056.

**SALIFAX Bardus** ex nobilissima veterum Bardorum familia ortus, qui cum Druidibus diu apud Scotos nobilitatem erudiebant, deorumque laudes carminibus celebrabant, ut et defunctorum heroum manes honoratis elogiis extollebant. Hic ex ea familia scripsit



Hymnos in Deos lib. 1. qui aetate Vere-  
mundi extabant.

Genealogiam Regum lib. 1.

Floruit anno ante Christum CL. sub Reuthere Dornadillae f. rege ; nisi forte alius sit posterioris operis auctor, a nostro diversus gente et tempore, nam Anglum fuisse hunc suspicor, et claruisse circa annum DCCCLX.

### SILVIUS BONUS. 1057.

SILVIUS Bonus, natione Scotus, dubites orator facundus an poeta acutus fuerit, maxima aestimatione apud Maximum, qui imperium Romanum in Britannis et Gallis usurpabat contra Gratianum. Mira invidia inter illum et Ausonium Burdegalensem, et mutua inter ipsos scriptio. Scripsit hic

Maximi Caesaris Laudes lib. 1.

Invectivas in Ausonium lib. 1. Ipse Ausonium  
indicat, sed eum Britonem vocat, quia ex Britannia Maximum Caesarem secutus erat. Sic ergo Decius Ausonius in Epigrammatis :

Silvius ille Bonus qui carmina nostra lacessit.

De Bellis Aremoricis lib. 1.

Poematum diversi generis lib. 1.

Epistolarum ad diversos lib. 1.

Claruit anno ccccx. Frustra illum Angli vindicant, cum Sconanus et Scotichronicon faciant Scotum.

### SILVIUS BONUS ALTER. 1058.

SILVIUS Bonus, ex antiquissima et nobilissima familia Silviorum, sive Wood, quae etiam hodie inter honoratas et patricias numeratur, Boni cognomentum ipse non assumpsit, sed per jocum ei impositum imitatione Ausoniana. Quis fuerit, ubi vixerit, [non comperi,] nisi quod certum illum de peregrinatione sua opus edidisse eruditissimum sub titulo,

Comparatio antiquae et hodiernae Italiae lib. 1.

Prodiit Mediolani.

Vixit anno MCCLXX.

**SIMON ABBAS. 1059.**

**SIMON** abbas de Dunfermelin, vir animi ingentis, sed magis secularibus negotiis quam ecclesiasticis implicatus, orator missus ad regem Angliae ad repetendam comitatus Huntintonii proprietatem, aliquot post annos ob innatam animi pertinaciam et intolerabilem operum proterviam depositus est in concilio, ut puto, Stirlinensi, licet multum comes de Mar, qui legationis Anglicanae socius fuit, reniteretur. Scripsit

Pro Restitutione sua, ad Regem, lib. I.

Missus est legatus anno MCCLXX. Scotichronicon lib. X. cap. XXVI. Depositus est, et officio abbatis ejectus, anno MCCLXXV. Scotichronicon eodem libro cap. XXXVI.

**B. SALAMON DECANUS. 1060.**

**B. SALAMON**, decanus Glascuensis, dum Rogerus Eboracensis antistes non suum modo metropolitanum Thomam Cantuariensem sperneret, sed et mira arrogantia inauditaque superbia jus in ecclesias Scoticas tanquam sibi subjectas praesumeret, concilio Eboraci habito ita libertatem ac dignitatem Scotici cleri disputando propugnavit, ut "maxima esset Anglorum confusio, Scotorum gloria," ait Scotichronicon lib. VIII. cap. XV. Comitatus fuerat Angelrannum, cap. XV. seu Ingelrannum, ut Hovedenus loquitur, et Waltherum priorem de Calco, uti hoc opere lib. IX. et XIX. videbis. Salamon scripsit

Pro Causa Angelranni lib. I.

Monitorium ad Rogerum Eboracensem lib. I.

Appellationem ad Papam lib. I.

De Jure Ecclesiae Scoticanae lib. I.

Sermones super Evangeliiis lib. IV.

Florebat anno MCLXIV. quo causa apud Pontificem Alexandrum

III. disceptata, et " consecratus Ingelrannus, astantibus pomposis clericis, et procuratoribus Eboracensibus," ut *Scotichronicon* loquitur; et a papa decretum Senonibus in Galliis uti " Scotica ecclesia soli sanctae sedi apostolicae subesset." Sed haec pluribus in Episcopis Scotis dicam, ubi de Glascuensibus.

JOANNES SERLO ABBAS. 1061.

JOANNES Serlo, cognomento Grammaticus, orator et poeta eximius, monachus Benedictinus, deinde abbas Cisterciensis, socius S. Stephani Hardingi, et discipulus, ab eoque missus in Angliam, prima fundamenta Fontanensis coenobii jecit, ut ex Hugonis de Kirkested relatione clarum. Scripsit multa, hi apices restant:

De Bello inter Scotiae Regem et Angliae Barones lib. I.

MS. in Collegio S. Benedicti Cantabrigiae.

De Dictionibus dissyllabis lib. I.

De Dictionibus aequivocis lib. I.

De Dictionibus univocis lib. I.

Floruit anno MCLX.

JOANNES SETONUS. 1062.

JOANNES Setonus Scotus philosophiam et mathematicas disciplinas Oxoniae in Anglia est professus, a rege Scotiae eo missus, postquam in concilio Viennensi Clemens V. pontifex decrevit uti rex Scotiae suis sumptibus professores Scotos Oxoniae aleret, ut habetur lib. v. Clementinarum tit. I. de Magistris. Fuit hic Setonus speculationibus arcanis mirifice deditus, ut Lelandus lib. IV. de Vir. Illustr. et alii scribunt; cumque multis annis Aristotelem legisset ac relegisset, scripsit

In Metaphysicam lib. XII.

Vivebat anno MCCCX.

## GULIELMUS SETONUS. 1063.

**GULIELMUS** Setonus, nobilissima familia Meldromiae ortus, bonas artes domi et sub Lipsio sedulus didicit, in Galliis cum laude docuit; jurisprudentiam vero tam severe coluit, ut nec in senatu patrio multos pares, nec Andegavi, ubi regius professor eam exercuit, habuisse censeatur. Est vir omniscius, variae et paene infinitae lectionis, sed ingenii vehementer a lucubrationum suarum publicatione abhorrentis. Habet vero propediem multa edenda; in his sunt

Novellae cum MSS. Graecis collatae, et notis eruditissimis ornatae, lib. I.

Vivit Romae omnibus literatis carissimus, sed praecipue illustrissimo principi D. Scipioni S. R. E. Cardinali Cobellutio, cui est domesticus, et gentis columna.

## GULIELMUS SETONUS. 1064.

**GULIELMUS** Setonus ubi vixerit, in Gallia an Germania, non observavi. Scripsit

De Curatrice Chirurgia lib. I. Meminit Paschalis Gallus in Bibliotheca Medica pag. CXXIII.

Floruit anno MCCCCXCV.

## ALEXANDER SETONUS H. 1065.

**ALEXANDER** Setonus theologus, Jacobo V. regi a sacris confessionibus, mortuo rege haeresim Londini, ait Personus, est amplexus. Scripsit multa; in his,

Processus suae Examinationis lib. I. opus impium,  
quia Balaeo placens.

In utramque Epistolam Petri lib. II.

In Canonicam Jacobi lib. I.

Conciones lib. I.

Obiit Londini in aedibus Sudovolgiorum ducis anno MDXLII.

## ALEXANDER SETONIUS. 1066.

ALEXANDER Setonius, toparchae Setonii filius, Fiviae baro, Dunfermelini comes, in Galliis Italiaque egregie ac feliciter pietati ac virtuti studuit; quas postea supremo in Scotia cancellarii magistratu annis paene triginta maxima integritatis fama exercuit, vir bono regni natus. Scripsit, et Romae pronunciavit,

Orationes solennibus aliquot Festis coram Pontifice et Cardinalibus pronunciatas in Sacello Pontificio lib. I.

Prodierunt Romae, et Parisiis multa [scripsit] in utroque jure, sed non edidit.

Obiit in Scotia anno MDCXXIII. singulari in Catholica religione profitenda, etiam inter haereticorum minas, animi constantia, et maximo ad Catholicorum perseverantiam exemplo, senatus caput, bonorum corculum, ac Zaleucus alter. Hujus vitam scripsit Gulielmus Setonius, J. C. Alexandri consanguineus, et olim familiaris, quam prope diem publicabit.

## JACOBUS SETONIUS P. 1067.

JACOBUS Setonius, ex milite cohortis praetoriae Scoticae, quae regi Galliarum assistit, factus sacerdos miros in literis brevi progressus fecit; vir pius ac religiosus, inculpata vita, profunda eruditione nobilitatus. Scripsit

De Vita Ministrorum Scotorum a Joanne Knoxio in haec tempora lib. I.

De eorum Synodis et Decretis lib. I.

De Constitutionibus Ecclesiae Scoticae lib. I.

De gravi Controversia Fidei inter Ministros et Episcopos lib. I.

De Ordinatione Ministrorum lib. I.

De Ordinatione Episcoporum lib. I.

Opera non vidi, et nec, an prodierint, pro certo affirmare possim: elenchus tamen iste in manus meas venit.

Obiit Antverpiae hoc ipso anno quo haec scribebam, MDCXX.

## THOMAS SANDALIUS AB. 1068.

THOMAS Sandalius Cisterciensem monachum in Kyntyre induit; magnaque vitae austeritate et continentia, celebratis-

simi illius coenobii quod *Sandal* dicunt, abbas creatus, ita se gessit, ut neque doctiorem nec moribus sanctiorem aetas illa tulerit. Ejus multa opera extabant in bibliotheca Sanctandrea, ut ex indice apparet; apices tantum supersunt, et hos reperio:

Super Magistrum Sententiarum Determinationes scholasticas lib. iv.

De Baptismo lib. i. Suscipio lubens.

Quaestiones controversas lib. i.

Vivebat anno MCCLVII.

#### SIMEON AP. 1069.

S. SIMEON episcopus, S. Alcuini Scoti discipulus in Scotia, nam epistola ad Carolum regem Alcuinus testatur, quod eum nutriverit, educaverit, ad virum perfectum perduxerit, ex monacho Melrosiensi strenuam operam convertendis in Germania infidelibus eodem cum S. Bonifacio seculo praestitit, quo nomine inter doctores apostolicos et gentis illius episcopos jure numeratur, et, ut existimo, nec tamen temere asseveravero, SS. numero ascriptus, nam ei officium Robertus Balaeus junior Anglus composuit, cujus principium "Ave Simeon, pater inclyte." Scripsit multa, Joanne Lelando teste, sed apices, non modo opera, perierunt, praeter

Homilias ad Germanos lib. i.

Florebat anno DCCXC.

#### STANTO. 1070.

STANTO Scotus, ut anonymi Index praefert, philosophiae et mathematicae studio clarissimus, scripsit

In Canones et Tabulas Arzachelis lib. i.

Vixit Parisiis anno MCCCCXII.

#### HENRICUS SINCLARUS DECANUS. 1071.

HENRICUS Sinclarus, Glascuensis decanus, summae curiae senator et vicepraeses, ob summum ingenium et doctrinae ex-

cellentem laudem Jacobi V. regi maxime familiaris, ait Joannes Leslaeus lib. x. pag. DXXIII. nepos, ut puto, Henrici illius qui episcopus Glascuensis [Rossensis] calculi dolore Lutetiae exstinctus est, ut infra videbis. Scripsit

Legum Romanarum ad Leges Scotiae municipales Reductionem lib. I.

Novas Judiciarii Ordinis Leges lib. I.

Abrogationem Juris antiqui lib. I.

Rediit ex Galliis ineunte anno MDLV. nec plura de eo.

### HENRICUS SINCLARUS E. 1072.

HENRICUS Sinclarus, decanus Glascuensis, et episcopus Rossensis; quae nobilissima familia apud Scotos, et antiquissima, a Gallis originem traxit, Sanctae Clarae titulo insignis. Hect. Boeth. lib. XII. Histor. Scot. pag. CCLVIII. Hic gravi calculi dolore vexatus Lutetiam venit, desperato malo remedium sortiturus; medicorum consilio ab Andrea Laurentio excisus, par tanto dolori ultra tres menses non fuit. Scripsit

Analecta, seu Adversaria ad Historiam Scotticam sui Temporis, Latine et Scotice, ut testatur Joannes Pedemontanus Ferrerius in praefatione ad Continuationem Historiae Scotticae Hectoris Boethii, ubi plura de eo.

Exstinctus est Lutetiae ex calculi incisione ipsis calendis Januariis anno MDLXV. cum insectus fuisset anno MDLXIV. die XXVIII. Septemb. aetatis suae anno vero LVIII. Pacem cum Anglis orator pepigit anno MDL. Joannes Leslaeus lib. x.

### JOANNES SINCLARUS. 1073.

JOANNES Sinclarus, frater Henrici, decanus Restalrig, comes ejus in Galliam, et cum inde in Scotiam rediisset, brevi exstinctus est febre acuta. Scripsit

Additiones ad Apparatum Historiae Scotticae Henrici fratris lib. I.

Obiit anno MDLXVI.

## DAVID SINCLARUS. 1074.

DAVID Sinclarus, fratres Setonios comites Wintoniae in Gallias secutus, Parisiis ingenti cum applausu in Navarraeo humaniores literas docuit; mox professione Ramaea vacante, disputationis mathematicae aream fidenter est ingressus, et contra spem omnium Monotholium, qui totam aetatem usque ad ultimam senectam in ea arte impenderat, profligavit; exactis deinde aliquot annis, cathedram Ramaeam cum regia Sc. permutavit. Aulam Britannicam vana spe aliquandiu sectatus, feliciori eventu reginae Navarrae, Margaretae Valesiae, favorem ambivit, inter palatinos admissus, et quoad illa vixit honorifice habitus. Scripsit eruditissimo stylo, et amoenissimo ingenio vir,

Carmina varia utraque lingua . . . . . lib. I.

Heronem Latinum fecit, et notis illustravit, lib. I.

De nova Optices Ratione . . . . . lib. I.

Archimedis omnia Opera correctata ad MSS. Commentariis illustrata, . . . . . lib. I.

Vivit adhuc Parisiis, et infatigabili studio artes mathematicas excolit, magnum patriae suae lumen.

## THOMAS SUTTONUS M. 1075.

THOMAS Suttonus, sive, ut Antonius Senensis in Bibliotheca vult, de Suetonia, aut, ut Gilberto Bruno placet in Collectaneis, Setonius, praedicatorii ordinis theologus, et Sorbonensis doctor, ut lib. IV. de Vir. Illustrib. prodit Leander Albertus, sui seculi acutissimus, et sive disputaret sive scriberet, insignem laudem a posteritate meruit. Angli suum faciunt perperam, cum ex operibus ipsius, et maxime in praefatione ad Quaestiones Theologicas se Scotum fateatur in Anglia educatum, puto, eo tempore quo doctores Scoti sui regis sumptibus Oxoniae studebant et profitebantur, ut ex Clementina prima tit. de Magistris lib. V. Clementinarum patet. Scripsit multa, sed haec sunt praecipua: ..



Quaestiones Theologicae	lib. I.
Commentarius in Psalterium	lib. I.
Breviarium Theologiae	lib. IV.
Summa Theologiae	lib. I.
Concordia Theologorum	lib. I.
Quodlibetorium de Relatione	lib. I.
Quaestionum difficilium	lib. I.
Contra Aemulos et Detractores Fratrum Praedicatorum	lib. I.
MS. Oxoniae in Lincolnensi.	
In Praedicamenta Aristotelis	lib. III.
Super sex Principia	lib. I.
Super Aristotelis Priora	lib. II.
Super ejus Posteriora	lib. II.
In Peri Hermenias	lib. II.
Complementum Divi Thomae, et in Peri Hermenias	lib. I.
Illustrationes de Declaratione ejusdem	lib. I.
De Unitate Formarum	lib. I.
De Relatione	lib. I.

Claruit anno MCCXC.

### RADULPHUS STRODUS. 1076.

RADULPHUS Strodus eadem lege qua superior Oxoniae studuit, sed prius in Dryburgensi Tevidaliae coenobio diu bonis literis incuberat, ut in Monasteriorum Foundationibus Gilbertus Brunus docet: postea Anglorum linguam et elegantias sic didicit, ut Galfredus Chaucerus inter praecipuos sui seculi poetas eum reposuerit. Extabant multa ejus opera, non visa ab Anglis, in bibliotheca dicti coenobii. Putatur, Italiam, Germaniam, et Gallias lustrasse, tum Terram Sanctam visitasse, ac domum rediisse ibique supremum diem obiisse.

Scrpsit

Fabulas lepidas versu	lib. I.	Panegyricos versu patrio	lib. I.
Consequentiarum Formulas	lib. I.	Summulas logicales	lib. I.
Sophismatum Strophas	lib. I.	Phantasma Radulphi	lib. I.
Itinerarium Terrae Sanctae	lib. I.	Positiones, et XVIII. Argumenta contra Wicleffum Haereticum,	lib. I.

Opusculorum lib. I. quae falso nuper prodierunt sub nomine Radulphi Feriburgi. Claruit anno MCCCLXX.

JACOBUS STRACHANUS P. 1077.

JACOBUS Strachanus Merniensis, nobilitate generis atque eruditionis merito inclytus, ab academia Aberdonensi Edimburgum destinatus, cum Joanne Leslaeo, Patricio Myrton, Alexandro Andersono coram regina in sanctiore arcani concilii concessu fidei suae rationem reddidit, et haereticos rationibus superavit, causa tamen victus praecoccupatis magnatum animis, ac distributis anno toto antea bonis ecclesiasticis. Scripsit

De Eucharistia lib. I. De reliquis Ecclesiae Sacramentis lib. I.  
De Potestate Papae, sive Jure utriusque Gladii et duarum Clavium, lib. I.

Quae magna ex parte transcripta a Christophoro Browero in Antiquitatibus Fuldensibus.

Disputationem solennem cum Knoxio lib. I. Fugam Vulpis lib. I. Willoxius enim, et alii sectarii cum ipso congregari non sunt ausi post Knoxium debellatum. Floruit anno MDLX.

B. GULIELMUS DE SANNUCO M. 1078.

B. GULIELMUS de Sannuco, vel Sannico, vel Sannicio, natione Gallus, ordinem Carmelitanum in Scotiam intulit, qui summa virtutis, nec minore sanctitatis opinione diutissime floruit; de quo fidenter hoc dixerim, multorum bonorum operum in eo regno ab illo admissum, nec ullum quod legerim ex ea familia haereticum prodiisse toto illo met religionis turbine. Fuit autem "Sannicius noster Carmelitici ordinis singulare decus, vir doctissimus, et sacrae theologiae professor," ait Joannes Trithemius pag. CCXLIV. Scripsit

Super Sententias lib. IV.

Chronica de Multiplicitate sui Ordinis lib. I.

Declarationes suae Regulae lib. I.

Decretales Religiosorum lib. I.

Floruit in Galliis, et in Scotiam cum fratribus suis venit anno

MCCXLIV. Pontifice Innocentio IV. Augusto Rodulpho, rege Scotiae Alexandro II. Plura Fridericus Pucius Bruxellensis in Carmelitana Bibliotheca.

SCONANUS ANONYMUS M. 1079.

SCONANUS monachus anonymus, sive unus tantum, sive ex eodem coenobio plures, ut ea aetate moris erat, scripsit

Chronicon ab initio Mundi ad sua Tempora lib. v. Viderat Georgius Buchananus, et saepe in Historia sua eum laudat. Alicubi in Scotia asservatur, communi insanientis haereseos cladi exemptus. Eo opere, etsi res omnes ubique terrarum gestas comprehendat, peculiari tamen ratione ecclesiam Scotticam illustrat.

Scribebat anno MCCCCLXXXVI.

SCOTELLUS. 1080.

SCOTELLUS in Indice anonymi est, et docuit Andegavi jus civile. Scripsit

De Jurisconsultorum Successione lib. I.

Vivebat anno MDIV. Alius est Petrus Aquilanus theologus.

JOANNES STEWES P. 1081.

JOANNES Stewes, officialis S. Andreae, a Jacobo I. rege liberali conditione invitatus, unus fuit ex primis doctoribus qui Andreapolitanam academiam suis praelectionibus illustrarunt. Hect. Boeth. lib. XVI. Histor. Scot. pag. CCCXLII. Scripsit vero

Synopsin Decreti Gregoriani [Gratiani] lib. I.

Florebat anno MCCCCXI. Hunc eundem nescio an S. Andreae archidiaconum virtus et eruditio provexerit.

GEORGIUS SOPHOCARDIUS H. 1082.

GEORGIUS Sophocardius, Lutheri catulus, ex Germania impuram et pestilentem haeresim in Scotiam tulit, primus sa-

erilegi dogmatis apud nostrates professor, de quo hoc memorabile, ipsum conjurationis in Cardinalem Betonium in itae conscium antequam comprehenderetur, et cum igni addictus fuisset, et cardinalis e fenestra cubiculi sui anxie exspectaret, auditurus an ad bonam frugem, viso igne, redire vellet, ille, Sathanae spiritu plenus, arroganter sustollens oculos, "In illa ipsa," inquit, "fenestra qua mortem meam spectas, poenas violatae religioni brevi lues." Hinc insana haeresis ausa est comminisci, furciferum illum, intentatae caedis participem, divino spiritu haec dixisse; sic sane sit, et perduelles improbos prophetas nova habeat ecclesia. Hic vero cum nulla eruditionis tinctura, sed tantum impudenti loquentia applausum, jam procerum animis ecclesiae bonis insidiantibus, captare est visus; et cum ad Joannem Coburnum octavo Edimburgo milliari divertisset, a Davide Betonio cardinale nocte intempesta extractus, sancto officio Andreapoli traditus, ac ad palum religatus, renitente prorege, ipsis calendis Januariis, boni ominis ergo, impietatis ac sceleris poenas dedit ultrice flamma, secundum sacros canones consumptus; post cujus supplicium Lutherani ne mussare quidem ausi, multo minus se commovere, donec Sathanas suos a Calvino satrapas immisisset, certe hactenus prudenti cardinalis cura securitas Scoticae ecclesiae parta videtur. Nefarium hunc haeticum Jacobus Augustus Thuanus nimis amanter tractat lib. III. Historiar. et nolim perditum Deoque in-visi ex faece plebis homuncionis virum Catholicum, ac tantae dignitatis, contra S. R. E. cardinalem patrocinium suscipere. Scripserat ille tenebrio

Themata Fidei contra Quintinum Kennedium lib. I.

De Coena Domini ex Luthero lib. I.

Ustus est, violatae religioni poenas dedit, anno MDXLVII.

### JOANNES STEUART. 1083.

JOANNES Steuart literas humaniores ac philosophiam Lutetiae summa ingenii celebritate est professor, praefectus Collegium Montisacuti rexit, ibique obiit, legatis testamento pauperibus

relictis, ea lege ut ipse inter benefactores haberetur, et in fundatorum nomenclatura locum haberet, ut refert Jacobus Breulius lib. II. Antiquitat. Parisiens. pag. DCLXXXI. Multa edidit, sed ego tantum vidi

Contra Venena Calviniana Antidotarium ad Scotos lib. III. quibus omnia controversiae capita exagitat, S. R. E. fidem firmat, magno eloquentiae ornatu, et sincera doctrina. Obiit in Collegio Montano anno MDLXXXI. die VI. Maii.

#### JOANNES SKENAEUS. 1084.

JOANNES SKENAEUS, senator summae Scotorum curiae, atque tabularii seu registri custos, adolescentiam in Norvegia, Dania, Sarmatiaque magna parte consumpsit, ubi et linguas didicit exactissime boreales, et mores polivit, et ingenium, ad magna surgens, ex virtutis et honesti praescripto formavit; vir candore animi et humanitate incomparabili, jurisprudentiae ac rei antiquariae peritissimus. Scripsit Institutionem Legum Scoticarum lib. II. ad imitationem Justiniani imperatoris, seu verius Triboniani. Opus est magna rerum varietate, ac recondita doctrina. Prodiit Edimburgi.

Senatusconsulta patrii Senatus, sive Acta Parlamenti, lib. I.

Historiae Scoticae Synopsin lib. I.

Epistolas ad Daniae Optimates lib. I.

Obiit Edimburgi anno MDCX.

#### JOANNES SCHARPIUS. 1085.

JOANNES Scharpius, in academia Diensi professor, scripsit multa; ego tantum vidi De misero Hominis Statu sub Peccato lib. II. Vereor ne haeresim sapiat; et mihi vir eruditus nomine tantum ex operibus est cognitus. Vivatne an obierit, nescio.

#### PATRICIUS SCHARPIUS. 1086.

PATRICIUS Scharpius, praefectus gymnasii Glascuensis, vir eruditus Graece ac Latine, multa edidit; ego vidi tantum

In Orationem Dominicam Commentarium ex Patribus Graecis Latinisque.—Obiit Glasguae anno MDC.

**GEORGIUS STRACHANUS. 1087.**

GEORGIUS Strachanus Merniensis, nobili familia, Parisiis humaniores literas docuit in Cenomanico; ad aulam deinde transiit, et vitae illius pertaesus privatam ei praetulit; tum Duci Guisio in amicitiam et famulitium se dedit, sed et hanc etiam aspernatus vivendi rationem, in Orientem est profectus, ut [linguas] orientales Latinae, Graecae, Hispanicae, Italicae, Gallicae, et patriae, quas exacte loquebatur et scribebat, studiose conjungeret. Scripsit

Panegyricos Graecos ac Latinos . . . lib. i.

Orationes varias utraque lingua . . . lib. i.

Agatharcidae Historiarum lib. CCXIII. Epitomen Latinam fecit, et notis illustravit, antequam Photium Andreas Schottus edidisset, cum tantum Davidis Hoeschellii editio Graeca extaret.

Antiphontis Atheniensis Rhetoris Orationes vertit, ac notis illustravit.

Antonii Diogenis Incredibilium de Thule insula lib. XXIV. credibiles ingenio suo fecit.

Praxagoram Atheniensem de Rebus Constantini Magni Latinitate donavit.

Himerii Sophistae Declamationes vertit.

Vindavii Anatolii Beryti Collectaneorum de Agriculturae Disciplina lib. XII. me rogante vertendos suscepit.

Ptolomaei Hephaest. nov. Histor. lib. VI. civ. Latina donavit.

Polemonem Sophistam Latinum fecit, et commentarium uberrimum adjecit.

Luciani Dialogum de Calumnia Latine vertit.—Quorum nonnulla prodierunt, alia adhuc sub incude.

Vivit adhuc in Perside, jam enim toto sexennio Terram Sanctam lustravit, et non modo linguas percepit, sed et nobiliores, ut ad me scribit, bibliothecas compilavit.

**STIGANDUS A. 1088.**

STIGANDUS, archiepiscopus Cantuariensis, cum Edgardo rege Angliae et Aldredo archiepiscopo Eboracensi in Scotiam fugit,

et se tutelae Malcolmi regis commisit; et "cum rex Edgarus quotidianam stipem a rege Malcholmo nactus esset," ut loquitur Wilhelmus Malmesburiensis lib. III. de Gestis Regum Anglorum pag. LVIII. indignatus Wilhelmus Normannus Stigandum per cardinales Romanos et Ermenfredum episcopum Sedunensem loco movit, et dignitate privavit. Itaque postquam Edgarus regis Scotiae alumnus Scotia abiisset, Stigandus munificentia Malcolmi adjutus in Scotia diem suum obiit. Scripsit

Pro Causa Edgari Regis, ad Regem Scotiae, lib. I. Pro se, ad Papam, lib. I. antequam exularet, cum pacifice sederet.

Floruit anno MLXVI. Et puto quadriennio post obiit, sepultus Edimburgi ad D. Aegidii.

### THOMAS SEGETUS. 1089.

THOMAS Segetus antiquarius, Graece Latineque doctissimus, ingenti ingenii vivacis ostentatione et applausu in Italia diu versatus, sed vehementer Venetiis vexatus invidiae cessit, et in Germaniam, liberius proferendae virtutis, ut ipsi videbatur, theatrum, se contulit. Scripsit Carmina varii generis; in his,

Epicedium Justi Lipsii, praeceptoris sui, lib. I.

Peregrinationem suam per Silesiam lib. I. De Equuleo lib. I.

Meletemata Hypogaea, dum squalore carceris Veneti maceraretur, lib. I. Olympiodori Historiarum lib. XXII, Epitomen ex Photio recensuit, Latine vertit, et notis illustravit.

In librum Hieronymi Magii de Tintinnabulis Observationes

lib. I. Ipse longe excellentiora edidit, sed ego minima, quia a me visa, nominare cogor.

Vivit adhuc in Germaniis, vir optimae frugis, et Musas sedulo colit.

### SEMPLE. 1090.

SEMPLE, claro nomine poeta, cui patrius sermo tantum debet, ut nulli plus debere eruditi fateantur: felix in eo calor, temperatum iudicium, rara inventio, dictio pura ac candida, quibus

dotibus Regi Jacobo carissimus fuit. Scripsit

Rhythmos vernacule lib. i. Carmina amatoria, ut Propertii sanguinem, Tibulli lac, Ovidii mel, Callimachi sudorem, aequasse plerisque doctis videatur, lib. i.

Obiit anno MDXCV.

### SIDONIUS. 1087.

SIDONIUS, seu Setonius, revera Cobrethus, Edimburgensis, quidam Scotus alchimisticarum rerum, omnium qui vivunt, ut aiunt, peritissimus, in multis Europae locis aes aut stannum in aurum infuso quodam pulvere fertur convertisse: vidit et fidem astruit Andreas Ablavius, medicus insignis. Neapoli ante xv. annos insigne artis illius experimentum edidit, auctor libri cui titulus *Imago Solis Puteo emergentis*. Sunt apud nonnullos Germaniae principes laminae ex auro purissimo arte illius mutatae ex aere, et in porticu Florentina in cimelio Magni Ducis industriae ipsius testes duae laminae, quas cum ex plumbo liquefacto fecisset, inspectante ac multum admirante aurifera, ex officina se subduxit, nec postea in urbe nec agris uspiam inventus. Raphael Eglivus Icovius laudat epigr. *Alter Iason eris, qualis Sidonius estque Ramsaeus*. Scripsit

De Alchimiae verae Rationibus ac Experientia lib. i.

De Lapidis Philosophici Compositione lib. i.

Tolosae quaedam mihi ostendit, sed statim poenituit: at hoc solum ex eo scivi, libertatem eum auro illo ipso cariorem habere, ideo nec velle principum congressus, nec potentum amicitias.

Vivit adhuc alicubi vagus, et in illa ipsa quaestuosa professione pauper. Audivi in Insubria a daemobus, in Gallis in via interfectum, et homicidas spe inductos artem ex scriptis ipsius cognoscendi, quod et ipsi, furti Aquis Sextiis evicti, sub furca sint fassi.

### JOANNES SUNAGHAM E. 1088.

JOANNES Sunagham Carmelita, ut habet in Annalibus seu Chronicis ordinis sui Petrus Thomas Saracenus, S. theologiae do-



ctor Bononiensis, episcopus etiam Bangorae, scripsit

Contra Wiclefitas lib. I.      Concionum suarum lib. I.

Floruit anno MCCCXCII. Gente vero Scotum fuisse, contra Balaeum idem ille doctissimus vir probat.

**ALEXANDER SCOTUS. 1089.**

**ALEXANDER** Scotus Aberdonensis, magni nominis, sed majoris meriti, utriusque linguae peritus, juris civilis scientia in paucis clarus, Carpentoractensis praefectus juri dicendo, quo in munere non minorem integritatis quam eruditionis famam acquisivit. Scripsit

Grammaticam Graecam, post omnium veterum ac recentiorum laboriosas editiones optimam,      lib. I.

Apparatum in omnia M. T. Ciceronis Opera, post Nizolium exactissimum,      lib. I.

Jacobi Cujacii J. C. Opera omnia in tom. IV. distinxit, ac S. D. N. Paulo V. Pontifici M. inscripta edidit.

De Officio Judicis      lib. I.

In Titul. de Judiciis Commentarium, ad usum forensem, lib. I.

Obiit Carpentoracti anno MDCXV. et in satis tenui re: O crimen fortunatum! Semper Musae pauperes?

**PATRICIUS SIMSONUS. 1090.**

**PATRICIUS** Simsonus, vir eruditus, et clari apud eruditos nominis, scripsit Historiae Ecclesiasticae partem I. vernacule. Historiae Ecclesiasticae partem II. Sed an prodierit, nescio.

Obiit Stirlingi anno MDCXI.

**GULIELMUS STRUTHER. 1091.**

**PATRICIUS SANDAEUS. 1092.**

**JACOBUS SANDILANDIUS. 1093.**

THOMAS SYNSERFIUS. 1094.

ANDREAS STEPHANIDES, VULGO STEVENSON. 1095.

ROBERTUS STEPHANUS. 1096.

GEORGIUS SYNSERFIUS. 1097.

ROBERTUS SMYTHUS. 1098.

JACOBUS SCOTUS. 1099.

ANDREAS SIMONIDES, VULGO SIMSON. 1100.

JOANNES STEUART. 1101.

GEORGIUS STIRKAEUS. 1102.

ANDREAS SYLVIUS, VULGO WOOD. 1103.

JOANNES STRANGIUS. 1104.

GULIELMUS SEMPLE. 1105. IX. anno puer.

VIRI sunt magna eruditionis gloria, sed nihil ab illis ad me in tam diverso mundi tractu degentem pervenit, praeter

Epigrammata, Poemata, et Orationes in Regis ad Scotiam Regressum. Edimburgi prodierunt.

# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER XVIII.

S. TANCO E. AB. 1105.

S. TANCO seu Tatto, monachus Benedictinus, abbas Amarbaricensis, Gasp. Bruschius in Catalogo, Albert. Crantzius lib. i. Metropol. cap. XXI. fuit, ut ea ferebant secula, vir doctissimus, diligens ecclesiasticae dignitatis observator, tandem episcopus Verdensis, magnam doctrinae, majorem sanctitatis, opinionem reliquit. Inter sanctos relatus a pontifice sub Harrucho episcopo Verdensi VIII. cum ipse tertius fuisset. Appendix ad Martyrolog. Usuardi. Colitur die XIII. Februarii, Krantzio teste, vel XVI. Arnoldus Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. LIII. lib. de Episcopis Germanis, Joannes Leslaeus lib. v. Scripsit

In omnia Evangelia lib. i.

Claruit sub Conuallo II. rege anno DCCCXX. quando obierit, incertum. Alius Tancho, S. Galli monachus. Sangalleus in Vita Caroli Magni lib. i. cap. XXXI.

S. THEODORUS A. 1106.

“ S. THEODORUS, Scotorum archiepiscopus, a Vitaliano papa ad Scotiam directus,” ait Anton. Possevinus Appar. Sac. pag. CCLXXXIV. comitem habuit Adrianum abbatem. Hermann. Contract. Chron. ad annum DCLXVIII. qui tamen Anglorum archiepiscopum nominat anno DCLXXIV. ut suspicer primo Angliam, deinde Scotiam ab eo adjutam, et fidei sinceram imbutam dogmatis. Marianus Scotus lib. II. aetate VI. anno DCLXVI. “ Theodorus archiepiscopus, et Adrianus abbas, vir aequè doctissimus, a Vitaliano papa missi in Britanniam, plurimas ecclesias Anglorum doctrinae eccle-

siasticae fruge foecundarunt." Annales tamen nostrates constanter Scotorum fuisse antistitem contendunt. Et Beda totam insulam peragrasset ait lib. iv. Ecclesiast. Histor. Gent. Anglor. cap. i. qui hoc de eo elogium subtexit: "Erat monachus Romae, nomine Theodorus, natus ex Tharso Ciliciae, vir et seculari et divina literatura Graece et Latine instructus, probus moribus, et aetate venerandus." Vide sequentia, sed, ut ingenue fatear, evincit Bedae narrationis series, ut credam eum non Scotiae sed Angliae destinatum illum antistitem, licet et Scoticas ecclesias potuerit invisisse. SS. catalogo ascriptum vult Appendix Martyrologii Usuardiani ex Beda. Hoc ei epitaphium, aevo conveniens, affinxere:

Hic sacer in tumba pausat cum corpore praesul,  
 Quem hinc Theodorum lingua Pelasga vocat:  
 Princeps pontificum, felix summusque sacerdos,  
 Limpida discipulis dogmata disseruit.

Scripsit vero, secundum Sigebertum anno DCLXXIV.

Librum Poenitentialem, mirabili et cauta discretione distinguens modum singularem culparum, lib. i.

De Paschatis Celebratione lib. i. Beda.

Confessionem Fidei contra Eutythianos Haereticos Graecos lib. i. nam ideo Adrianum datum ei comitem quidam volunt, ne in errores Graecorum ipse Graecus laberetur, et suos deciperet.

Synodos duas lib. i. Alia apud Balaeum.

Vixit annis LXXXVIII. nam cum ordinatus antistes annum agebat LXVI. in Britannia mansit annis XXII. missus eo VI. calend. Junias anno DCLXVI. Obiit die XIX. Septembris anno DCXC. ut praeferunt Beda libro laudato, et Sigebertus anno eodem.

#### S. TERVANUS AP. A. 1107.

S. TERVANUS, S. Palladii Scotorum apostoli discipulus, S. Servani Orcadam apostoli collega, et Pictorum apostolus, quos, idolorum ea adhuc aetate cultui deditos, incredibili studio morumque sanctimonia ad veram religionem convertit. Joanni Leslaeo archiepiscopus est, lib. iv. pag. CXXXVII. Hect. Boeth.

lib. VII. *Histor. Scot.* in fine: "Palladius Servanum episcopum, ad Orcades insulas missum ut populum rudem Christiana pietate institueret, creavit, et Tervanum, quem infantem lustrico laverat fonte, Pictorum archiepiscopum constituit." Hunc, etsi Martyrologii tabulis non ascriptum, nostrates religioso semper obsequio coluerunt; templumque Abernetheae cathedrale ei dicatum, ac multa alia in eo regno. Scripsit *Exhortationes ad Pictos* lib. I.

Contra Pelagianos lib. I. Homilias ex Sacra Scriptura lib. I.

Claruit anno ccccxl. Obiit Abernetheae, quae Pictorum regia, ubi sacratissimas ejus reliquias totius regni populus religiosa frequentatione venerabatur. Meminit et Anton. Possevin. *Apparat. Sacr.* pag. cclxviii.

#### S. THOTNANUS AP. 1108.

S. THOTNANUS, Peregrinus cognomento, sive Totnanus, socius peregrinationis S. Kiliani, et martyrii particeps, ut in Martyrologio Romano habetur die VIII. Julii, quo sanctissimi martyris memoriam ecclesia recolit. Hic a Petro Galesinio Jornanus, a Francisco Maurolyco Romanus dicitur, nisi et hi diversi fuere, cum illo passi. Usuardus cum sociis, quos non nominat, passum scribit. Anonymus auctor apud Surium tom. IV. die dicto constanter Totnanum nominat. Ejus commemorationem reponit in diem XVII. Martii Artimanus monachus in Annalibus, et ex eo Galesinius. Scripsit

*Acta Kiliani magistri* lib. I.

Floruit anno dclxxxix. Vide quae in S. Kiliani rebus relata sunt a me supra hoc opere lib. X.

#### S. TOLMANNUS AP. 1109.

S. TOLMANNUS et ipse socius martyrii cum S. Kiliano, supra loco laudato. Sic diserte eum nominat Sigebertus Gemblacensis *Chron.* ad annum dcxcvii. Scripsit

Ad Gozbertum super Repudio cum Geilana lib. I.

Floruit anno dclxxxix. nisi forte hic idem est cum superiore, nam

in nominibus propriis saepe scriptores peregrini labuntur; et ex Scotia cum duo tantum cum S. Kiliano venerint Herbipolim, duoque tantum sint cum illo passi, credibile videri potest hunc cum superiore eundem esse, quem malui bis hic laudatum, quam semel<sup>o</sup>omissum: tu videris, studioso lector.

## S. TIGERNACUS E. 1110.

S. TIGERNACUS episcopus et confessor in Scotia, ait Joannes Molanus Addition. in Usuardi Martyrolog. die v. April. nec plura de eo deprehendi.

Quo tempore floruerit, aut quando obierit, haud facile constituo: putant claruisse anno DCCCXXIII. Breviar. Scot. et Calendar. Adami Regii.

## S. TRUMWINUS E. 1111.

“ S. TRUMWINUS, monachus Streneshalcensis, episcopus Pictorum, doctrina et sanctitate multum venerabilis, post multos labores episcopatum deserens ad dilectam sibi vitam monasticam reversus est, ubi non sibi solum, sed et multis tam verbo profuit quam exemplo.” Verba sunt Trithemii lib. iv. de Vir. illustr. Ordin. S. Benedicti cap. CLXVII. Meminit Beda in Vita S. Cuthberti cap. XXIV. ubi sanctissimum antistitem vocat. Abbatem Ebercurni vocat Huntindoniensis lib. iv. Hist. pag. CXCII. Scripsit

Decreta Synodi lib. I. Huic sub Egfrido rege praefuit S. Theodorus. Vide hoc ipso libro alibi.

Floruit anno DCLXXX.

## S. TESANUS. 1112.

S. TESANUS, frater S. Gibirini, in Galliam sanctae ipsius peregrinationis socius. Flodoard. lib. iv. Histor. Rhemens. cap. IX. Vide supra hoc opere lib. VII. Scripserit aliquid necne, pro comperto non habeo.

Floruit anno MCXLII. Auctar. Gemblacen. anonymi eo anno; sed

errat, nam annus fuit DIX. Hic ab aliis S. Helanus dicitur. Vide lib. VIII. supra.

S. TRESANUS. 1113.

S. TRESANUS et ipse unus ex sex fratribus, qui, S. Gibirinum ex Scotia secuti, Gallicam sua pietate Campaniam bearunt. Vide laudati libri locum. Scripta omnia temporis injuria perierunt.

Floruit cum fratribus anno DIX. vel DXXII. ut ostensum. Colitur die III. Decembr. Molan. Natal. SS. Belgii, et Georgius Colvenerius ad Flodoardum.

S. TOTANEUS ABBAS. 1114.

S. TOTANEUS, S. Columbae socius ac discipulus, nec a sanctitate magistri exerrans, eo in Hiberniam transmittente, in Iona insula multorum fuit monachorum pater. Hect. Boeth. lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXVII. et annales alii. Scripsit

Regulam ad Fratres lib. I.

Floruit anno DCVI. Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLII. Iotaneum vocat. Sanctum miracula continua fecerunt, ait Scotichronicon lib. V. cap. XII.

S. TIMOTHEUS P. 1115.

S. TIMOTHEUS, Romae natus patre S. Pudente senatore, matre Claudia Scota, de qua supra hoc opere lib. III. frater fuit S. Novati, et SS. Praxedis et Pudentianae, ut lib. XIII. et lib. XV. est ostensum: quae ibi dicta hic non repeto. Scripsit

Epistolam ad Sorores, quae MS. in Bibliotheca Vaticana extat, ut testatur illustris. Caesar Baronius notis ad Martyrologium die XXI. Julii.

Floruit anno LXXX. aut circiter. Vide Martyrologia locis laudatis.

S. TARVANUS A. 1116.

S. TARVANUS, archiepiscopus Pictorum ea tempestate qua Pictica gens et regnum, funditus excisa, in Scotorum regum de-

venit potestatem, ad quos hereditario jure sanguinis spectabat, alius a S. Tervano, primo populi illius apostolo, de quo hoc libro fusius. Scripsit

Pro Concordia, ad Reges, lib. I.

Vivebat anno DCCC. aut circiter: exstincta Pictorum gente domum rediit, et miraculorum gloria coelestes honores et templa ubique regni promeruit. Cultus die I. Julii. Breviarium Scoticum.

S. THENNA VIDUA. 1117.

S. THENNA Glascuensis, vidua, mater S. Kentigerni, sanctissimis moribus sanctorum consortium merita, claruit anno CCCCLV. Colitur religiose, templis et aris ei dedicatis ubique regni, die XVIII. Julii. Breviarium Scoticum.

S. TARKINUS E. 1118.

S. TARKINUS, episcopus, ut existimo, Sodorensis, Soluathio regi pietate et morum continentia gratissimus fuit. Scripsit

Historias nonnullorum SS. lib. I. Canones Ecclesiasticos lib. I.

De Scala Jacobi lib. I. Historiam Ecclesiae Pictorum lib. I.

De S. Stephano Martyre lib. I. Carmina Sacra lib. I. quae omnia ab haereticis consumpta flammis periissent, nisi viri pii memoriam tanti viri sollicite conservassent.

Floruit anno DCCCLXXXIX. Colitur die XXX. Octobris. Breviarium Scoticum. In Lismore requiescit. Catalogus Dunkeldensis Bibliothecae.

S. TERGUSUS E. 1119.

S. TERGUSUS, ex Culdeorum sanctissimo ordine electus episcopus, pro more illius seculi, mira continentia populum sibi commissum rexit. Scripsit

Homilias ex Sacra Scriptura lib. I.

Vixit anno DV. Colitur ubique regni, sed praecipue in villa Fifensi Glammes, illustrissimi comitis Kingorniae patrimonio. Reco-



litur inibi memoria magno populi concursu die xvii. Novembr. Breviarium Scoticum.

### S. TRUDBERTUS AP. 1120.

S. TRUDBERTUS, origine Scotus, frater S. Rudberti sive Ruperti Saltzburgensium episcopi primi. Idem Truberus audit. Peregrinationem Romanam suscepit cum fratre et sorore S. Erendrude, et anachoretica vita electa, post triennium sanctissime transactum in pago Prinsgangiae ad Rhenum a latronibus securi percussus coelos meruit. Anonymus auctor Vitae S. Rudberti cap. I. et IV. publicavit Henricus Canisius tom. VI. Antiquar. Lection. Ibi ex antiqua historia clare dicitur, "prosapiam traxisse ex regibus Francia et ducibus Scotiae." Monasteria ejus nomini fundata reperies apud Wolfgangum Lazium lib. VIII. Migrat. Gent. pag. CCCXCIII. sed et eodem lib. pag. CCCCX. Bobonem vel Bebonem Landgravium Edelsassiae narrat sanctum martyrem sepeliisse, templum erexisse, quod postea in monasterium excreverat, suppliciumque de latronibus sumpsisse. Coenobium hoc repararunt Luitfridus et Vugo, comites Habsburgenses. Idem lib. XI. pag. DCXVII. Piam hic sedulamque operam convertendis ad fidem Vangionibus praestiterat; ut non immerito eum cum fratre apostolum ea gens colat et veneretur. Scripsit

Homilias ad Vangiones lib. I.

Claruit anno DXC. Vide supra lib. XVI. hoc opere in *Rudberto*. Germania apostolum et martyrem vocat Lazius lib. I. de Austriaca Origine cap. VI. Molan. in Appendice Martyrologii.

### S. TRIDUANA V. 1121.

S. TRIDUANA virgo, amatorias illecebras et mundi delicias spernens, cum nulla alia arte obstare posse videretur importunis amatoribus, effossos oculos amasio misit. Lepidum epigramma est Petri Tausiani Bastidaei Galli:

Ut Triduae oculos sine crimine vidit ademptos,

Attonitus potuit dicere jure procus :  
 Heu quo jure oculi, virgo fortissima, poenam  
 Quam meruere mei, sustinere tui ?

Floruit anno DXXXII. sub Rege Conrano. Colitur die VIII. Octobris. Calendarium Adami Regii.

S. THEWNANUS ABBAS. 1122.

S. THEWNANUS abbas, vir mirae sanctitatis, et singularis in erudiendo populo constantiae, Eugenii etiam VI. regis praeceptor, scripsit Quorundam SS. Vitas lib. I.

Florebat anno DCLXXXIV. Recolitur ejus sacra memoria die XXIII. Septembris. Calendarium Adami Regii, et Breviaria Scotica.

TABULA CARTHUSIANA. 1123.

TABULA provincialis Carthusiani ordinis scribi coepta est cum sub Jacobo II. Scotiam ille intrasset: erat autem multorum monachorum opus, qui eam succedente tempore augebant. Scotichronicon lib. XVI. cap. XIX. Incepit ab anno MCCCCL. finiebatur anno MDLXI. quo Perthanum coenobium dirutum.

THADAEUS ABBAS. 1124.

THADAEUS, sive Tatheus, abbas Scotorum Ratisbonae ad petitionem Domini Conradi praepositi in Illminster, extraxit ex Chronico Fundationis Scotorum pag. XXIX. "Fragmentum Chronici de S. Kiliano, S. Virgilio, S. Lullo, S. Declano, S. Altone." Edidit Henricus Canisius tom. IV. Antiquarum Lectionum.

Floruit anno MCCCCLXVII.

S. THOMIANUS E. 1125.

S. THOMIANUS episcopus ecclesias Scoticas regebat sedentibus Columbano, Chromano, Dimano, et Bathano. Tunc mota est illa

cum Britannis controversia, quae tam anxie nostrates torsit, donec Hilarii archipresbyteri epistolis nomine Honorii I. pontificis admoniti, ad sanio rem mentem et Catholicae ecclesiae consensum redierunt. Cujus sedis episcopatum tenuerit, non est expedire pronum. Memoratur tom. III. Concil. in decretis Honorii cap. XIX. pag. LXIII. Scripsit

Epistolas ad Hilarium, et Joannem, et reliquos S. R. E. locum  
servantes, lib. I.

Super Paschatis Celebratione, contra Britannos, lib. I.

Floruit anno DCLXIV.

#### THEREUS R. 1126.

THEREUS, Scotorum rex VIII. Reutheris regis VI. filius, Nero alter, optimi principis partes principio implevit; tum in libidinem prolapsus, timens optimatum factionem turpi et probrosa fuga Eboracum se contulit, ubi ignobili otio senescens exstinguitur. Scripsit

De optimo Principum Regimine sub initium Regni lib. I.

Epistolam super Exilio suo, ad Regni ordines, lib. I.

Regnavit annis XII. anno ante assertoris humani generis in carnem adventum CXXXVIII. Annales nostri.

#### THEOPHANTUS M. 1127.

THEOPHANTUS Scotus, monachus Benedictinus inclusus ad D. Jacobi in monasterio Scotorum majore Herbipoli, ut ipse non uno loco testatur ad Satyr. II. vers. LXXXII. ad Sat. V. vers. XCV. ad Sat. VI. vers. CCCCVII. ad Sat. XV. in ipso limine, scripsit

Scholia, prout tunc seculi eruditissima, in Juvenalis Satyras, lib. I. Apud me est eleganti manu transcriptus: quem in bibliotheca Cardinalis Sirleti fuisse, nec tamen autographum, exscriptor docet. Meretur lucem, et si otium esset jam prodiisset.

Scribebat in Germania, ibidem inclusus, cum Gerardus episcopus Herbipolensis, " magna civium clade fugatus, majore reductus esset, tanti exitii cometa praenuncio," ut ipse loquitur, ad Sat. VI. vers. CCCCVI. Id. autem incidit in ann. MCCCXCVIII. Anonymus

scriptor Erpeshfordensis in Historia de Langraviis Thuringiae cap. CXLI.

## TECLANUS ABBAS. 1128.

TECLANUS, monasterii S. Jacobi majoris in suburbio Herbipolitano Scotorum coenobiarcha VI. vir pius et literatus, scripsit

Hymnos in laudem Deiparae Virginis lib. I.

Epigrammata sacra lib. I.

Sedit annis II. obiit anno MCCXVII. Chronicon dicti loci.

## TIMOTHEUS ABBAS. 1129.

TIMOTHEUS, ejusdem coenobii abbas XIX. sub Gerardo Herbipolensi episcopo, scripsit

De turbulento Franconiae Statu lib. I.

De Bello Civili, versu, lib. I. Erant ea tempora calamitosissima, ab officio suo, et debita episcopo reverentia discedentibus, sed cito post belli clade domitis, et ad obedientiam redeuntibus, ut lib. IX. supra dixi in *Imaro*.

Sedit annis XIV. obiit anno MCCCXCIX. Trithem. Chronico laudato.

## THOMAS ABBAS. 1130.

THOMAS, et ipse laudati monasterii abbas XXII. sub Joanne de Brun Herbipolensi antistite, scripsit

De Fundatione quindecim Monasteriorum in Germania pro Scotis peregrinis lib. I. Opus non vidi, sed laudat Nini-anus Winzetus, abbas Scotorum Ratisbonensium.

Praefuit annis XX. obiit anno MCCCXXXVII. Chronicon saepe laudatum.

## TOTHADUS E. 1130.

B. TOTHADUS, episcopus Divi Andreae, calamitosissimo seculo Scotticam ecclesiam administravit, cum Normani armis in Angliam irrupissent, Angli in Scotiam transfugi miseris suis modum quaerent. Scripsit

De Britannorum Malis lib. I. In minores Prophetas lib. I.  
Ad Ecclesias Scoticas lib. I. Bibliotheca S. Crucis.

Floruit anno MLXX. Meminit Polydorus Virgilius lib. IX. pag. CLVI. at corruptum nomen censeo, et *Fothadus* legendum, ut in Scotichronico.

#### S. THEBACULUS M. 1131.

S. THEBACULUS monachus primis seculis rem ecclesiae Scoticae, non parum eruditionis et pietatis gloria, promovit. Scripsit

Conciones ad Populum lib. I.

Epistolas ad Ecclesias patrias lib. I.

Veniebat, appellente D. Regulo, cum reliquiis D. Andreae ex Achaia sub annum CCCLXIX. Hect. Boeth. lib. VI. Histor. Scot. pag. cv.

#### ALANUS DE TIFEDALE M. 1132.

ALANUS de Tifedale D. Augusti habitum Romae induit, et scripsit doctissime,

Logicalia Axiomata lib. I. In parva Naturalia lib. I.

Epitaphium Aegidii Romani, Archiepiscopi Biturigum, lib. I. cui perpetuus comes haeserat. MS. Viterbii asservatur.

Aegidii Romani Testamentum lib. I. Latet Cremae MS.

Obit sub Alexandro de S. Elpidio, ordinis generali, anno MCCCCXXI. ut in supplemento Chronicor. Josephi Pamphili, episcopi Siguini, notavit Leonardus Cognean Aurelianensis, ejusdem ordinis socius.

#### S. TYNA M. 1133.

S. TYNA Benedictinus monachum Melrosiae induit, a morum suavitate cognomentum *boni* meruit et accepit, coenobii ejusdem *cellerarius*, ut loquitur Scotichronicon lib. VI. cap. XXXIII. S. Waltheni abbatis ibidem discipulus, et secretorum conscius. Scripsit

Acta magistri Waltheni lib. I. De Eleemosynae Bono lib. I.

Sermones quadragesimales lib. I.

Florebat anno MCLXIV.

## THEODORICUS M. 1134.

THEODORICUS Benedictinus, cognomento Scotus, a patria indito, unus ex iis quos furor tyranni Eduardi Angli Scotia exegit, ut in Scotichronico habetur, vir nec doctrinae vulgaris, et incredibilis pro sui seculi conditione eloquentiae, versu bonus et prosa, et in studiis quae tum maxime vigeabant versatissimus. Scripsit, ut Scotichronicon praefert,

Vitam Sancti P. Benedicti	lib. I. versu.
Theologicas Determinationes	lib. I.
Quodlibeta	lib. I. Divina scientia.
Epistolas ad Populares	lib. I.

Vixit anno MCCCXX.

## SIMON TAILLERUS M. 1135.

SIMON Taillerus, unus ex septem fratribus quos ipse S. Dominicus regi Scotiae in Gallis agenti commendavit, quique Dominicani apud Scotos instituti fundatores erant, arctissimo nexu Clementi Dumblanensi episcopo virtutis merito conjunctus, ut ex Historia Georgii Neutoni doceor, omnes quidem viro religioso dignas virtutes imbibit, sed maxime musices studio adeo se addixit ut Guidoni Aretino eum aetas illa comparare non dubitarit, nam rudiozem ad id temporis cantus ecclesiastici modulationem ita reformavit, ut Romae, ait Neutonus, Scotia potuisset certare; et plurima edidit, quorum hi sunt apices, nam opera ipsa aevo Neutoni interierant:

De Cantu Ecclesiastico corrigendo	lib. I.
De Tenore Musicali	lib. I. Tetrachordorum lib. I.
Pentachordorum	lib. I. Quibus duobus ultimis "nil utilius, nil elaboratius aetas ea vidit," ait Neutonus.

Floruit anno MCCXL.

## SIMON DE THONDI AB. E. 1136.

SIMON de Thondi Benedictinus, monachus Melrosiensis, ac postea abbas Cogesshali, vir eximiae eruditionis, et singularis

sanctaeque conversationis, cum obiisset Richardus episcopus Moraviae, in ejus locum magno cleri consensu electus, ac x. calendas Februarii in templo metropolitano S. Andreae consecratus. Scrip-

Reformationem Cleri	lib. I.
De regia S. Malcolmi Successione	lib. I.
In Epistolas Pauli	lib. VI.

Electus est abbas anno MCLXXI. consecratus est anno MCLXXII. Scotichronicon lib. VIII. cap. XV. et cap. XVI. Obiit anno MCLXXXIV. Scotichronicon lib. VIII. cap. XXXIII.

#### THOMAS ABBAS. 1187.

“ THOMAS abbas de Londoris, vir magnae sanctitatis,” ait Scotichronicon lib. X. cap. XXXIII. factus ex monacho Calcoensi. Scripsit

Acta Guido I. Abbatis lib. I.

Obiit anno MCCLXXIII. et Joannem ejusdem domus priorem successorem habuit.

#### S. THELIANUS E. 1138.

S. THELIANUS Scotus, incomparabili vir eruditione, ac vitae sanctitate nulli secundus, discipulus S. Davidis Scoti Menevensis archiepiscopi, atque ex Scotia in Walliam comes. Scotichronicon lib. I. cap. XI. In Vita S. Davidis id ipsum plenius probatur. Socios habuit disciplinae, sub sanctissimo illo praeceptore, Kinotum, Paternum, Aidanum, Ismaelem, Modocum, et alios magna ex parte Scotos, et sanctorum numero ascriptos. S. Dubricio ad archiepiscopatum Legionum translato, in Landavensi ei successit, et pie illam administravit sedem, a qua et Landavii cognomentam accepit. Scripsit

Vitam magistri Davidis lib. I. Epistolas ad varios lib. I.  
Conciones pias ad Populum lib. I.

Florebat anno DLXII.

## B. THELESINUS. 1139.

B. THELESINUS, aut Teliesinus, Scotus, et Merlini Caledonii praeceptor, ut in Historia Alexandri Milli Dunkeldensi habetur, vir literarum suo seculo princeps, mathematicus, philosophus, rhetor, poeta eximius, cujus festivum ingenium gens veterum Britonum, seu Walli, plurimi faciunt, nam apud eos obiit, et annis paene quadraginta mansit. Scripta tanti viri perierunt, extant apices.

Vaticinalis Historia lib. I. Vaticiniorum quorundam lib. I.  
Acta Regis Arthuri lib. I. Dubitat Millus, an sit opus ejus.  
Carmina diversa lib. I.

Vivebat anno DXL. Stulte Pitsaeus Cambro-Britannum facit.

## ALANUS TURONENSIS M. 1140.

ALANUS Turonensis dictus, vel quia in majore monasterio Turonensi diu vixit, vel quia Turonensis erat monachus. Vocabantur autem Turonenses apud Scotos monachi Benedictini qui ex illa Francica congregatione fuerant, quibus permulta erant in Scotia coenobia, sed caput omnium Kilwinnin. Scripsit

Historiam Comitum de Galweia lib. I. eruditum et exquisitae elegantiae opus, cujus apud me multa fragmenta.

Fundationes Coenobiorum lib. I. Rhythmos Latinos lib. I.

Perduxit historiam suam ad annum MCCCL.

## THOMAS ABBAS. 1141.

THOMAS alius, ejusdem monasterii coenobiarcha xxx. vir paupertatis religiosae amantissimus, et voti monastici tenax, scripsit

Meditationes solitarias lib. I.

Sedit annis XI. obiit MCCCCLXXXIII.

## B. WALTERUS TREILL. 1142.

B. WALTERUS Treill praeclaro elogio audit apud Scotchironicon lib. VI. cap. XLV. " Pugil ecclesiae, miles legum, doctor



canonum, et omnibus artibus liberalibus praeditus, Clementi VII. familiarissimus, Avenione referendarius et auditor praecipuus, non electus, sed spontanea provisione papae episcopatu Sanctandreamo impositus, mortuo Wilhelmo Landalli. Ad cujus eximiae commendationis titulum, audita vacatione episcopatus S. Andreae, fertur de eo papam retulisse, quod idem Walterus dignior, iudicio suo, erat papatu quam episcopatu." Erat hic, ut ejusdem libri cap. XLVI. habetur, "mediocri prosapia genitus, et nobilitate morum genus excessit. Censor morum et corrector vitiorum, quo nullus severior in corrigendo, mansuetior in miserando, profusior in expendendo, affabilior in loquendo, promptior in subveniendo." Columna ecclesiae, et vas eloquentiae dicebatur: cui hoc epitaphium apposerunt:

Hic flos ecclesiae, directa columna, fenestra  
Lucida, thuribulum redolens, campana sonora.

Scripta ab haereticis, Knoxio duce, exusta, sed apices hos accepi:

De Curia Avenionensi Relationes	lib. I.
Decreta Synodalia	lib. I. De Christiana Militia lib. I.
Tractatus in Jure Civili	lib. I. De Indulgentiis lib. I.
De Excommunicatione	lib. I.
Solennes in Jure Canonico Quaestiones	lib. I.

Electus est anno MCCCLXXXV. Obiit vero MCCCCI. post quem ecclesia ea pastore caruit xxx. mensibus totis: dicam in successione illius sanctae sedis. Beati titulo eum honorat Brunus, ex actis illius ecclesiae.

#### S. TURGOTUS AB. E. 1143.

S. TURGOTUS, vel Turgodus, Roger. de Hoveden Annal. part. I. pag. CCLXX. magni nominis vir, S. Malcolmo III. regi ac S. Margaretae reginae a secretis. Audiendus Hect. Boeth. lib. XII. Histor. Scot. pag. CCLX. "Malcolmus, diruto veteri Dunelmensi templo, novi fundamenta jecit, Wilhelmo sacrae illius sedis episcopo, et Turgoto priore, viro sanctissimo eruditissimoque, qui post aliquantum temporis S. Andreae factus episcopus vitam S. Mar-

garetæ et Malcolmi regis conscripsit, vernacula quidem lingua, sed non minori elegantia quam pietate veritateque, ut qui illis familiarissimus, dum viverent, fuerit, optimusque testis utriusque virtutum suarum extiterit. Idem Turgotus, ubi aliquandiu maximo cum fructu munus suum administrasset, vita defunctus, et in Dunelmiam delatus, ubi prioratus officium antea gesserat, sepultus est. Ejusdem illius Turgoti suasu Malcolmus Trinitatis templum ad Doumfermitem condidit, sanciens ut exinde esset commune regum sepulchrum." Eadem alii annalium nostratum scriptores. Errore in duplici versatur apostata Balæus: primum Domifermitem urbem rogatu Turgoti structam ait a Malcolmo, cum non urbis ille sed templi S. Trinitatis conditor; deinde archiepiscopum S. Andreae facit, cum archiepiscopatus Fani S. Andreae trecentis post illum annis non fuerit institutus. Sed facit quod solet. An SS. numero Turgotus ascriptus sit, ambigi a quibusdam video, nec ego pro certo affirmarim; unum constat, religiosissimam eum duxisse vitam, nec sine sanctitatis opinione obiisse postea. In Indice Henrici Sinclari reperi eum sancti nomine celebratum, et Hovedenus, tota vita recensita, eum "nobilissimum sanguine et vita sanctum" describit part. I. Annal. pag. CCLXI. et CCLXIX. Scripsit

Vitam Malcolmi Regis	lib. I.
Vitam S. Margaretae Reginae tis Boethius.	lib. I. Utriusque tes-
Annales sui Temporis	lib. I. Latine, cum pri-
	ora duo opera vernacule edidisset, et eleganti stylo.
Chronica Dunelmensia	lib. I.

Florebat anno MCV. quo res gloriose in Palaestina gerebantur sub Rege Gothefredo, vel anno MCLXXX. ut ait Arnold. Uvion lib. II. Lign. Vitae pag. CCXXVII. qui a Balæo deceptus archiepiscopum facit. Dissentit nonnihil Anton. Possevin. Appar. Sacr. pag. CCCXXXVI. "Turgotus Dunelmensis decanus anno MCVIII. Scotus." Parum est de anno dissidii, nec multum refert decanus an prior fuerit. Meminere et alii, qui non ad manum. Ultimum priorum facit G. Malmesburiensis lib. III. de Gestis Pontificum Anglorum pag. CLVIII. id agente Ranulpho antistite.

Consecratus antistes ab Ulrico cardinali cal. Augusti anno MCIX. obiit anno MCXV. Hoveden. pag. CCLXX. depositus XXIII. Octob. reliquiarum relatio IX. Novemb.

S. TUDA E. AP. 1144.

S. TUDA sive Judas. Arnold. Uvion lib. II. Lign. Vitae pag. CCXLVI. "Aidanus, Finnanus, Colmannus, Eata, Tuda, episcopi Scotorum." Huntindon. lib. III. Histor. pag. CXCI. Anton. Demochares Sacrif. Missae tom. III. cap. XXXIX. Quartus episcoporum Scotorum qui ecclesias Anglicanas rexerunt, nam Aidanum, Finnanum, et Colmannum ipse secutus. Beda lib. III. Histor. Ecclesiast. Gen. Anglor. cap. XXVI. "Reverso autem patriam Colmano, suscepit pro illo pontificatum Northanhymbrorum famulus Christi Tuda, qui erat apud Scotos austrinos eruditus, atque ordinatus episcopus, habens, juxta morem provinciae illius, coronam tonsurae ecclesiasticae, et Catholicam temporis Paschalis regulam observans, vir quidem bonus ac religiosus, sed permodico tempore ecclesiam regens; venerat enim de Scotia, tenente adhuc pontificatum Colmano, et diligenter ea quae ad fidem et veritatem pertinent, et verbo cunctos docebat et opere." Eadem ex illo Franc. Godwinus, qui antistitem Anglorum nuper historiam, seu verius nomenclaturam, contextuit. Monachus Scoticus fuit. Trithem. lib. IV. de Vir. illustrib. Ordin. S. Benedicti cap. CLV. Matthaeus Westmonasteriensis ad annum DCLXIV. "Colmannus episcopus Lindisfarnensis, cum suis ad Scotiam reversus, cujus loco Tuda episcopus ordinatur." Eadem narrat etiam Florentius Wigorniensis ad illum annum, et alii. Scripsit

Ad Ecclesias Northumbricas lib. I. De Paschae Celebr. lib. I.

Episcopatum suscepit anno DCLXIV. et paulo post tempore obiit. Colitur die XXI. Octobris. Petri Canisii Martyrologium. Peste peremptus, sepultus in Hemalel. Huntindon. lib. III. pag. CXCI.

S. TRUMHERUS A. F. E. 1145.

S. TRUMHERUS, Oswini regis propinquus, erat enim nobilissimis parentibus genitus, patre Scoto regii sanguinis, matre Angla

itidem stirpis regiae, in loco ubi rex interemptus coenobium erexit Ingethlingense, ejusdemque fuit abbas, et episcopus III. Lichfeldiae. Meminere iidem auctores Wigorniensis et Westmonasteriensis in anno laudato. Franc. Godwin. pag. CCCLXIII. Arnold. Uvion lib. II. Lign. Vitae cap. XLVI. qui Tunherum vocat. Volunt eum nonnulli non Scotum, sed in Anglia natum, in Scotia vitam monasticam edoctum, ut ea aetate moris erat in Scotorum coenobiis nobilitatem Anglicanam erudiri. Joannes Pitsaeus aetate VIII. Scripsit

De Officiis Ecclesiarum lib. I. Homilias ex Sac. Scriptura lib. I.

Epistolas ad Ecclesias Scotticas lib. I.

Floruit anno DCLXIV. obiit in episcopatu suo, sepultus in aede majore: in annum DCC. reponit Joannes Pitsaeus, sed parum refert.

#### GULIELMUS TURNBUL E. 1146.

“GULIELMUS Turnbul, episcopus Glasguensis,” ait Hector Boethius lib. XVIII. Histor. pag. CCCLXXVIII. “gymnasium generale, haud incelebre inter Scotiae scholas mox futurum, in Glasguensi civitate instituit. . . . Quam institutionem multorum nobilium, sed post emensum annum, mors sequuta est. Fuere autem inter eos praecipui Wilhelmus comes Erroliae, regni comestabulis, Georgius Crychtoun, Cathanesiae comes,” Alexander Lindesay, comes Craufordiae, et alii. Scripsit

Ad Academiae suae Professores Orationem lib. I.

Academiae Glasguensis Statuta lib. I. quae ad academiae Parisiensis normam effinxerat.

Floruit anno MCCCCLVII. quo a Nicolao V. PP. academiae erigendae jura seu bullas accipiebat; quo anno excesserit, non comperi. Fuerat primum privati sigilli custos, tum episcopus Dunkeldensis, Joannis Railstoni successor.

#### ADRIANUS TURNEBUS. 1147.

ADRIANUS Turnebus, ex eadem nobilissima ortus familia, in Gallia in Neustria natus, patre uno ex palatinis qui ex hac nostra gente ad custodiam regum Franciae longa consuetudine

solent assignari, matre Galla ; locus ei natalis castellum Andeliacum non longe Rothomago ad Sequanam. Fuit philosophiae et Graecarum literarum professor Lutetiae regius doctissimus, ac criticorum parens. Scripsit multa, ego omnium apicum non memini, nec libri sunt ad manum ; succurrunt tamen Adversariorum lib. xxx. quibus certo ordine auctorum loci, quos ipse auctor omiserat, margini ascripti, et indices appositi opera Jo. Furdini : inscripti sunt Michaeli Hospitali, Franciae cancellario.

In librum de Fato Ciceronis Commentarius.

In libros de Legibus ejusdem Commentarius.

In libros de Divinatione ejusdem Commentarius.

Praefationes solennes lib. I. Epistolae ad diversos lib. I.

Carmina varia lib. I. et in his nobilissima Silva de Expugnatione Caletiae duce Guisio.

In Nicandrum Scholia lib. I. et in alios auctores Graecos Observationes.

Scribebat anno MDLXIV. Scotum fuisse, acta familiae leguntur, ut mihi saepe referebat v. CL. filius ipsius, summus Lutetiae senator, quem virtutum, non nominis modo, heredem immaturum ex sacro ordine ante triennium mors rapuit.

#### TYROL REX. 1148.

TYROL rex Scotorum, ut opinor, non rex fuit inauguratus, sed ex regio sanguine, ut hodie in Germanis omnes ducum, comitum, marchionumque filii duces, comites, et marchiones audiunt. Et quia in annalibus nostris nulla ejus omnino mentio, amplius censeo inquirendum, et ex veteri S. C. formula N. L. pronuncio. Meminit Wolfram von Eschenbach, sive Wolfaranus, Carm. LXX. de Daemone annulo incluso, et Epitomator. lib. II. et Boppo Carn. CXL. Scriptores Germani eum in comitatu imperatoris egisse produnt ; quo tempore aulam etiam sequebantur, aut carmina sua ejusdem operibus junxerunt, Henricus imperator, Conradus rex Romanorum, Venceslaus Bohemorum, Henricus dux v. Ratislaviensis, Otto marchio Brandenburgensis, Henricus marchio Misniae, N. dux Ascaniae, Joannes dux Brabantiae. Scripsit

Paraenesim ad filium Fridebrant lib. I. quod opus ante cccc. annos Teutonice versum, incertum ab eo an amanuensi, edidit ex bibliotheca Bartholomaei Scobingeri Melchior Haminfeldius Goldastus, distinctum in libros duos, ut volunt; lib. I. de Religione, ac Fidei Institutione, lib. II. de Moribus, et Fidei Conformatione. Et quia Wolfaramus quaedam laudat quae his non extant carminibus, suspicantur viri docti non totum hic et integrum opus, sed epitomen tantum contineri. Fides ex prooemio lib. II. ex certa conjectura: nam sic habetur, "liber iste pandit praecepta quae Tyrol rex Scotorum praescripsit filio suo Fridebrando;" quod ab ipso rege esse scriptum non potuit, sed ab epitomaste.

Antiquum sane hoc, et usitatissimum, ut principes liberos suos ipsi ad virtutem praeceptis scriptis erudirent: sic "nullum affectum inveniri, qui vincat paternum," Justinianus Aug. pronunciavit l. ultima C. de Curat. Fur. Ideo nullus tam idoneus ad alta quaeque et egregia dux est, quam parens ipse. Sic filiorum educatores optimi et solliciti plerique veterum sunt in eo genere. Scytheius Thebani regis, Παρρησίαματα apud Napsum Philolaum, et Constantini imperatoris Constantinopolitani Paraeneses ad filium de gerendo imperio, et Manuelis Paleologi praecepta regia ad Joannem filium extant; et Philippum filium praeceptis instruit S. Ludovicus Francorum rex, quae sigillatim recenset Gaufridus de Bello, loco apud Surium tom. IV. die xxv. Augusti. Paria sunt ad commodum Aug. patris Antonini documenta apud Herodianum, et in libris de vita sua: est et pulcherrima Honorii institutio quam ei datam a patre Theodosio jam morituro Claudianus disertissimis versibus induxit, Paneg. de IV. Honor. Consulatu.

Vixit hic, ut coetaneus ei testatur Wolfaramus, tempore Friderici Aenobarbi, hoc est, anno MCLXIII. qua tempestate Malcolmus IV. Scotis imperabat, qui liber bello peregrino privata civium suorum odia et sensit constanter, et fregit fortiter, multis neci adductis, aliis, atque illis quidem potentioribus, relegatis, in quorum fortassis numero et hic noster fuerat Tyrol. Sed aliorum sit haec disquisitio, ego enim nec in re dubia adeo et crepera di-

vinare velim, nec tam praeclara patriae monumenta indicta tacitus praeterire. Ut de patre omnia in incerto et lubrico, ita nec de Fridebrant aut Fridebrando filio quicquam certi erui ex annalium nostratium memoriis potest, ubi natus, qua matre genitus, aut quam vitae conditionem exitumve habuerit.

JOANNES THEMISTOR. 1149.

JOANNES Themistor idem est ac Joannes Dempster, academiae Parisiensis splendor, Venetae reipublicae bibliothecarius; de quo vide lib. IV. supra hoc opere. Scripsit, praeter ea quae ibi loci enumeravi, Actiones forenses pro Academia, dum Rector esset, lib. I.

JACOBUS TYRIUS P. 1150.

JACOBUS Tyrius, Graece Latineque doctissimus, philosophus acutissimus, theologus gravissimus, in societatem Jesu assumptus, docendo, scribendo, plurimum contulit incrementi verae pietati, et haeresis extirpationi adeo indefesso labore incubuit, ut nulli plus ecclesia Scotica quam ei debeat. Scripsit

De Calvini Sectae Perversitate lib. I. Quo plerique nobilium, ad fidem Catholicam conversi, haeresim illam abjurarunt.

Joannes Leslaeus lib. VI. Histor. Scot.

De Ecclesiae Scoticae Antiquitate lib. I. Videre hactenus non licuit, sed docti probant qui legerunt.

In omnia Aristotelis Opera Commentar. MSS. Parisiis.

In omnia D. Thomae Scholastica lib. I. Dicuntur jam prodire.

Obiit phoenix ille religiosorum, sanctissimae inculpataeque vitae, Romae, ordinis sui *assistens*, ut loquuntur, anno MDXCII.

ROBERTUS TURNERUS. 1151.

ROBERTUS Turnerus, medicus sua aetate praeclarissimus, scientiam suam renovando patriae honori, et antiquitatibus impendit eruendis, quarum et erat et habebatur callentissimus,

religionis Catholicae formidolosis temporibus praecipuus assertor, et beatae Mariae reginae, sanctissimae feminae, vindex acerrimus, illam in Angliam secutus. Scripsit

Scotorum Historiam lib. xx. Non prodiit quod sciam, sed latet alicubi suppressa.

In Galenum Observationes lib. i.

De Sanguinis Missione lib. i.

De Animae Substantia lib. i. Brunus in Collectaneis.

Floruit anno MDXC.

#### GEORGIUS TAMSONUS P. 1152.

GEORGIUS Tamsonus, vir pius ac Catholicus, ex schola Tyrri, et, ut puto, dum adhuc secularis esset, collega, deinde societatis ejusdem presbyter, scripsit

De Antiquitate Catholicae Religionis apud Scotos lib. i. Videre non contigit, etsi Apparatus suo Possevinus inseruerit.

Floruit anno MDXCV.

#### GEORGIUS TAMSONUS ALTER, H. 1153.

GEORGIUS Tamsonus alter, sed solo nomine priori similis, Calvinista impurus, in Galliis diu versatus. Ejus sunt, ego vidi tantum

Controversias Religionis Gallice lib. i. opus scelestum.

In Justi Lipsii Politica lib. i. Respondit Lipsius, sed eum non nominavit, quare ille commotior denuo stilum strinxit, et percurrit pleraque ejus opera saltuatim hoc elogio libelli: Censurae in Opera Justi Lipsii lib. i.

In Justi Lipsii Divam Hallensem lib. i.

In Justi Lipsii Divam Aspricollem lib. i. Duo sunt in Belgio loca ubi magna miraculorum frequentia Diva Virgo ab incredibili populi concursu frequentatur; ea miracula vir pius ultima senecta describit, haereticus propudiosus irridet, et scelerate impugnat.

Joannis Naperi Merchistonii Commentarium in Apocalypsin Gallice vertit, et non bona fide, lib. i.

Obiit Chastinereae in Pictonibus anno MDCVIII. aut circiter.



# HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

## LIBER XIX.

S. WENDELINUS AB. R. F. 1153.

S. WENDELINUS, Teloienſis abbas, Mordaci regis filius, poſt multas peregrinationes Teloium venit ad monaſterium S. Mauriti, cui a S. Pirminio praefectus, ſanctiſſime vixit obiitque. Super conditi ſepulchrum ingenti basilica ſtructa, magno populi devoti concuſſu civitas facta, nomen etiam hodie retinet. Franc. Irenic. Exeges. German. lib. XI. Petr. Cratepolius de Episcop. German. Herebert. Roſweyd. Georg. Garnefelt, et alii. Altum eſt apud noſtrates ſcriptores ſilentium de eo. Meminit anonymus auctor Oraculi Anachoretici lib. IV. cap. XX.

Wendelinus erat Scotorum e ſanguine regum,  
Et ſanguis regum ſponte regebat oves :  
Poſt homines rexit, quos ſancta tenebat eremus ;  
Urbs quoque, nunc hujus nomine dicta, manet.

ſcripſit vero vir ſanctiſſimus

Regulam monaſticam lib. I. quam audio ibidem aſſervari MS.

Omnes quos hic laudavi, diſerte Scotum dicunt, et praeterea v. cl. Joannes Gualterius Chronico Chronicorum tom. III. pag. MCCCCLVI. “ S. Wendelinus e Scotia ex praeclariffimo genere.”

Floruit anno DCCXXX. Colitur ab eccleſia ejus memoria die XX. Octobris, Arnold. Uvion lib. IV. Ligni Vitae cap. XXIV. et lib. III. ejusdem operis pag. CCCXLVI. vel die XXI. Octob. Uſuardi Additiones Molani. Sunt qui putent eundem eſſe Vandelinum, S. Arnulphi Metenſis epiſcopi fratrem, Franc. Rozières tom. II. Stemmat. Lotharing. cap. XLVII. Trithemius lib. VII. de Vir. illuſtr. Ordin. S. Benedicti cap. LXXIX. quod ſi verum eſt, oportet primum fuiſſe Trevirenſem, deinde abbatem Teloienſem, quod non eſt

vero absimile : deinde etiam sequitur S. Arnulphum gente fuisse Scotum, quod non modo negat Stemmatis Lotharingici auctor Rozieres, sed et plerique ejus vitae alii scriptores, apud Bedam tom. I. **Colitur die xx. Octobris.** Martyrologium Anglicanum.

**S. WINFREDUS AB. R. F. 1153.**

**S. WINFREDUS**, alio nomine Fridelinus vocatus, Conrani Scotiae regis filius, Angiae Seckingi monasterii ad Rhenum monachus et abbas. Joannes Leslaeus lib. IV. Petr. Cratepol. de Episcop. German. et alii. Vide lib. VI. hoc opere supra in *S. Fridelino*, Arnold. Uvion. lib. VI. cap. XXIV. Floruit anno DLX.

**S. WILHELMUS E. 1154.**

**S. WILHELMUS**, episcopus in Cathenesia, generis nobilitate, sed multo magis sanctitate, clarus, scripsit

De Bello sacro suscipiendo, ad Cruce signatos, lib. I. MS. in bibliotheca Florentina Gaddia.

Vixit anno M<sup>o</sup>XCVII. **Colitur die VI. Januarii.** Breviar. Scot.

**S. VIMINUS E. 1155.**

**S. VIMINUS** episcopali honore quam rexit ecclesiam, incertum. Scripsit

Lecturam in Threnos lib. I.

Meditationes in Psalterium lib. I.

Claruit anno DCCXV. **Colitur die XXI. Januarii** templis non uno regni loco ei erectis. Breviar. Scot. et Calendar. Adami Regii.

**S. WASNULPHUS E. 1156.**

**S. WASNULPHUS** Quilhort, seu Vagnulphus, ut alii, ex episcopo monachus. Arnold. Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. CCCXXIII. **Colitur in Condatensii Hannoniae celebri territorio, quod titularis episcopus, ut loquitur Aubertus Miraeus lib. de Cano-**

nicor. Colleg. cap. XVI. in paganorum conversionem strenuam ibi operam navavit. Martyrologia Ecclesiarum Belgicarum sic de eo habent: "Qui de Scotia insula marina veniens in saltum Theraschiae, in loco qui nunc vocatur Cella, multis diebus laudabilem vitam duxit; postea vero ductu angelico ad monasterium Dei genitricis Mariae Condatum perveniens, ibi usque ad obitum Domino servivit." Chronographus Cameracensis anonymus ad Gerardum II. "Apud villam Condatum quondam regalis erat et dives abbatia puellarum in honorem S. M. Virginis, deinde prae inopia paucorum extitit monasterium canonicorum, ubi Sanctus Wasnulpus, transcurso hujus vitae feliciter stadio, in pace quievit, multis annis clarus miraculis. Scotus hic erat natione." Haec ille. Praebendas canonicorum tredecim primus in S. Wasnulphi memoriam instituit Arnoldus Hannoniae comes, qui et Hiberum Cameracensem antistitem vi pulsum sedi suae restituit. Scripsit

Contra paganos Ritus lib. I. Chronica Hannoniae MSS.

Epistolas ad S. Vincentium Hannoniae Comitem lib. I.

Evangelii lucem rudi illi populo diffundeat anno DCLL S. Vincentii enim Historia hunc ad illum saepe Condato in montem altum migrare solitum testatur: igitur cum sit illi principi coetaneus, non est dubium quin eo quem dixi anno floruerit. Donevaldus IV. Scotiae rex, ea ipsa tempestate opem Divo Osualdo regi praestabat. Hinc, etsi Martyrologii Romani tabulae sileant, celeberrima religione colunt Belgae. Memoria habetur I. Octobris, Molano in Additionibus Usuardi auctore.

#### S. WINFRIDUS A. AP. 1157.

S. WINFRIDUS, seu Bonifacius, apostolus Germaniae, supra lib. II. hoc opere, Joannes Leslaeus lib. IV. Histor. Scot. pag. CXLVII. falso dicitur imperatoris cognatus a Leone Marsicano lib. II. Histor. Casinat. cap. LIII. Suum civem Angli faciunt, ego Scotum et in Anglia tantum educatum docebo fuisse. Marian. Scotus lib. III. Chron. anno DCCCCXXXVII. "Monasteria SS. Scotorum San-

cti Galli et Sancti Bonifacii igne consumuntur." Explicat diffusius Joannes Trithemius lib. de Scriptor. Ecclesiast. pag. CCXLIX. "Bonifacius, primus archiepiscopus Moguntinus, natione Scotus, monachus ordinis S. Benedicti, cum esset puer quinque annorum, a parentibus suis monasterio in Anglia, quod Mischele dicitur, oblatum est, in quo literis ac moribus studium impendens vir et doctus et sanctissimus evasit." Infra paulo hic multa vide apud anonymum auctorem vitae S. Lebuini quam habet Surius tom. VI. die XII. Novembris. Auctorem putant Hucbaldum monachum Elmonensem. Is ergo quamplurima de ipso cap. VII. Socii in Germania illius et coepiscopi nominantur Wera, Burckart, Warbet, Abel, et Willibald. Ipse epist. XIX. in editione ultima Bibliothecae SS. Patrum tom. VIII. Varie nomen scripsere ipsius. Winfrithus est ibidem vocatus ab Eangith abbatissa epist. XXXVIII. Tortelmo episcopo consentiente epist. XLIII. Winfretus, Ethelbertus rex epist. XL. Winfrithus, Daniel episcopus Ventanus epist. XXXIII. Winfredus, Egburg. discipula ipsius epist. CI. Varia etiam dignitate eum compellant: Missus, vel Legatus Germanicus, epist. XCVII. Discipulus Romanae ecclesiae epist. XCI. Abbas Winfredus epist. CI. Archiepiscopus provinciae Germaniae, Gemmulus Diaconus epist. CXLIX. Legatus Germanicus ab apostolica sede directus, Pipinus rex epist. CLI.

Epistolae istae editae sunt ultima SS. Patrum Bibliothecae editione pag. LXVII. sed diu antea ediderat notisque illustraverat Nicolaus Serarius Societatis Jesu presbyter, vir pius, et, licet Scotiae meae injurius, juvandis literis natus. Has Illyricus haereticus sacrilege e bibliotheca Fuldensi subtractas foede laceraverat et mutilaverat. Idem Serarius lib. III. Moguntin. nota XVI. pag. CCCCLXVI. Et, ut semel dicam, epistolae illius, praeter principes et privatos viros, ad quinque pontifices diriguntur, scilicet Gregorium II. Gregorium III. Zachariam, Stephanum III. Leonem III. nam ad Stephanum II. qui Gregorio III. successit, quod biduo tantum sederit, non scripsit, uti nec ad Paulum I. nec Stephanum IV. nec Adrianum; ut suspicer epistolas ad illos ab eo datas interiisse. Extant etiam ad ipsum responsoriae pontificum

literae, et una cum ejus leguntur epistolis, quibus ille Scotus dicitur, etiam sacratissimo S. Zachariae rescripto. Marian. Scotus lib. III. Chronicor. ad annum DCCXLIII. "Epistola Zachariae papae ad Bonifacium Scotum, Moguntinensem archiepiscopum;" ut nulli deinceps dubitandi locus relinquatur de gente. Adelmus Benedictinus Francor. Reg. Annalib. ad annum DCCLIV. Scripsit, praeter ea quae supra lib. II. posui hoc opere,

Consultationem, an Trajectensis Ecclesia sine medio ad Sedem Apostolicam pertineret, lib. I. Joann. a Beca in Histor. veterum Episcoporum Ultrajectinae Sedis, et Comitum Hollandiae, pag. IX. Meminit et Anastasius Bibliothecarius in Gregorio II. pag. xcv.

Ejus vitam, praeter S. Willibaldum episcopum, et discipulum, scripsere multi; anonymus apud Surium tom. III. die v. Junii, Vicerius in Hagiologio. Ruthardus, discipulus Rabani Mauri et Strabi, passionem S. Bonifacii archiepiscopi heroico carmine pulcherrime duobus libris descripsit, ait Joannes Trithem. Chron. Hirsaug. ad annum DCCCLXIV.

Antequam archiepiscopatum Moguntinensem administrasset, fuit Trajectensis episcopus. Joann. Molan. Addition. Usuardi die v. Junii, Joannes Beca, et Wilhelmus Heda in Histor. Episc. Trajectens.

#### S. WILLIBALDUS AP. E. 1158.

S. WILLIBALDUS, discipulus S. Winfredi, ac coepiscopus, ut supra in eo est ostensum, S. Bonifacii ejusdem *comprovincialis* vocatur ab Hermanno Contracto in Chronico ad annum DCCXLVI. Arnold. Mirman. Theatro Convers. Gentium. "Episcopi Scoti universis passim per Germanias ecclesiis praefuere, Willibaldus et Winnibaldus Scoti." Jo. Frisius Bibliotheca Philosophorum pag. DCCCCXVI. "Willibaldus, natione Scotus, episcopus primus Eistetensis." Anglum facit impius Balaesus, ut solet, nullo argumento, ut et maledicus Lelandus, et indoctissimus Capgravius. Frisium Germani contendunt, et in his Arnoldus Uvion lib. II. Lign. Vitae cap. xxxvii. qui Casinensem facit monachum, S. Bo-

nificii ex Bonna sorore nepotem, et SS. albo ascriptum a Leone VII. instante Megingoso episcopo Eistatensi; quod versus isti indicant:

Hanc Willibaldo Pharam construxerat almo  
Praesul devotus Mengosus, nomine clarus,  
Qui pius hunc sanctis precibus conjungit eundem  
Turmis angelicis coelesti nomine sanctis.

Anton. Possevin. Appar. Sacr. pag. CCCXLIX. Adeo nos felices sumus, O vestram fidem Hercules vindex. Ego Scotum fuisse bonis testibus aio. Joann. Trithem. de Scriptor. Ecclesiast. pag. CCXLIX. "Willibaldus, primus episcopus Eistetensis, natione Scotus, frater S. Walpurgae virginis, abbatissae Heidenhemensis, monachus, ac discipulus S. Bonifacii martyris, ordinis S. Benedicti, vir doctus atque sanctissimus, ingenio et eloquio clarus." Joann. Molan. Addition. Usuard. Martyrolog. die 1. Maii: "Willibaldus, primus episcopus Eistatensis, natione Scotus." Gaspar Bruschius lib. de Episcopatibus, et Reginoldus episcopus XI. Eistatensis, Starchandi successor, qui tribus Othonibus carissimus fuit, vitam scripsit S. Willibaldi et Wunibaldi fratrum, obiitque anno DCCCCLXXXIX. Scotum hi fuisse asserunt. Haec de patria satis.

Discipulum dixi S. Bonifacii fuisse; id probat Othlonus Fuldensis in Vita S. Bonifacii lib. I. pag. CCCXXIII. Hic est auctor illius vitae quam Surius sub anonymi titulo edidit; verum auctorem fuisse membranae Rebdorffensis coenobii prope Aichstadium docent. Othlonum edidit Henricus Canisius tom. IV. Antiquar. Lec-tion. "Is ergo in provinciam patriamque suam mittens, exinde tam foeminas, quam viros religiosos, scientiaeque varia imbutos plures venire fecit, suique laboris onus inter eos divisit, inter quos erant praecipui quidem viri, Burchardus, et Lullus Willibalt, et Wunibalt frater ejus, Wittas, et Gregorius: foeminae vero religiosae, matertera scilicet S. Lulli, nomine Chunihilt, et filia ejus Beraghgit, Chunidrut, et Tecla, Lioba, et Waltpurgis soror Willibaldi et Wunibaldi:" quae si vera sunt, omnes isti Scoti et Scotia acciti erunt; cum tamen omnes hucusque scriptores, quod sciam, genti nostrae injurii, plerosque eorum Anglos fecerint, ego de-

libero. Notkerus Balbulus non. Junii: "S. Bonifacius martyrium consummavit cum Eobano episcopo, et aliis servis Dei, quorum haec sunt nomina; Wintrug, Walthere, Skirwald, Bosan, Hamund, Hethere, Wacchar, Gundacar, Willethere, Hadonolf; de quorum collegio fertur fuisse Willibaldus virtutibus et doctrina clarissimus."

Eodem tempore quo ex Scotia in Germaniam venit ad Bonifacium Willibaldus, episcopus consecratus est Aichstadianus, seu Eistatensis, ut et Burchardus Herbipolensis, Gaybaldus Ratisbonensis, Joannes Saltzburgensis, Ermbertus Frisingensis. *Histor. de Fundatione Ecclesiae Illinimensis, et Translationis almi Confessoris et Pontificis Arsacii*, pag. CCCCLXXI. Meminit Ermenoldus Diaconus in *Vita S. Solae* pag. DXLVIII. "Habuit Beatus Sola, post gloriosum triumphum martyrii S. Bonifacii archiepiscopi, dominum Willibaldum episcopum, et Winnibaldum germanum ejus, presbyterum, adjuutores sui laboris, qui ei ut propriae gentis viro omnibus his in locis adminiculum et solatium praebebant:" ergo et S. Sola Scotiae originis fuit, sed alia mens Ermenoldo, de cujus fide inquirendum censeo. Larga honorataque memoria illius apud Philippum XXXIX. episcopum Aichstadianum in *Vita S. Walpurgae virginis* pag. DLXXII. Adi ad Wolffhardum monachum Haseurietanum in *Vita S. Walpurgis* pag. DCVII. qui omnes in eo conveniunt, et laboriose et sancte commissam sibi a S. Winfrido ecclesiam administrasse: narrat copiose B. Marcellinus in *vita Suniberti* cap. XIV. apud Surium tom. II. die I. Martii.

Sanctissima ejus memoria recolitur ab ecclesia die VII. Julii. *Martyrolog. Roman.* "In Saxonia S. Willebaldi, primi Eistetensis episcopi, qui una cum S. Bonifacio laborans in evangelio multas gentes convertit ad Christum." Eadem alii martyrologiorum scriptores. Usuard. *Add. Maurolycus, et Galesinius. Scripsit*

*Vitam S. Bonifacii, non ineleganti stilo, lib. I. aiunt haeretici Magdeburgenses Centur. VIII. cap. X. col. DCCCX.* "quem ante editionem Lullus et Megengandus inspexerunt et approbarunt." In catalogo tamen Trithemii non liber I. sed libri II. sunt, nisi error sit librarii.

Sed de vero scriptore vitae hujus ingens disceptatio et dubitatio est: de prólogo ex cap. I. et cap. V. notat Christoph. Browerus Not. ad Vitam S. Gregorii pag. XIX.

De Vita S. Walpurgis Sororis lib. I.—Utrumque opus interiit, certe neutrum prodiit, licet Gesnerus in Bibliotheca et epitomastes ejus Simlerus librum de Vita Bonifacii extare putent, cum sit a Surio edita sub nomine anonymi. Revera auctor sit Othlonus Fuldensis, ut dixi, aut S. Ludgerus. Scripsit

Epistolas ad Scotos et Britannos	lib. I.
Epistolas ad Gregorium Papam III.	lib. I.
Epistolas ad Zachariam Papam	lib. I.

Venit ex Scotia circa annum DCCXLI. Consecratus est primus Eistatensis antistes anno DCCXLVII. Herman. Contract. in Chron. ad eum annum. Obiit anno DCCLV. Baronius et alii consentiunt.

#### S. WUNIBALDUS AB. AP. 1159.

“S. WUNIBALDUS, frater S. Willibaldi episcopi Eistatensis, socius peregrinationis ejus, veniens cum eo post multos labores ad Montem Casinum, et ibidem monachus effectus, multis claruit virtutibus,” ait Trithemius lib. III. de Vir. illustrib. Ord. S. Benedicti. Petrus Cratopol. de SS. Germ. pag. CXLV. “S. Willebaldus, primus episcopus Eistetensis, frater S. Wunibaldi ac Walpurgis, Scotus.” Magdeburgenses Cent. VIII. cap. X. “Wunibaldus, frater Wilibaldi Eistensis episcopi, ad Bonifacium venit, eique comes et socius fuit in deformandis ecclesiis Germanicis.” Atqui illi populares vestros a cultu impuro idolorum ad veram Christi fidem perduxerunt; hocine est, sectarii propudiosi et impii, ecclesias deformare? Vide quae supra in *Willibaldo* sunt dicta.

Vitam hujus nostri sancti descripsit Reginaldus XI. episcopus Eistatensis, sed non prodiit; et monialis quaedam anonyma ex coenobio Heidenheimensi, quam Henricus Canisius publicavit, tom. IV. Antiquar. Lect. pag. DCVI. Hujus nulla mentio in tabulis Martyrologii Romani, sed recolitur a Belgis religiosa ejus memoria die XVIII. Decembris. Joannes Molanus in Indiculo SS. Belgii,



nec alibi memini de illo legere. Auctor illa anonyma abbatem et confessorem vocat in vitae limine, sed ubi non exprimit, nec cui ecclesiae praecesset inveni. Scripsit

Ad Ecclesias Germanicas lib. I. Monuit me vir doctus se quaedam ipsius in Bibliotheca Bavarica vidiſſe, quod tam diu sine nomine latuisse mirandum in tanta scribentium frequentia.

Floruit anno DCCXL.

### S. WALPURGA AB. V. 1160.

S. WALPURGA seu Walpurgis, soror sanctorum Willibaldi et Wunibaldi, ut dixi, et, ut puto, regio sanguine orta, fratres ex Scotia in Germaniam secuta, "abbatissa in Henfdeheim, virgo sanctissimae conversationis, multis virtutibus et signis clara enituit; cujus inclyta gesta diligenter conscripta sunt." Trithem. lib. III. de Vir. illustr. S. Benedicti cap. CCL. Magdeburgenses haeretici, Joannes Balaesus, et Josias Simlerus in Epitome Bibliothecae Conradi Gesneri, Willibaldum sororis suae vitam volunt scripsisse, sed illa periit, aut adhuc delitescit; altera est scripta a Philippo episcopo Eistatensi, sed illa prolixior; tertia ab auctore Wolfhardo monacho Hasenrietano: utramque edidit Henricus Canisius tom. VI. Antiquar. Lection. Wolfhardi sunt etiam de ea versiculi:

Filia regis erat, sed egenam se faciebat  
 Dives, et ut Christo regnaret semper in isto:  
 Quam sit chara Deo, monstrant miracula crebro  
 Quae meritis ejus confert de virgine natus:  
 Ex ejus tumba manat sacra pectoris unda;  
 Servae namque Dei coeli lux splenduit illi.

Errant qui hanc Anglam existimant, cum fratres sint Scoti. Joann. Molan. Addition. ad Usuar. die I. Maii: "Ipso die S. Walpurgae virginis:" in annotationibus deinde subdit *de Walpurgae Bibliotheca*, "Willibaldus primus episcopus Eistatensis, natione Scotus, scripsit vitam S. Bonifacii episcopi, vitam Walpurgae sororis." Quod est intelligendum de translatione ejus, non vero de obitu, nam calen-

dis Maii translata est Eistatam. Obiit v. calend. Martii, Trithemio, loco laudato, auctore. Quod autem regis filiam faciunt, silent annales nostrates, et imperiti ad Anglorum gloriam id trahentes, Richardi regis filiam esse volunt, qui Lucae conditus: sed eo verius puto filiam eam Malduini fuisse, qui LV. apud Scotos regnavit, extinctus anno DCLXXXV. nec tamen certo affirmarim; unum scio ex historicis Anglicis, Richardum regem Anglorum eo seculo nullum fuisse, nec circa illa tempora ullum; sed id Scotiae fatum sanctos suos incuria scriptorum amisisse, et multos nostratium per Angliam transeuntes Anglos falso a peregrinis scriptoribus et rerum nostrarum ignaris habitos, quos ego nunc patriae meae quasi postliminii jure redono, et jure meritissimo in censuales meos refero. Porro Walpurgae Collegium in Zutphaniensi comitatu fundatum. Aubert. Miraeus de Colleg. Canonicor. cap. CI. Meminit B. Marcellin. in vita S. Suniberti apud Surium tom. II. die I. Martii cap. XIV Coenobium ei supra Strasburgum in Foresto circa annum MLXXIV. fundavit Theodoricus comes Montis Belgardi. Wolfgang. Lazius lib. XI. pag. DCXXIII. Scripsit

Vitam S. Willibaldi lib. I.

Vitam S. Wunibaldi lib. I. Publicavit H. Canisius tom. IV. Antiquar. Lection. Sic Hildegardis Bingensis et Bandomina monialis S. Rupertum et S. Disibodum celebrarunt scriptis suis. Trithem. lib. II. de Vir. illustrib. Ord. S. Benedicti cap. CXIX. Sic S. Radengundis, apud Surium tom. IV. praeclare scribit *Hodoeporicon S. Bonifacii* lib. I. erat enim ipsius discipula, et ab eo Heidenheimensi coenobio praeposita.

Floruit cum fratribus anno DCCL. Trithemio teste.

### S. VERANUS E. 1161.

S. VERANUS, S. Gibirini frater, ex Scotia illum in Campaniam Gallicam secutus, religiosam vitam duxit. Flodoardus Presbyter lib. IV. Histor. Rhemens. cap. IX. nec de eo alibi memini me legere, nisi forte sit ille qui a Lerinensi monasterio ad Vericiam episco-

pus translatus est. Tabulae Lerinenses, Arnoldus Uvion lib. III. pag. CCCLXVI. Colitur die XI. Novembris. Scripsit

Homilias de Sanctis lib. I. quas audio Trevis magna cura asservari.

Claruit anno DXXI. Errat Auctarii Gemblacensis auctor, qui ipsum cum fratribus collocavit anno MCXLV. Colitur die XI. Novembr. Usuardi Additiones. Meminit Molanus Nat. SS. Belgii ad diem III. Decembris.

### S. WINOCUS AB. A. 1162.

S. WINOCUM, sive Winiocum, ut habet Jonas abbas Scotus in Vita S. Columbani cap. XVII. Scotam faisse probat, praeter alia, auctoritas Theodoric abbatis monasterii S. Trudensis in vita S. Rumoldi Scoti apud Surium tom. VII. die I. Julii: "Novit hoc ab ortu Aegyptus et India, ab occasu alter pene orbis Britannia cum adjacente Scotia; qui statim ut ab illius aeternitatis sole tacti sunt, illi sub umbra ejus quem desiderabant requiescere, isti ad ardorem usque martyrii festinaverunt incalescere, et studentia anhelantiaque verba in dulce crucis melos didicerunt infringere. Unde autem hoc tam late diffusum germinarium, nisi quia in eorum cordibus coaluerunt Iesu Christi amor et desiderium? Assentit in hoc Herbipolis gloriosa martyr Kiliiani meritis et corpore, nec minus prona SS. Scotorum, et talium et tantorum patrum, gloriosa veneratione: Columbanus Italiam, Bertinus et Winocus illustrant occidentem Galliam, et innumerabiles alii, suis quique in locis." De eo Martyrolog. Roman. die VI. Novemb. "Apud Bergas depositio S. Winoci abbatis, qui, virtutibus et miraculis clarus, fratribus etiam sibi subditis multo tempore ministravit." Ejus vitam scribit anonymus auctor apud Surium tom. VI. qui simpliciter more illius aevi contentus dixisse Britannia oriundum: falso Gallum fecere Meierus Annal. Flandr. lib. I. Robert. Coenalis lib. II. de Re. Gall. perioche VI. Henricus Costerius, pastor Antvepiensis, in Arbore SS. Monasterii S. Bertini, et alii. Scripsit

Regulam ad Fratres

lib. I.

Claruit anno DCXCVIII. Obiit anno DCCXVI. auctore Baronio, vel anno DCCXVII. ut in Chronico Belgico prodit Ferreolus Locrius. Regia stirpe ortum, idem vult, et monachum induisse ad D. Bertini anno DCXKV. et postea monasterium condidit, quod Mons S. Winoci dicitur, aut Voromholt. Molan. Natal. SS. Belgii VI. Novemb. Cujus initium ab Hademaro, qui S. Bertinum heredem reliquit, qui S. Winocum eo cum sociis aliis delegavit, qui praeclarissimo coenobio ortum dedit anno DCXCVII. die V. Sept. Molano auctore. Corpus vero cum LXIV. annis delitisset in Bertiniano coenobio, Danis omnia inundantibus, repertum postea Balduinus Calvus, Flandriae comes, Audomarensibus frustra obstantibus, Bergas transtulit, et in basilica reposuit, quam SS. Winoco et Martino construxerat: idque actum anno volunt DCCCCII. die VI. Novemb. Aliam translationem fecit Bergas Balduinus comes, Pulchrobardus cognomento, ab inferiore ecclesia ad superiorem, monachis e Bertiniaco evocatis, anno MXVII. Aubertus Miraeus Orig. Coenobior. Belgii cap. XXI.

Alius est ab hoc nostro, multoque antiquior, cujus mentio apud Gregorium Turonensem lib. V. Histor. Francorum cap. XXI. et lib. VIII. cap. XXIV. auctore eodem Baronio. Sed libri non sunt ad manum.

#### WILFRIDUS A. 1163.

S. WILFRIDUS natus in Northumbria, ut volunt Angli, in confinio Scotiae saltem, quod Angli negare non possunt, in Scotorum coenobiis liberalibus artibus institutus, "inter Scotos bonas literas," inquit Pitsaeus pag. CXX. "et monasticam vivendi rationem solerter didicit;" imo "Psalterium lectitavit ac tenuit, quod a Scotis juxta translationem B. Hieronymi acceperat." Malmesb. lib. III. de Gest. Pont. Anglor. pag. CXLIX. Hunc Beda impensius laudat, vocatque lib. III. Histor. Eccles. Gent. Anglor. cap. XXV. virum doctissimum. Tandem Scotia excedens pro ecclesia Catholica, constanter stetit in defensione Paschatis, maxime cum Eboracensem ecclesiam archiepiscopus regendam suscepisset. Scripsit

De Catholico celebrandi Paschatis Ritu lib. I.

De Clericorum Tonsura lib. I. De Regulis Monach. lib. I.

De Actis Streneshalcensis Concilii lib. I.

Epistolas ad diversos lib. I.

Contra Colmannum Scotum, et alios, lib. I.

Obiit anno DCCX. VIII. calend. Maii, sepultus in Imdalo monasterio, sed postea ad Ripense translatus, die XII. Octob. Molan.

S. VIGIANUS M. 1164.

“ S. VIGIANUS monachus, Christi dogmatis egregius concionator,” ait Hect. Boeth. lib. XI. Histor. Scot. pag. CCXXXIV. “ claruit cum Moveano, Medano, Blanco, Englatio, Colmaco, sanctissimis pontificibus, Onano diacono, Congano abbate, multisque aliis viris moribus et doctrina insigni probatis.” Episcopum Brechinensem facit Scotichronico Fordunus. Meminit et Arnoldus Uvion lib. II. cap. LXXIX. qui sanctum facit, sed die incerto. Joannes Leslaeus lib. V. Hist. Scot. Scripsit

Conciones ad Populum lib. I. Uvion.

In Evangelium Narrationes lib. I. quas Nicolaus Liranus viderat.

Floruit anno M. sub Kennetho III. Huic templum Aberbroth. sacrum, in cujus coemeterio lignea crux erat, quam nec ferrum nec ignis dejicere potuit.

S. ULTANUS A. F. 1165.

S. ULTANUS, sive Altanus, Trithem. lib. III. de Vir. illust. Ordin. S. Benedicti cap. LXXXVII. frater SS. Fursaei et Foillani Scotorum, de quibus lib. VI. supra hoc opere, eorundem etiam peregrinationis comes, ibidem de eo cum fratribus multa quae hic non repeto. Joann. Molan. Addition. Usuard. die I. Maii: “ Ipso die S. Ultani confessoris, fratris SS. Fursaei et Foillani, qui, post excessum fratris sui Fursaei cum Foillano, sancta adeptus est sanctae Gertrudis contubernia, cujus multa in ecclesia sanctitatis clarent monumenta: quorum sancta virgo agnita sanctitate, per manus eorum obtulit Deo partem haereditatis suae, scilicet villam quae vulgo Fossis dicitur, quam ipsis tradidit in servorum Dei alimoniam, ut in eo loco construerent monasterium ad perpetuale peregrinorum hospitium.” Et die V. Maii:

“Depositio S. Maurouti abbatis, cujus suffragiis, si ad sepulchrum ejus fuerint delati variis languoribus aegroti, verae recipiunt praemia sospitatis; cui sacer praesul Amatus, eo tempore quo Theodoricus rex tyrannidem exercebat, post excessum Beati Ultani abbatis traditus fuit in custodiam.” Abbas fuit Fossensis in Gallia Belgica. Idem Molanus in Additionib. ad xxxi. Octob. “Fossis natalis S. Foillani episcopi, qui de Hibernia venit, (Scotiam dicere debuit, ut probatum abunde lib. vi. supra,) ad Ultanum germanum suum, qui Fossensem regebat ecclesiam.” Beda lib. iii. Histor. Ecclesiast. Gent. Angl. cap. xix. “Habuit Fursaeus alium fratrem vocabulo Ultanum, qui de monasterii probatione diuturna ad eremiticam vitam pervenerat.” Scripta ejus vita extat erudite MS. ait Molanus, et ad S. Foillani extra Rhodium gesta ejus sunt, scriptis mandata per Hillvium ad magistrum Sigebertum; quae, cum carmine consignata essent, anonymus quidam in prosam vertit. Auctorem se Hillvius ingeniose fatetur:

His ita litterulis libet insinuare notatis  
 Veraci specie, quo nomine censeat ipse,  
 Si primos apices ex partibus octo retractes.

An aliquid scripserit, non observavi, nec puto extare quicquam. Natus est anno DXCIII. Sigebertus eo anno. Obiit anno DCLIV.

#### S. VINNIANUS E. 1166.

DE Sancto Vinniano ita S. Adamannus in Vita S. Columbae lib. ii. cap. i. “Sanctus vero juvenis non hoc sibimet, sed S. adscribebat Vinniano episcopo.” Nec quicquam de eo amplius memini me legere, nec cui ecclesiae praefuerit deprehendi, nec an scripserit quicquam, an vero aevi injuria scripta ab illo perierint: certo constitui potest templum ei parochiale antiquissimi operis prope Castrum Rubrum non longe Abirbrotti.

Floruit anno DXCV.

## S. WIRO E. 1167.

S. WIRO Scotus episcopus fuit. Joan. a Leidis Geerbrand. Carmelit. lib. II. Chron. Belgic. cap. XVI. "S. Wiro ex Scotia oriundus, vir Deo et hominibus amabilis." Surius tom. III. VIII. Maii. "S. Wiro Patritium, Cuthbertum, Columbanum, egregias patriae columnas, praeponerat sibi imitandos." Constant. Ghinius pag. XXXI. "In Scotia S. Wironis episcopi." Felici in Ephemeridib. "S. Wiro episcop. Scot. Pipini regis confessarius." Uvion lib. III. pag. CLIX. "In Scotia S. Wironis episcopi." Molanus in Natalibus SS. Belgii. Anonymus apud Surium tom. III. die VIII. Maii; sed is est Gaufridus abbas, qui jussu Lucii pontificis vitam ipsius luculenter et veraciter descripsit, in cujus limine sic habet, abbreviavit eandem Franciscus Haraeus: "Scotia, fertilis sanctorum virorum insula, et stellarum numerum prope aequans, patrociniis sanctorum in multorum salutem produxit Beatum Wironem, non infimae sane conditionis parentibus ortum." Eodem die Martyrolog. Romanum: "In Scotia S. Wironis episcopi." Clare sane pro tanti viri meritis. Uberius Petr. Galesinus in Martyrologio suo eodem die: "In Scotia Sancti Wironis, episcopi et confessoris. Hic ab ineunte aetate pietatis studiis imbutus, in omni virtute mirifice progressus, nunquam rebus adversis fractus, nec vero secundis elatus, vigiliis, abstinentiae, jejuniis, et precibus deditus, propositis sibi sanctorum, imprimis Patricii et Cuthberti, exemplis, coelestem in terris vitam imitatus est. Peregrinandi autem pietate accensus Romam venit, ubi lachrymis profusis ad altaria apostolorum et ad martyrum reliquias orabat. Episcopus vero factus, ita vixit, ut doctrinae evangelicae praedicationi responderet morum religione, et sanctitate, quae post obitum ejus eluxit in coelesti miraculorum virtute."

Hujus nominis sub tutela est Ruraemonda urbs in Belgio, et sacrae reliquiae asservantur Ultrajecti, ut lib. XV. hoc opere supra est ostensum, ubi de S. Plechelmo. B. Marcellinus de eo in vita Sancti Suniberti cap. XIV. apud Surium tom. II. die I. Martii: "Similiter Sanctus Wiro episcopus Deirorum, Sanctus Plechelmo episcopus de Massa Candida, vel, secundum Bedam, Candida Casa." Vide locum. Scripsit

Ordinationes Ecclesiae suae lib. I.

Epistolas ad Pipinum Regem lib. I. cui fuit a sacris confessionibus. Arnoldus Uvion lib. II. Ligni Vitae cap. LIII.

Ad Fratres Odiliae lib. I.

Floruit anno DCCLVII.

S. WILLIBRORDUS AP. E. ET F. 1168.

DE S. Willibrordo, Frisonum apostolo, Sigebertus Gemblacensis Chron. ad annum DCXCIV. "Pipinus Rabbodum, ducem Frisonum, bello vicit, et Willibrordum genti illi ad praedicandum direxit." Angli suum faciunt, ut solent, nullo argumento; Frisones sibi vindicant, sed perperam, Suffrido Petri auctore apud Anton. Possevin. Appar. Sacr. pag. CCXLIX. Sed ego vindicias secundum Scotiam meam dabo. Hector Boethius in admonitione ad Historiam Scoticam: "Plurima a me ommissa fateor, partim rerum ignorantia, partim indiligenti earum indagine, praesertim in familiis et viris illustribus, qui ex nostra gente fuere, nobisque ingentem attulere splendorem, quales Sedulius, Levinus, Judocus, Villebrodus, Romaldus, Martinus historicus, plerique alii, enumerandis." Extat, edente Henrico Canisio tom. VI. Antiquar. Lection. pag. CCCLXI. elegia Alcuini de Wilgiso parente S. Willibrordi.

Nobilis ille fuit magna de gente sacerdos,  
Sed magnus multo nobilior meritis.  
Ut dudum cecini, fecunda Britannia mater,  
Patria Scotorum clara magistra fuit,  
Francia sed felix rapuit.

Clare vult Wilgisum in Scotia tenuisse filium, ubi ipse adolescentiam bonis artibus addiscendis impendisset: quod et annales nostri confirmant, nec negat Balaeus; licet juratus et pietati et Scotiae hostis, tamen hunc inter scriptores Scotos [i. Anglos] non est ausus numerare.

De ejus apostolatu Ado Viennensis aetate VI. anno DCXCVI. "Papa Sergius ordinavit venerabilem virum Willibrordum, cognomine Clementem, Frisionum genti episcopum." Eadem ad illum annum Marianus Scotus; eadem et alii, et in his Rhegino Prumiensis Chron.



lib. I. nisi quod in anno dissentit, ponens missionem ejus anno DCXXII. Beat. Marcellinus in Vita S. Suniberti cap. VI. se hujus sancti vitam scripsisse ait; et cap. X. "S. Willibrordum inter omnes merito praeefulgentem, viram humilem, et totius honestatis exemplis refertum:" et cap. XIII. anno a nativitate Domini DCXCVIII. "Sanctus Willibrordus, adepta jam apostolicae benedictionis auctoritate, consecratusque archiepiscopus a S. Sergio Papa, rediit ad Germaniam:" et cap. XXVIII. in fine vocat eum archiepiscopum Trajectensem. Rixfridus episcopus Trajectensis in Epistola ad S. Ludgerum Monasteriensem episcopum: "Habeamus, et reverenter possideamus libellum continentem gesta et legenda sanctissimi Suniberti episcopi, consocii et coepiscopi S. Willibrordi, editum mandato et auctoritate apostolica S. patris Gregorii, episcopi Trajectensis ecclesiae." Jonas abbas Scotus in vita S. Vulfranni apud Surium tom. II. die XX. Martii. "Villibrordum, cognomento Clementem, episcopum et doctorem praefatae gentis Frisonum, accipi fecit, ut ad ejus consulta simul cum B. Vulfranno in doctrina sua religionis concordante efficeretur Radbod. Christianus." Meminit et anonymus monachus Werthinensis seu Werdinensis in vita S. Ludgeri apud Surium tom. II. die XXVI. Martii. Is ergo cap. XI. "Marchelmum, mirae sanctitatis virum, S. Willibrordi quondam discipulum" fuisse scribit. Hucbaldus monachus in vita S. Lebuini apud Surium tom. VI. die XII. Novemb. cap. IX. Philippus XXXIX. episcopus Aichstadianus in vita S. Walpurgae, editus ab Henrico Canisio tom. IV. Antiquar. Lection. pag. DLXVI. "Beatus etiam Willibrordus, confessor Dei, et pontifex pretiosus." Epternacense coenobium a fundamentis erexit. Gasp. Bruschius et Molanus. Uberrime autem singula ipsius gesta, et versu et prosa, literis Alcuinus noster Flaccus Scotus mandavit, et vitam ab eo conscriptam retulit Surius tom. VI. die VII. Novembr. quo die ejus solennitatem ecclesia recolit. Martyrolog. Rom. "In Frisia depositio S. Willibrordi, episcopi Trajectensis, qui a Beato Sergio papa ordinatus episcopus in Frisia et Dania evangelium praedicavit." Eadem alii: supra omnes confutatur Molanus in Addition. Martyrolog. Usuard. Franc. Maurolycus eo die: "Apud Frisios Germaniae in agro Trevirensi de-

positio S. Vuldebrodi episcopi." Praeterquam quod nomen corruptum est, errasse Siculum puto, qui Trevirensis pro Trajectensi agro usurpavit. Petr. Galesin. eod. die: "In dioecesi Trevirensi S. Vulbrodi, episcopi et confessoris, quia summo pontifice Sergio episcopus factus, in Germaniam ad evangelium propagandum missus, abjecto idolorum cultu gentes Frisiam incolentes Christiana religione instituit." Ado Trevirensis eodem die in Martyrologio suo. Epternaco monasterio natalis S. Willibrordi, episcopi et confessoris. Rabano in Martyrologio Wilbrordus est. Qui plura cupis, adi ad Bedam lib. v. Hist. Ecclesiast. Gent. Anglor. cap. XII. et vitam S. Bonifacii Scoti, Moguntini archiepiscopi, et Joan. Trithem. lib. III. de Vir. illustr. Ord. S. Benedicti cap. CXXXVII. Scripsit

De sua Peregrinatione lib. I. Ecclesiasticos Canones lib. I.  
Homilias lib. I. Epistolas ad diversos lib. I.

Missus est apostolus in Frisiam anno, ut dicebam, DCXCIV. Sedit episcopus XXXVI. annos totos; etiam Beda scribente adhuc sedebat, ut loco proxime laudato liquet. Obiit anno DCCXXXIX. Sigbertus. Alii aliam annorum supputationem inducunt, sed haec verior et magis placens. Natus est anno DCLVIII. ait Locrius Chron. Belg. LXXVI. Ordinatus episcopus Pipino rege petente anno DCXCIV. fundat Epternacense monasterium die S. Caeciliae anno DCXCVI. biennio post abbas ejus sedit.

#### S. URSULA, R. F. V. MART. 1169.

S. URSULA, Mauri Christianissimi, ut loquitur Pet. de Natalib. lib. IX. Catal. cap. XCIV. Scotorum regis filia, cum frustra ad conjugium a potentissimis principibus peteretur, praesertim Aethereo Angli regis filio, ut in Legendario novo, et ubique, nihilominus constans, vovit virginitatem Deo, patriamque egressa undecim millia virginum trans mare secum traxit, eodem pietatis ardore, sanctique voti studio accensas; quae, cum Hunnis cedere nollent, obtruncatae sunt, sanctissimoque agone in coelos evolarunt. Colitur memoria ubique gentium, sed maxime Coloniae

Agrippinae, ubi sanctae asservantur reliquiae, et Parisiis, ubi Ursula patrona est Sorbonicorum theologorum. Hector Boethius lib. VII. Histor. Scot. pag. CXXIII. Facti memoriam recolit ecclesia die XXI. Octobr. Adeunda sunt Martyrologia. Wandelbertus monachus Prumiensis, qui circa annum salutis DCCCL. vixit, ita de illis :

Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgent  
Christo virgineis erecta trophaea manipulis  
Agrippinae urbi, quarum furor impius olim  
Millia mactavit, ductricibus inclyta sanctis.

Accuratissime singula exquirat Caesar Baronius ad diem dictum Not. ad Martyrol. Rom. Gaufrid. Asaphensis in Hist. et ex eo Ohristophorus Browerus ad lib. III. Venantii Fortunati pag. LXIV. Hujus sane sociarumque peregrinationem et martyrium varie scriptis mandarunt Rogerius Cisterciensis, Richardus Praemonstratensis apud Mombritium tom. II. Petrus in Catalogo lib. IX. cap. LXXXVII. Claudius Rota cap. CLIV. Bonfinius decad. I. Rer. Hungaric. lib. V. anonymus apud Surium tom. V. Sigebertus, et alii. Scripsit

De arcanis Visionibus lib. I. Documenta Fidei lib. I.

Epistolas lib. Laudat Tiraquellus de Nobilitate cap. XXX. num. CCCXVI.

Passa est cum sociis anno CCCCLV. ut nonnulli perperam putavere, aut CCCCLIV. Sigebertus et alii. Vide lib. X. supra hoc opere in S. *Kenneira*.

#### S. VULGANIUS. 1168.

S. VULGANIUS, Anglia pio peregrinandi voto lustrata, in Belgium appulit, ubi sanctorum laborum compos beato fine quievit. Atrebatensis ecclesiae acta, quibus constat Scotum, non Anglum, fuisse, quicquid dicat Ferreolus Locrius; nam nullus ea tempestate in Anglia Christianus, nisi sub disciplina Scotorum. Reliquiae ejus in ecclesia Lensiensi conservantur, coliturque die II. Novembr. Acta illius loci, et Joannes Molanus. Scripsit

Ad Populum Belgium lib. I. Speculum Charitatis lib.

Exhortationes lib. I. Sermones lib. I. quorum

nonnulli Atrebat MSS. extant.

Excessit anno DLXXII. Scotum porro facit Constantinus Ghinius in Natalib. SS. Canonicorum, ubi plura, et Chronicon Cameracense diserte Scotum vocavit, II. Novemb. cujus verba sunt apud Molanum Indic. SS. Belgii pag. LXXVIII. "Apud Castrum Lenense habetur monasterium canonicorum, ubi Sanctus quiescit Vulganius, qui Scotus traditur extitisse."

## S. WALTENUS, E. R. F. 1169.

S. WALTENUS, aut, ut habet Hovedenus, Waldenus, canonicus regularis, tum monachus Cisterciensis, mox abbas Melrosiae, deinde archiepiscopus Eboracensis canonicè electus, demum S. Andreae episcopus renunciatus, miro paupertatis voto mitrae quietem monasticam praetulit, et digito extenso locum sepulturae indicans, haec est, inquit, requies mea, ut Jocelini, monachi Fornesii, verba usurpem, et latius in Scotichronico lib. VI. cap. XXIV. Scripsit

De Claustri Bono lib. I. Evangeliorum Flores lib. I.

Sanctorum plurium Vitas lib. I.

Floruit et obiit anno MCXL. Sepulchrum vero aperuerunt Angelramus et quatuor abbates, et corpus repertum est integrum, et vestimenta intacta, ut loquitur Scotichronicon lib. VII. cap. XV. Id factum XII. post obitum anno, XI. calend. Junii; obdormivit vero III. nonas Augusti. Scotichronicon libro laudato cap. XXXIV. Hoveden excessisse ait IV. nonas Augusti anno MCLIX. pag. CCLXXXI.

## S. VIRGNOUS EREMITA. 1170.

"S. VIRGNOUS multos annos irreprehensibiliter in subjectione S. Columbae transegit," ait S. Adamannus in Vita S. Columbae lib. III. cap. XXXI. "tum duodecim annis anachoreticam vitam duxit in Miuxbulemar;" nec de illo alibi quicquam. Scripsit

Visionem de Morte S. Columbae, magistri et doctoris sui, lib. I.

Floruit anno DCVI. Martyrologii tabulis ascriptus non est, sed celebri cultu eum nostrates colunt.

## WILHELMUS R. 1171.

S. WILHELMUS ex generatione illa benedicta SS. Malcolmi III. et Margaretae, S. Davidis nepos, S. Malcolmi cognomento Virginis frater, et ipse a fortitudine cognomentum Leonis habuit, deceptus a rege Angliae, in Angliam cum illo profectus, contra jus humanum divinumque in Galliam cum armata manu trajicere est coactus; et quia multum damni Francia a Scotis accepit, rex Angliae Northumbriam totam Scotiae in perpetuum resignavit, usque ad flumen Tynam, sed et comitatum Huntintoniae regis fratri, et heredibus, in perpetuum concessit. Rogerus de Hoveden Annal. part. II. pag. CCCV. Sed rex reversus ab expeditione Francica in Angliam totis viribus exercitum duxit, sed infeliciter in acie captus redemptus est magno pretio. Hic, suorum pietatem imitatus, Fidei Defensor ab Alexandro papa dictus. Jacobus Ballantinus Historiae Boetianae lib. VI. Censum auxit Melros, Neubottel, Dumfermelini, et Aberdin; episcopatum Argateliae fundavit, et coenobium Balmurenoch; ordinem Sanctissimae Trinitatis non modo regno recepit, sed et domum suam Aberdonensem in monasterium ipsis convertit. Sanct. Adamum, Cathenesiae episcopum, ab impiis interfectum egregie vindicavit, ut lib. I. supra dictum; et cum Angli sacrilego ausu jurisdictionem in Scoticas ecclesias usurparent, misso S. Gilberto insigniter Scoticae ecclesiae libertatem defendit. Hovedenus pag. CCCXIV. et nos libro VII. Franciscanos etiam, et Dominicanos in regnum recepit. S. Margaretae corpus transtulit, insulas Scoticas a Danis recuperavit, demum Perthum ad Tai ripam condidit, et D. Joanni dedicavit sub annum MCCX. Miracula, et vivus et mortuus, perpetravit multa, sed hoc primum, quod juvenem quendam omnibus membris debilitatum signo crucis sanitati restituerit. Ballantinus Chronici vulgaris lib. XIII. cap. IX. Gul. Neubrig. lib. II. cap. XIX. Scripsit

Epistolas ad Alexandrum III. lib. I.

Leges sacras lib. I. ut scilicet a meridie Sabbathi omnes festum servarent usque ad diem lunae.

De Titulo Northumbriae lib. I.

Obiit in summa pace anno MCCXIV. regni sui XLIX. Pontifices erant

Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. Clemens III.  
 Coelestinus III. Innocentius III. imperatores Fredericus I. Henricus V.  
 Otto IV. Francorum reges Ludovicus junior, Philippus Augustus.

**S. WINFREDUS E. 1172.**

**S. WINFREDUS**, Morinorum egregius antistes, bellis civilibus patria pulsus in Gallias descendit, et hanc cathedram sibi commissam prudenter pieque rexit. Fuit canonicus regularis, et Scotiae ante excessum provincialis, seu visitator, ut ex Scotichronico apparet lib. II. cap. XII. Interfuit synodo Trevirensi cum episcopis Widone Suesonico, Rudulpho Laudonensi, Rotberto archiepiscopo. Flodoard. lib. IV. Hist. Rhemens. cap. XXXVI. Sed mira librorum varietas; nam cum Nicolaus Chesneau verterit Gallice Winefrede, codices Latini discrepant, nam in quibusdam Wifredus, in aliis Wicfredus, in nonnullis Winfredus, at in Chronico Morinensi MS. apud Georgium Colvenereum Wycfredus est, errore, ut puto, manifesto, et inde orto, quod eodem tempore Wicfridus Coloniae fuerit archiepiscopus, qui et ipse tamen diverse concipitur, nam et Hincfridus et Huicfridus in Codice Flodoardi legitur lib. IV. cap. XLII. Scripsit

Epistolas quasdam lib. I.

Florebat anno DCCCXLVIII. Canonici ordinis in Scotia visitator ante episcopatum reperitur. Alexander Millus.

**WALDRAMMUS M. 1173.**

**WALDRAMMUS** decanus, S. Galli monachus apud Helvetios, se Scotum fatetur his versiculis:

Rex Benedicte, veni visens habitacula Galli,  
 Othmari tectis accipiente sacris;  
 Fias placatus nobis, maneatque misertus  
 Quos stirps Scotorum misit in hanc eremum.

Quis fuerit antequam monachum induerit, non comperi. Scripsit  
 Carmina quaedam lib. I. quae ex monasterio S. Galli cum

aliorum ex eodem coenobio illustrium versibus edidit Henricus Canisius tom. v. Antiquarum Lectionum.

Floruit anno DCXL.

THOMAS VAROYE AB. 1173.

THOMAS Varoye, illustri domo, S. theologiae doctor, et praepositus Bothvillae. Joannes Major lib. vi. Histor. Mag. Britan. cap. iv. Scripsit

De Otterburnensi Praelio	lib. I.
Odas	lib. I.
Rhythmos, et alia,	lib. I.

Floruit anno MCCCXC. sub Joanne Stuarto rege, qui Robertus III. dictus: clarissimam vero hanc de Anglis victoriam, incredibilemque Anglorum cladem annales nostri et Anglicani describere, omnium cultissime Hector Boethius lib. XVI Hist. Scot. pag. CCCXXXIII.

VEREMUNDUS P. 1174.

VEREMUNDUS presbyter, Sancti Andreae archidiaconus, clarissimae memoriae, suo tempore omnium studiosissimus habebatur; rhetor, theologus, historicus, linguarum (quod ea tempestate rarissimum) Graecae Latinaeque eruditus. Scripsit

Scotorum Antiquitates lib. I. Sic enim historiam suam nominat, exemplo Dionysii Halicarnassaei; in qua res a Scotis gestas, ab ingressu in Albaniam, seu Britanniam, sive a Pharaonis seculo, cujus filia Scota genti nomen dedit, usque ad Malcolmi III. regis imperium, luculenta narratione exsequitur, quem unice sibi imitandum Hector Boethius proponit.

Vixit anno MXC.

## S. WINFREDUS E. 1175.

S. WINFREDUS alius a praedicto, et ipse Scotus, sextus episcopus Coventriensis et Lichfeldensis, Ceddae, de quo lib. I. supra, successor. Bedae lib. IV. Histor. Ecclesiast. Gent. Anglor. cap. III. "Theodorus ordinavit Winfridum, virum bonum et modestum, qui, sicut praedecessores ejus, provinciis Mærciorum, et mediterraneorum Anglorum, et Lindisfarorum episcopatus officio praeesset. Erat autem Winfridus de clero ejus cui ipse successerat antistitis, et diaconatus officio sub eo non paucò tempore fungebatur." Meminit Matthaeus Westmonast. ad annum DCLVIII. Hunc, etsi multum a pietate et probitate laudatum, et suis carum, Theodorus tamen archiepiscopus sede sua expulit, qui Eadbarnam monasterium a Cedda conditum se contulit, ibique sanctissimam vitam finivit. Istud coenobium Bedae codex *Aethernam* vocat; *Bearnense* vero B. Marcellino vita S. Suniberti cap. III. apud Surium tom. II. die I. Martii, Fuit autem hoc monasterium in Lindissa insula Scotorum, a Scotis fundatum, a Scotis administratum, ac veluti publicum emporium literarum, communeque gymnasium Scotis, Anglis, et Hibernis. Vide supra hoc opere lib. VIII. in *Higbaldo* abbate Bearnensi. Scripsit

Sanctorum quorundam Vitas lib. I.

Exhortationes ad Clerum suum lib. I.

Pervenit ad annum DCCXVI. nam de anno subscribit, fundatione monasterii, Croylandensis Ingulphi Historia pag. CCCXXCV.

## NINIANUS WINZETUS AB. 1176.

NINIANUS Winzetus, aut Winchetus, Glascuensis, monasterii Scotorum Ratisbonae abbas, ac prius Lutetiae philosophiae professor, magna ingenii laude, nec minus pius quam doctus, [ne] haeresim Calvinianam populares Scoti reciperent pro virili restitit. Laudat impensius Joannes Leslaeus lib. VI. Historiae



Scot. pag. DLXXXII. Scripsit vero

Contra Buchanani Dialogum de Regno lib. I. Laudat in praefatione contra Monarchomachos Gulielmus Barclaius.

In D. Paulum Commentaria lib. I. Epigrammata lib. I.

Poemata lib. I. De Rebus controversis capita LXXXIII. publicavit, ait idem Leslaeus. Prodierunt Francofurti.

Parisiis docebat anno MDLXIX. quando obierit, aut quando abbas sederit, et an in Germania excesserit, an in patria, pro comperto non habeo.

#### WILHELMUS ABBAS. 1177.

“WILHELMUS, abbas III. Melrosensis, postquam aliquot annos prudenter ac sancte munus adimplevisset suum, curam pastorem humiliter dimisit,” inquit Scotichronicon lib. VIII. cap. XIV. et ipso die precibus ipsius abbas creatus est Jocelinus. Scripsit

In Cantica Salomonis lib. I. De Officio Monachi lib. I.

Ad Joannem Cardinalem Scotiae, et Hiberniae Legatum, lib. I.

Scotichronicon lib. VIII. cap. LX.

Curam regendi monasterii dimisit anno MCLXX. decimo calend. Maii. Ejus exemplo “alter Wilhelmus, ejusdem domus abbas, curam pastorem reliquit,” inquit Scotichronicon libro X. cap. XXXIII. sub annum MCCLXXIII.

#### WILHELMUS E. 1178.

WILHELMUS, Moraviae episcopus, vir singularis vitae, maximae integritatis, nec minoris eruditionis, non tantum theologicis studiis clarissimus, sed etiam philosophicis, cum Nicolao Regis Malcolmi camerario curiam Romanam ex parte regis visitavit, et Papam Alexandrum Anagninae commorantem convenit, ubi mandatis peractis, et honorifice susceptus Nicolaus substitit, et oratoris apud papam personam sustinuit Wilhelmus, Scotiae et Hiberniae legatus: in patriam remissus, magna cum laude in dif-

facili officio se gessit. Scripsit

Epistolas ad Papam Alexandrum	lib. I.
Ad Ecclesias Scoticas et Hibernicas	lib. I.
Decreta Ecclesiastica	lib. I.

Missus est Romam anno MCLIX. sequente anno legatus apostolicus renunciatus. Obiit anno MCLXL. Scotch. lib. VIII. cap. VI. Successit ei in legationis munere Arnoldus S. Andreae episcopus, ab Alexandro III. confirmatus. Eodem lib, cap. VII.

### WILHELMUS E. 1179.

WILHELMUS episcopus, Brechinensis ecclesiae decanus, "vir per omnia laudabilis, sed raucae vocis." Scotchronicon lib. X. cap. XXII. Hic, Albino episcopo mortuo, a clero episcopus electus, qui gratiam legati Ottoboni, siqua in eo superfuera, in Angliam adiit de consecratione petiturus, ubi nihil proficiens, sed quasi cum indignatione rejectus, curiam Romanam adivit, et de consecratione faciliter se expedivit. Scripsit

Contra Ottobonum ad Papam	lib. I.
De Scoticae Ecclesiae Dignitate et plurimum Scotchronico laudatum.	lib. I. opus aureum,

Electus est anno MCCLXVI. Nescio an ille idem sit Wilhelmus electus Brechinensis, qui, postquam diu in curia Romana steterat, ibidem mortuus est sub annum MCCLXXIV. Eodem libro cap. XXXIV.

### WILHELMUS E. C. 1180.

WILHELMUS Moraviae episcopus, regni cancellarius, ac apostolicae sedis legatus per Scotiam et Hiberniam, cardinalis etiam renunciatus ab Eugenio III. impetrante Malcolmo IV. rege, ut ex Scotchronico colligo lib. VI. cap. XXXV. ubi ille Arnoldum Calcoensem abbatem in episcopum S. Andreae consecrat. Scripta ab eo plurima perierunt, sed apices extant.

De Natura Animae	lib. I.
De Institutione Sanctimonialium	lib. I.
De Lectione Evangelica	lib. I.
De Praelatorum Moribus	lib. I. Quorum nonnulla ascribunt S. Ealredo, Rievallensi abbati, Scoto.

Floruit anno MCXL.

### B. WILHELMUS. 1181.

B. WILHELMUS, episcopus Glascuensis, insigni liberalitate ejusdem civitatis primarium ac metropolitanum templum erexit, sumptuosa fabrica, qua vix ulla in Europa magnificentior, curiose exornata. Scripsit

De Translatione Reliquiarum D. Margaretæ Reginae, et Malcolmi ejus mariti, lib. I. Ingens Dumfermelini miraculum in ea accidit; nam cum ea transferetur, capsâ tumulto regis se applicuit, nec inde, nisi eo levato, avelli potuit; tum regni ordines, et maxime praesules, ejus etiam regis ossa levanda censuerunt, duravitque ejus veneratio quamdiu religio in eo regno Catholica viguit.

Florebat anno MCCLIX. Hector Boethius lib. XIII. Histor. Scot. pag. CCLXXXVI.

### WILHELMUS ABBAS. 1182.

WILHELMUS, Ovini filius, adolescens S. Augustini habitum induit Edimburgi, et post multos annos abbas factus est, successitque Wilhelmo abbati, cui cognomentum Eleemosynarius, et a Jacobo S. Victoris canonico regulari, ac Scotiae legato, pastoralis cura absolutus erat. Porro nec Wilhelmus noster diu in coenobii regimine perstitit, sed senilem aetatem allegans onus virgae pastoralis in manum ordinarii sui resignavit, et statim post resignationem insulam de Keth intravit, desiderans supra modum vitam eremiticam ducere: cum autem ibi spatium novem hebdomadarum complevisset, et corporis sui

tenuitatem comparasset, ad domum S. Crucis non puduit remeare, inquit Scotchronicon lib. IX. cap. XLVI. et cum peteretur cur eremum reliquisset, respondit his versibus :

Quid faciam cum nudus eam ? Jam praeterit aestas :  
Ad patrios remeare lares me cogit egestas.

Fuit vir eruditissimus, et multa posteris reliquit ingenii monumenta, maxime vero theologica mathematicis temperabat, nec juvenilium studiorum obliviscebatur. Tituli sunt,

Carmina varia	lib. I.
De Horoscopis digerendis	lib. I.
De Divinatrice Facultate	lib. I.
De Malo Haeresis et Schismatis	lib. I.

Curam deposuit monasterii anno MCCXXVII.

#### WALDENUS M. 1183.

WALDENUS postquam apud suos ingentes profectus in bonis literis fecisset, ne quippiam studiis aut animo suo deesset, literarum emporium Parisios petiit, ubi insigni fama philosophiam professus est in Barbarano, ac deinde doctor Sorbenicus studiorum decurso curriculo habitus, secularis vitae pertaesus monachum induit, et D. Benedicti habitum assumpsit in monasterio celebratissimo S. Germani ad muros urbis, ubi olim templum Isidis erat, unde nomen erat civitati inditum: monachus factus religiosae vitae totum se mancipavit, et in paucis eloquentissimus concionator evasit, uti Jacobus Breulius, ejusdem coenobii professor, scribit, fateturque multa se ex scriptis ipsius hausisse, quae apud ipsum magna ex parte servabantur. Ea erant,

Compendium Theologicum	lib. I.
Sermones per Annum	lib. I.
In minores Prophetas	lib. XII.
De Coenobii sui Antiquitate	lib. I.
Dubia ex Aristotele	lib. I.

Florebat anno MCCCXCIV.

## JOANNES WADLOKUS M. 1184.

JOANNES Wadlokus Deidonensis D. Francisci habitum in patria sua induit, ac superiore mandante ad quaedam ordinis sui negotia expedienda Romam profectus, ac feliciter re confecta, ut domum rediit, provincialis per Scotiam creatus non minus pie quam prudenter se gessit; nam conventus et sedulo visitavit, lapsos mores restituit, et plus opere quam verbo docuit, episcopatum a pontifice oblatum recusavit, "nullius rei cupidus nisi divini honoris," ait Magnus Macolo in Continuatione Scotichronici. In literarum elegantiorum progressu nulli sua tempestate cedebat, ut ex operibus illius colligi potest. Scripsit

In Meteora	lib. IV.
De Planetarum Cursu, Conjunctione, Domibus, et veris Judiciis Nativitatum,	lib. I.
De Terrae Mensura lib. I.	De Loco Paradisi lib. I.
De Maris Proprietatibus	lib. I.

Floruit anno MDXLI.

## JOANNES WARIUS M. 1185.

JOANNES Varius, Carmelitani ordinis socius, Dunkeldi professus magna virtutis opinione, poeta, orator, philosophus, et theologus, tandem ingravescente senio ordinis sui provincialis, scripsit

De Metallorum Generatione	lib. I.
Quaestionum Scholasticarum Resolutorium	lib. I.
Orationes de Sanctis	lib. I.

Claruit anno MCCCCXC. Henrici Sinclari Epistolae.

## RICHARDUS WIGTON M. 1186.

RICHARDUS Wigton, sive Wighton, etiam Carmelitanae regulae addictus, Tolosae diu professus bonas literas, scripsit

De Cosmographia lib. i.  
 Res Scótiæ memorabiles lib. i.  
 Lecturas suas lib. i. Alia opera habentur

MSS. in Foxiensi bibliotheca.

Floruit anno MCCCCLXV.

DAVID WATERSON M. 1187.

DAVID Waterson, Carmelita, scripsit

De Viris claris Ordinis sui lib. i.  
 Sermonum Repositorium lib. i. Utrumque opus  
 Kreimondæ ab hæreticis fuit consumptum.

Clarus erat anno MDXXIV.

JOANNES WOUREM P. 1188.

JOANNES Wourem, seu Wyrem, [l. Wynram,] Andreapoli canonicus  
 regularis, scripsit

Catechismum Fidei lib. i.

Floruit anno MDXLVI. dum res per interregem administraretur.

THOMAS WINTERHOP. 1189.

THOMAS Winterhop Glascuensis celebri nomine diu Parisiis substitit.  
 Scripsit

Moralis Philosophiæ Compendium lib. i.  
 Apologiam pro Epicuro lib. i. quo opere nihil elabo-  
 ratius.

Claruit anno MDLII.

HENRICUS VARDLAU. 1190.

HENRICUS Vardlau, S. Andreae in Scotia episcopus, "vir sanctimonia vitæ apud omnes probatissimus," ait Hector Boethius  
 lib. xvii. Histor. Scot. pag. cccxlix. Jacobo I. regi, ab An-

glica captivitate reverso, gratissimus, scripsit

Reformationem Cleri lib. I. quae etiamnum hodie extat, et quam pius fuerit antistes loquitur.

Orationem pro Reformatione Conviviorum et Luxus lib. I. in regni comitiis.

Florebat anno MCCCXLI. Joann. Leslaeus lib. VII. pag. CCLXXV.

#### UDARDUS E. 1191.

UDARDUS, monachus Cuprensis, postea episcopus Brechinensis, totam Scotiam, comitante Eustathio Abbirbrothi abbate et paucis clericis, pedes insigni devotionis exemplo perlustravit, verbum Domini seminaturus. Scripsit

In Cantica Salomonis lib. I. In omnes D. Pauli Epistolas lib. I.

Homilias ad Populumoticum lib. I. Epistolas ad diversos lib. I.

Floruit anno MCCXIV. Boethius lib. XIII. Histor. Scot. vel MCXC. Arnoldus Uvion lib. I. Lign. Vitae pag. LXXIV.

#### WILELVUS AB. PRIOR, M. 1192.

“WILELVUS, vir nobilis secundum saeculum, prior in Kirkaeham Eboraci Regularium Fratrum, postea monachus, et monachorum pater in Maibros in monasterio ordinis nostri,” ait S. Bernardus lib. de Vita S. Malachiae. Scripsit

Expositionem in Genesin lib. I. De Silentio Claustrali lib. I.

Vivebat anno MCLX.

#### GEORGIUS WISCHERTUS H. 1193.

GEORGIUS Wischertus eminentem generis sui nobilitatem pudenda haereseos labe coinquinavit, impius sectarius, ac flagitiosus novator; sed dum virus in Germaniis Galliisque haustum in patria non sine avitae pietatis dispendio evomere studet, coacta ad Divi Andreae a Davide S. R. E. Cardinale Betonio synodo, improbitatis haereticae damnatur, et stipiti illigatus flammis ultricibus obstinationem expiavit. Cujus poe-

nam causam deinde mortis illustrissimi cardinalis fuisse, falso memorat Joannes Boterus p. III. Relation. lib. I. pag. LI. Scripsit

De Fide sua lib. I. Opus damnatum.

Contra Clerum Scoticum lib. I.

Vivebat anno MDLX.

## SIMON WITUS. 1192.

SIMON Witus Templarius, communem ordinis sui interuersionem ac cladem fugiens, in Orientem se proripuit, et fratrum suorum innocentiam scriptis deprædicavit, edito opere de

Templariorum Innocentia lib. I. Opus suspectum, nam ipsum videri posset præpostere ordini suo patrocinatum.

Operis mentio in Processu Templariorum.

Ortus hic ordo Hierosolymis cum fratribus Teutonicis, et ordine Militum Sepulchri Dominici, qui S. Joannis, seu Rhodienses aut Melitenses, vocantur, Jodocus Ludovicus Decius lib. I. Vetustat. Polonicar. pag. CCLXXX. et cum gravibus se vitiis inquinasset, a Clemente V. concilio Viennensi damnatus est, nonnullis supplicio capitali multatus. Martin. Cromer. lib. XI. Histor. Polonic. pag. DLXXXIV.

Vivebat Witus anno MCCCX.

## JOANNES WILLOXIUS. 1193.

JOANNES Willoxius, perfidus apostata, nefandus sectarius, impiissimi collega Knoxii, synodo Edimburgensi damnatus, Perthi Deo bellum, non tantum principi, indixit, aedes sacras incendit, religiosos viros mactavit, nihilque non se dignum perpetravit. Joan. Leslaeus lib. X. Histor. Scot. pag. DXLVII. Scripsit

Impia quaedam lib. I. sed non vidi.

Vivebat anno MDLIX.

## GUALTERUS WARDLAU, E. C. 1194.

GUALTERUS Wardlau, episcopus Glascuensis, S. R. E. cardinalis a Gregorio XI. ut apparet, creatus, " qui dignitate summa



excellentem prudentiae et virtutis laudem conjunxerat," ait Joannes Leslaeus lib. VII. in Roberto II. Orator missus est in Galliam ab eo rege, ut cum Carolo Magno et Achaio regibus contractum renovaret; et re feliciter confecta, rediit in patriam, nec diu superfuit. Vir otii literarii amans, ac pacatae quietis studiosus, scripsit

De Fallacia Astrologorum lib. I.

De inani Divinationum veterarum Scientia lib. I. quod opus Gaspar Peucerus et Antonius Delrio plenius sunt persecuti; sed ille, ut puto, proscriptus.

Floruit anno MCCCLXX. Vitae Cardinalium nuper editae Tolosae, incerto auctore, Anticardinalem vocant: longe aliter Scotichronicon lib. X. cap. VI. qui eum "Cardinalem et Legatum a latere vocat, tam ad regnum Scotiae quam Hiberniae cum plena potestate spiritualiter deputatum."

#### JOANNES WELSHE H. 1195.

JOANNES Welshe, Sathanae in Scotia minister, scelestus etiam perduellis, scripsit

Contra Gilbertum Brounum Presbyterum lib. I. Fuit is Novi Coenobii abbas, de quo adi ad lib. II. supra hoc opere.

Scribebat anno MDC.

#### ANDREAS WILKIUS. 1196.

ANDREAS Wilkius, vir doctus, pridem scripsit et Lipsiae publicavit multa; ego tantum vidi

Homeri caeci Curationem lib. I.

Claruit anno MDCVI. Biblioth. Class. pag. MCLXVII.

#### B. WALTERUS PRIOR. 1197.

B. WALTERUS, prior de Calco, Benedictinus, vir probus et literatissimus, cum Angelramo, sive Ingeltramo, Scotiae cancel-

lario, ac episcopo Glascuensi, ac Salomone decano Glascuensi, Eboracum profectus, disputationibus acutissimis dignitatem ecclesiae Scotiae contra impotentiam Rogeri Eboracensis archiepiscopi, mare coelo miscentis, nec ambitionem suam capientis, egregie est tutatus. Scripsit

Pro Ecclesiae Scotiae Immunitate lib. I. contra Rogerum Eboracensem.

Appellationem ad Curiam Romanam lib. I.

Epistolas ad diversos lib. I.

Florebat anno MCLXIV. Scotichronicon lib. VIII. cap. XV. pluribus agit.

### ROBERTUS VENANTIUS A. 1198.

ROBERTUS Venantius, archiepiscopus Armacanensis in Hibernia, a nativitate caecus, incredibili ingenii acumine et tenaci supra fidem memoria, interfuit concilio Tridentino, ut narrat Joan. Sleidan. lib. XVII. Histor. CCXCIX. Hunc *Vauchob* vocat Surius Comment. pag. DLXXXV. et Parisiis lauream S. theologiae consecutum vult, et a Julio III. legatum a latere creatum, Didymo Alexandrino, cujus meminit D. Hieronymus, comparat. Scripsit

De legitimo Concilii Tridentini Consessu lib. I.

Ejusdem Concilii Acta lib. I.

De Auctoritate Papae lib. I.

Collecta Canonum lib. I.

Claruit anno MDLI. Ferrariae, ut puto, obiit, incertum peste an morbo naturali; imo Parisiis excessit. Joan. Leslae. lib. X. pag. DXIV. Die XIII. Novembris, inter beatos collocat Matthaeus Raderus Viridario Sanctorum, de caecis sanctis cap. III.

### FLORENTIUS VOLUSENUS. 1199.

FLORENTIUS Volusenus, vir ingenii exercitatissimi, Jacobo Sadoleto, Carpenteractensi episcopo et S. R. E. cardinali, familiaris, ut ille testatum reliquit lib. VI. Epistolarum, ad Joannem

Lotharingium Cardinalem: "Non putavi molestum tibi futurum si eum hominem tibi commendassem, quem in primis dignum tua benevolentia esse arbitror: Florentius Volusenus, natione Scotus, elegantia morum et literis Latinissimus." Et paucis interjectis: "Florentius mecum nunc Carpenteracti est, maximoque animo et incredibili assiduitate optimis literis, praesertimque philosophiae, dat operam." Romam inuisit cum Joanne Bellaio cardinale. Avenione in morbum incidit, et cum adversa fortuna durissime luctatus est. Scripsit

Philosophiae Aristotelicae Synopsis lib. IV.

De Consolatione lib. II. quo opere nihil legi Latinius.

Commendat mirifice Georgius Buchananus lib. II. Epigrammatum:

Hic Musis, Volusene, jaces carissime, ripam  
Ad Rhodani, terra quam procul a patria!  
Hoc meruit virtus tua, tellus, quae foret altrix  
Virtutum, ut cineres conderet illa tuos.

Floruit anno MDXXXVI. fortunae adversae et novercantis injuria exercitatissimus. Obiit Viennae in Delphinatu.

#### THOMAS WISSHART. 1200.

THOMAS Wisshart, nobilissima familia ortus, Parisiis magna ingenii vivacissimi gloria philosophiam docuit; deinde, inter decretorum doctores admissus, scripsit

Martyrologium lib. I. cui inseruerat omnes Scotos suos sanctorum albo ascriptos; quod, si ad manum esset, magno me labore levaret. Prodiit Lutetiae.

Claruit anno MCCCCXVII. Sepultus ad D. Genovesae Parisiis. Obiit anno aetatis suae LXVIII.

#### GULIELMUS VALCART. 1201.

GULIELMUS Valcart Aberdonensis Lutetiae et ipse humaniores literas docuit praeclaro eventu. Scripsit

In Sphaeram Joannis a Sacrobosco lib. I.

Profitebatur anno MDLXXVII.

**GULIELMUS VALVODUS, J. C. 1202.**

**GULIELMUS** Valvodus, J. C. clarissimo nomine, et fama celebri, scripsit

Collationem Legum Mosaycarum et Justinianearum lib. I. opus eruditione varia refertum. Prodiit Lugduni Batavorum.

Leges Thalassiarchie, sive Admiraliae, lib. I. vernacule divulgavit Londini.

In titulum de acquirendo Rerum Dominio Commentarium accuratissimum lib. I.

Florebat anno MDCII.

**GEORGIUS VAUCHOPIUS. 1203.**

**GEORGIUS** Vauchopius, vulgo Vachob, in Galliis bonas artes magna ingenii sui et patriae laude professus, scripsit

De veteri Populo Romano Tractatum, ad Georgium Duglasium. Prodiit Cadomi et Parisiis.

Observationes ex Historiis omnium Gentium lib. I.

Profitebatur in Neustria anno MDXCV. quando obiit, exploratum non habeo.

**DAVID WEDDERBURNUS. 1204.**

**DAVID** Wedderburnus Aberdonensis, pueritiae meae collega, scholae Aberdonensis moderator, utriusque linguae doctissimus, scripsit multa; sed ego vidi tantum

*Συναρρηγίων* in Accessu Regis ad Scotiam, et alia Poemata, lib. I.

Vivit adhuc in Scotia, et laborioso bonarum artium experimento juventutem patriam erudit, plura felicissimi ingenii monumenta relicturus, et posteris profuturus.

## MICHAEL WALLASIUS. 1205.

MICHAEL Wallasius vir fuit eruditus Graece et Latine. Scripsit  
De Pulveraria Conjuracione lib. i. carmine, rem porten-  
tosi exempli eleganti vena cohonestans.  
Vivit adhuc, nescio ubi locorum.

## DAVID UDUARD. 1206.

## ALEXANDER WEDDERBURN. 1207.

## GULIELMUS VALLAS. 1208.

## ROBERTUS WILKY. 1209.

VIRI sunt literatura insignes, et plurima ingenii sui monumenta ad  
posterios transmiserunt; sed nihil ad me devenit, nisi  
Epigrammata et Poemata in Regis ad Scotos suos Reditum  
lib. i. Edimburgi.

## THOMAS DEMPSTERUS. 1210.

THOMAS Dempsterus, hujus operis auctor, natus est rure paterno  
Cliftbog, avo Joanne superstite, partu tergemino vigesimus quartus  
e liberis viginti novem quos ex una uxore pater sustulit, anno  
MDLXXIX. ipso pervigilio D. Bartholomaei; quo die veluti fatali  
patriam deseruit, lauream in jure doctoratus est assecutus, academiae  
Nemausensi ascriptus, difficilis Tolosae litis exitum optatum sorti-  
tus, demum serenissimi magni Hetruriae ducis academicis annume-  
ratus Pisanis.

Patrem habuit Thomam baronem de Muresk, Achterles, et Killes-  
mont, Banfae ac Buquhaniae proregem; matrem Janam Leslaeam,  
baronis Balchoniae, irenarchae Aberdonensis, sororem; avi-  
am paternam Eleonoram ultimi ex Stuartis Buquhaniae co-  
mitis filiam, maternam Catharinam Forbassi vicecomitis so-

rorem, et Arthuri, qui cum Gordoniiis res infeliciter magnas gessit, nomenque suum omnibus cis Escam gentibus formidabile reddidit.

Statim in ipso pueritiae limine adversa familiae suae, nobilioris quam opulentae, sentire coepit, nam lethales cum Curreriis Grantisque ininicitiae ita opes exhausserunt, ut jam mortuo avo conclamatum videretur: magnae hominum utrinque caedes eum rus ablegarunt, ubi triennis omnia elementa unius horae spatio exacte didicit, tum Turraviae sub ferula plagosi Andreae Ogstoni tirocinium primum exercuit, mox ad celebrius auditorium translatus Aberdoniae Thomam Carugillum audivit, praecipuum eo tractu grammaticum.

Inter haec Jacobus frater natu maximus patris concubinam Isabellam Gordoniam ab Achavachi, magicis, ut putabatur, artibus illectus, uxorem consilio amicorum vetante duxerat, et ob id a patre exheredatus, ingenti affinium Gordoniorum multitudine collecta patrem ad res provinciae ordinandas diluculo equitatem inopinato aggreditur: fit praelium, quo paterni famulitii multi cadunt, in his avunculus ipsius parricidae Gilbertus Leslaeus, et Joannes Sinclarus; vulnerati, Robertus frater, Robertus Ogylbis, pater ipse crus septem glandibus plumbeis trajectus, et acinace caput scissus; nec incruenta fratri victoria, nam promptissimis vulneratis, ceciderunt Joannes et Patricius Gordonii. Hoc tam inaudito parricidio pater irritatus, ut omnem successionis futurae spem filio parricidae praescinderet, agros Muresk Erroliae comiti vendidit, qui, quod satisfacere aut idonee cavere pater non posset, et baronatum et pretium in hunc usque diem impune detinet, et Thomae quidem pater inanem titulum reliquit, Mureskiam jure recuperandam, quae injuria detinetur; sed regis absentia, comitis illo tractu potentia, advocatorum perfidia, parum hactenus spei fecerunt. Forte exspectas, lector, ut parricidii ultionem audias. Jacobus parricida, rege lethaliter excandescens, in insulas fugit cum magna sicariorum suorum manu, ibique omnia per vim et libidinem gessit, ad ultimum Orcadum episcopum succensis aedibus exussit, indeque denuo

profugus in Scotiam rediit, ubi Isabella Gordonia, ex qua liberos septem sustulerat, repudiata, aliam ei superinduxit, et in Belgium, antea jam sceleris abominandi asylum excogitatum, se recepit, ubi Deo vindice ducente Ultrajecti, ut audio, turmae ductor, violato praeter jura belli colonello, equis quatuor est distractus, poenas justas licet dilatas et seras Deo, naturae, patri, justitiae, toti orbi sustinens: Isabella autem conjux, impura illa Medea, cum liberis diu inope vita tolerata diro novi morbi cruciatu dicitur exstincta, nec ex tam nefanda prosapia quicquam praeter execrandam memoriam superest.

Secundum has parricidales turbas Thomas decimo aetatis anno, quasi inopiae et fortunae ludibrio reservatus, hortante Joanne patruo, causarum Edimburgi celebri patrono, solum vertit, et Anglia lustrata in Cantabrigiam venit, ubi in aula Pembrocensi sub moderamine D. Whalii aliquandiu studuit; inde digressus in Galliam cursum direxit, et Bononiam appulit: erat jam hyems asperissima, et Caletum non multa ante tempore ab Hispano expugnabatur; quare nec grata in urbibus mora, nec securum iter viis nive obductis, et armatis per agros volitantibus ac calles omnes obsidentibus, quibus nihil territus in viam se dedit, et a Gallis quibusdam militibus pecuniis spoliatus, vestibus exutus, semivivus vix Monstrolium cum paedagogo tenuit, ubi recreatus ab humanissimo Waltero Brusio, in legione Lanovensi turmae ductore, Parisios secutus quaestores militares appulit, cum in itinere paedagogus obiisset.

Hic magnis beneficiis Joannis Fraserii cognati, Jacobi Lethi, et Georgii Galloway popularium devinctus, de studiis cogitare coepit, cum lues horrenda orta scholas auditoribus, urbem ipsam civibus spoliavit, ac Thomam corripens ad cymbam paene usque Charontis deduxit. Sed peste extuberante servatus, in Belgium cursus destinavit, tutum, ut rebatur, tot laborum in illa aetate portum; Gallus Hispanusque urbes et propugnacula, agrosque ipsos, tenebant, villae exustae, agri, cultore viduati, jam squalidi; tamen Roberto Moro comite eas angustias facile superavit. Lovanii Scotorum erat Collegium, et Justus Lipsius profiteba-

tur: sed rursus iter suscipiendum erat, nam qui collegio praeerat, Gulielmus Crichtonius Jesuita, jubebatur quosdam juvenes Romam mittere; et missi Patricius Andersonus, jam Jesuita, Robertus Hilus, qui professor philosophiae Monspeli obiit, Thomas Leo, a cunis caecus, et Thomas, qui longissimo per Germaniam superiorem itinere quid passi sint aerumnarum cogitationem humanam vix admittit; nam urbes tum paene omnes peste desertae, viae ac silvae inviae, ipso aspectu horridae, latronibus grassantibus obsessae.

Nec mitior per Italiam cursus, nam Ferrariam Clemens VIII. repetebat, et insignis exercitus ab Aldobrandino cardinale ducebatur, quo et annona carissima, et inhospitales pagi, et viae difficiles reddebantur; sed tamen opportune Romam tenuit, et per Scotiae protectorem Cardinalem Cajetanum pontifici insinuat, in seminarium Romanum cum lectissima Italiae nobilitate, in quibus Joannes Baptista Detus, Aloysius Caponius, S. R. E. cardinales, ascitus, ac honorifica pensione cohonestatus, sub P. Stephonio poeticae operam navare coepit; sed morbo lethali ingruente, medici, noxiam Romae auram et lethalem causati, effecerunt ut commeatus in Belgium rursus concederetur, quo Andrea Crichtonio comite per Helvetios laboriosissimo demum itinere contendit, et Tornaci Nerviorum in Jacobum Cheynæum incidit, a quo Duacum Catuacorum missus, bona fide poeticae sub Ludovico Pripræo Bethunensi, philosophiae sub Paulo le Cocqué et Nicolao Blewartio Athensibus operam dedit, pensione honorata regis Hispaniarum et Alberti archiducis adjutus. Et in poetices laurea praemium primum, in philosophico agone stationem secundam, praelato Carolo Bauvio Athensi, obtinuit, id procurante, ut credebatur, Joanne Trufaldo, gymnasii regii moderatore: statim accepta laurea humaniores literas Tornaci coepit profiteri, sed cum tenuis fortunae ibi spes fulgeret, Lutetiam cogitavit, quo cum appulisset ante XVII. aetatis annum in Navarrae Davidi Sinclairo in docendi munere successit, laurea juris canonici honestatus.

Inde Tolosam evocatus, cum serius itineri se accinxisset, in Picto-



nibus aliquandiu ad D. Maxentii Fanum substitit; tum Tolosae humaniores iterum literas professus, laborantis academiae orator creatus, grave periculum, et optimatum indignationem incurrit. Exinde Monspelli philosophiam professurus invitus, rogantibus Adamo Abrenethaeo et Andrea Currerio, infaustis avibus, Nemausum abiit, ubi publicam eloquentiae professionem, disceptationi publicae subjectam, victis competitoribus, et in his Jacobo Grasserio Basiliensi, cum sedissent iudices viginti quatuor, solo unico Barnerio municipii decurione contradicente, obtinuit.

Sed acerba illa illaetabilisque victoria fuit, nam et vita per vim impetita, Grasserio cum sui similibus irruente; et cum armata vis minus ex animo procederet, consulto conciliabulo a munere suspendere sunt ausi, instigante Prisaeco, tum accusatio instructa, opera Cheiloni, Challassii, et Keysaci; sed armatus Grasserus cum suis repulsus, et custodiae mancipatus, fraude Barnerii et aliorum dimissus, iterum Monspelli, tertium Lutetiae in carcerem ab amicis Thomae conjectus, tam pusillanime factum ignominia expiavit. Consules municipali decreto in sportulas condemnati, postulante Annaeo Rulmanno, cujus actio prodiit Lutetiae typis Hubi. Accusatio post biennii vexationem SC. Tolosani senatus, camera Castrensi, referente D. Boierio, dirempta, Thomam senatus absolvit, libellum famosum in eum editum manu carnificis Nemausi comburendum decrevit, sportulas litis per Alardum Uticensem, qui nomen accusationi commodaverat, solvendas, una cum gravi mulcta, et testium quorundam proscrizione, constituit: patrocinator est Joannes Salvatus.

Sic honori pristino suo, et gentis, quae periclitabatur, restitutus, Hispania lustrata curam suscepit Arthuri L'Espinay, abbatis tum Rhedonensis, nunc episcopi Massiliensis, qui filius Sanlucii, illius magni castrorum Gallicorum ac tormentorum praefecti, in obsidione Ambianensi exincti, et frater Timoleontis Sanlucii, Bronopolis proregis. Sed orta Brissaci gravi cum Vandorano marescalli cognato rixa, illi honoratissimae conditioni desiderio patriae renunciavit: quo profectus hereditatis causam in su-

premo Scotiae senatu instituit, et res ex voto succedebat, cum ministrorum invidia exactus, agente cum rege Gulielmo Cowper. Causam vide hoc opere supra lib. III. Itaque amicis ad inopiam redactis, aut religionis studio opem negantibus, in Gallias rediit, ubi Lutetiae rursus studium professionis ingressus, et celebri auditorio, et ubere opulentoque proventu septem annis docuit, honores adeptus academicos, in Lexovaeo, Grasinaeo, et Pelessaeo professus.

Inde a rege Magnae Britanniae studiorum amante evocatus, Historici titulum assecutus Regii, a Joanne Robillardo Normano Cadomensi periculum vitae adiit, qui frequenti stationario milite comitante sub noctem irrumpens, armis cum suis exutus ac in custodiam datus, iter conceptum Thomae acceleravit. Et Londini uxorem duxit Susannam Valeriam, ex qua in Italia filiolum sustulit, cui in sacro fonte fidejusserunt illustrissimus Maffaeus S. R. E. Cardinalis Barberinus, nunc pontifex maximus, et Maria Magdalena, serenissima Austriae archidux, et magna dux Hetrueriae; sed illa diem lustricum statim praeveniens, Francisciae nomine imposito, parentibus orbis desiderium relinquens, coelum occupavit.

Jam ministri Anglicani, et maxime Montecatino episcopo Bathoniensi urgente, cum rege agebant, ne Catholicum notum ac professum fidei defensor apud se tenere, fovere, aut honoribus afficere vellet; quare impetrato comite in Italiam perrexit, et Romae ab exploratoribus delatus, quasi literas occultas attulisset, in honorificam unius noctis, ad Turrim nonam, custodiam datus, hic etiam superavit invidiam, et a S. D. N. literas ad serenissimum Cosmum magnum Hetrueriae ducem commendatitias impetravit, scribentibus etiam Saulio, Caetano, Mellino, Bonisio, ac Philonardo, S. R. E. cardinalibus, oratore etiam Hetrusco Domino Petro Guicchiardino rem promovente, Florentiam concessit; ubi ad publicam ordinariamque in Pisana academia Pandectarum professionem admissus, dato comite, et literis ab serenissimis magnis Hetrueriae ducibus ad Magnae Britanniae regem, die v. Junii in Angliam profectus, uxorem in Italiam abduxit,

et alio eodem insequente anno itinere directo, literis etiam ac com-  
meatu, res utcunque potuit in Britannia stabilivit privatas. Et nunc  
magnis fortunae novercantis injuriis colluctatus, Pisis ordinarii pro-  
fessoris partes implet. Utinam hactenus.

Verbosius haec tecum, mi lector, quam oportuit, sed amicorum id  
fuit judicium. Scripta mea, si tamen tanti putabis esse, haec sunt, quan-  
tum continui morbi, et plerumque lethales, locorumque subinde crebra  
mutatio, aut labilis memoria patiuntur.

Epistolae ad summos Pontifices Clementem VIII. Paulum V. lib. I.

Epistolae ad Principes, Magnae Britanniae Regem Jacobum, mag-  
num Hetruriae Ducem Cosmum, Urbini Ducem Franciscum  
Mariam, Principem Massae, lib. I.

Epistolae ad illustriss. S. Romanae Ecclesiae Cardinales, Antonium  
Mariam Gallum, Fridericum Borromaeum, Robertum Bellar-  
minum, Petrum Aldrobandinum, Alexandrum Estensem, Joan-  
nem Baptistam Detum, Scipionem Burghesium, Joannem Gar-  
siam Mellinum, Bonifacium Cajetanum, Joannem Bonsium,  
Aloysium Caponium, Philippum Philonardium, Scipionem Co-  
bellutium, Mauritium a Sabaudia, Carolum Medicaeum, Julium  
Sabellum, a quibus responsorias habet, lib. I.

Epistolae ad Maphaeum Barberinum, Scotiae Protectorem, et  
Maecenatem suum, lib. I.

Tragicomoedia Maximilianus lib. I.

Tragoedia Maximilianus lib. I. Duaci acta, scripta a puero.

Tragoedia Stilico lib. I. Sammaxentii.

Tragoedia Decemviratus abrogatus lib. I. Lutetiae.

Epithalamium Marchionis Brandeburgici lib. I. Francofurti.

Epithalamium Vicecomitis Hadintonii lib. I. Londini.

Panegyricus Clementi VIII. Pontifici lib. I. Romae.

Panegyricus Paulo V. Pontifici lib. I. Romae.

Panegyricus Jacobo Vassorio, Parisiensi Rectori, lib. I. Lutetiae.

Expostulatio cum Musis et Senatu Aremorico, dum custodiam  
suae innocentiae ultro subivit, lib. I. Nemausi.

Panegyricus Jacobo Magnae Britanniae Regi lib. I. Londini.

Divinatio ad Regem lib. I. Londini.

Strena Calend. Janu. Jacobo Haio Vicecomiti Duncastrensi lib. I.  
Londini.

- Eucharisticon Alberto Archiduci lib. I. Duaci et Lovanii.
- Actio Scholastica de S. Catharina lib. I. Lutetiae.
- Poemata de S. Thoma Aquinate lib. I. Tolosae.
- Acrosticha de Europae Principibus lib. I. Duaci.
- In Elizabetham Angliae Reginam lib. I. Duaci. Quo opere Angli vehementer offensi turbas concitarunt, sed auctoritate ecclesiastica compressi.
- Lessus Henrici IV. Galliarum Regis lib. I. prodiit Lutetiae cum aliis ejusdem argumenti, pag. XCIX.
- Lachrymae ad Timoleonem d'Espinay Sanlucium in Funere Uxoribus lib. I. Parisiis et Lugduni.
- Judicium de omnibus omnium Gentium et Temporum Historicis lib. I. Parisiis.
- Cosmographia dictata frequentissimo Auditorio lib. I. Parisiis.
- Notae in Sphaeram lib. I. Francofurti.
- Politicae Parecbases, nuncupatae Alexandro Razivillo, Principi Polono, auditori suo, lib. I. Parisiis.
- Epinicion, seu Victrix Academiae, lib. I. Lutetiae.
- Musca lib. I. Lutetiae ter edita.
- Genethliacon Delphini Franciae, nunc Regis Ludovici XIII. lib. I. Flexiae.
- De Inundatione Anglicana lib. I. Flexiae.
- Troia Hetrusca, seu Gamelia Ludicra in Sponsalibus Principis Urbini, lib. I. Florentiae.
- Votum Scipioni Burghesio, S. R. E. Cardinali, lib. I. Romae.
- Bandum Medicaeum lib. I. Florentiae.
- Licitatio Professorum lib. I. Pisis.
- Epigrammata, Elegiae, Odae, Epistolae, Epica Carmina, variis in locis variisque causis scripta et edita, quae simul publicare, ubi per otium licebit, decrevit, si tamen posteritatis fama non erunt indigni.
- In Statium Notae MSS. lib. I.
- In Claudianum Notae lib. I. Flexiae.
- In Claudianum Commentarius lib. I. Lugduni, et alibi.

- In Aelianum Commentarius lib. I.
- In Corippum Africanum Commentarius lib. IV. Lutetiae.
- Mythologia ex Auctoribus Graecis Latinisque non vulgaribus, et plerumque manuscriptis, lapidum inscriptionibus, et numismatis, lib. I.
- Antiquitatum Romanarum Corpus absolutissimum lib. X.
- Apparatus ad Historiamoticam lib. I.
- De Scriptoribus Scoticis lib. XIX.
- Episcoporum in Scotia Successio lib. XIII.
- Abbatum in Scotia Successio lib. I.
- Scoti Bello clari lib. I.
- De triplici Juramento, sive Retractatio Loci ex libro X. Antiquitatum Romanarum cap. III. pag. DCCLXXXVIII. lib. I.
- Epistolae ad Viros eruditos tota passim Europa, Scotos, Gallos, Anglos, Italos, Belgas, Germanos, Hispanos, Polonos, et Hungaros, qui peramanter et docte rescripserunt omnes, aut invitarunt, lib. I.
- In Benedicti Accolti Aretini Historiam de Bello Sacro Commentarius lib. IV. rogatu perillustrium Accoltorum, et clarissimorum, Leonardi magno duci a secretis, et Petri professoris ordinarii juris apud Pisanos, cui omnia debeo, jam sub incude est, et dignus est auctor in quo ornando impendatur opera.
- Hetruria Regalis lib. VII. quod opus ex tribus auctorum milibus collectum suscepi, hortatu Camilli Guidii, equitis Volaterrani, magno duci a secretis, et edicto principis censores legerunt, probaruntque Archiepiscopi Franciscus Boncianus Pisanus, Alexander Martius Medices Florentinus, archidiaconus Florentinus, Cosmus Minerbettus, Raphael Medices, eques, marchioque Bottius, et Curtius Picchena, primarius a secretis. Sed quia nondum adhuc prodiit, non gravaberis, lector, sigillatim summaria percurrisse.

## LIBER I.

## DE INCOLIS, RELIGIONE, &amp;c.

Cap. I. *Hetrusci. Thusci. Tyrrheni. Lydi. Pelasgi. Aborigines. Arcades. Incolae recentiores. Potentia et opes veterum Hetruscorum. Imperii fines. Soli conditio, frugum feracitas. Vina. Aeris temperies. Aquae medicatae, et Balnea. Religio. Dii proprii. Dii cum Romanis communes. Janus. Oraculum Tethyos. Leges, et Politia vetus. Lingua. Multa vocabula eruta. Literae ac dialecti quatuor, Osca, Rhaetica, Falisca, Umbrica. In peregrinos comitas. Artifices in pretio. Sub eadem veste cum uxoribus coenare. Poena decoctorum. Servos ad sonum tibiae caedere. Provinciae a Thuscis ortae.*

## LIBER II.

## DE REGIBUS.

Cap. I. *Stemmata Regum IV. Janigenae, Coryti, Lartes, Lucumones. Jura regalia, et ornamenta. Stemma primum. Janus. Cameses. Tiberinus. Vertumnus. Aunus. Regum fictorum ab Annio et aliis Catalogus. Catalogus alter atque fabulosus. Stemma secundum. Corythus. Catalogus tertius Regum fictitiorum. Stemma tertium. Lar. Stemma quartum. Lucumo. Fontus. Aunius. Deheberis. Tiberis. Tibris. Aeolus. Liparus. Meleus. Rhaetus. Malaeottus. Hetruscus. Thuscus. Tyrrhenus. Rasena. Nicius. Pisaesus. Halaesus, [sive] Alesus. Tarchon. Felsinus. Bonus. Atrius. Ocnus Bianor. Mezentius. Asylas. Abas. Massicus. Osinius. Morrius. Clusius.*

Propertius. Vejentus. Lucumus Galeritus. Caelius Veibenus. Maenalus. Olenius Calenus. Porsenna. Galeromundus. Tolumnius. Anonymus Rex Veis obsessis creatus. Cilnius. Maecenas. Arymnus. Marsyas. Capys. Opicus. Picenus. Dardanus. Aventinus. Aelius Volturrenus, a Romanis fractus, et vitam et regnum amisit. Regum Nomenclatura. Reges fictitii rejecti. Cecina non fuit Rex. Sejanus non fuit Rex. Turnus non fuit Rex. Florinus non fuit Rex.

### LIBER III.

#### DE INVENTIS HETRUSCORUM.

Cap. I. Divinatio. Aruspicina. Fluminum expiandorum scientia. Monstrorum procuratio. Caerimoniae. Supinis manibus orare. Parentalia. Salii Sacerdotes. Samothracia sacra. Tempa. Arae. Sacrificia. Statuae Deorum. Idola. Urbem condere. Pomoerium. Fossa. Muri. Sacrum Nuptiale. Regnum. Regni insignia et ornamenta. Bulla, Nobilitatis discretio. Equester ordo. Fasces et secures. Lictor. Trabea. Curulis sella eburnea. Annuli. Phaleriae. Paludamenta. Praetextae. Calcei militares. Calcei patrii et senatorii. Calcei tragici. Tragoedia. Triumphus. Currus triumphalis. Equi quatuor triumphales. Corona triumphalis. Toga picta. Tunica palmata. Gladiatores circenses et funebres. Philosophia Italica, aut Pythagorica. Sphaera. Geometria. Signare monetam. Claves ostiorum. Serae ostiorum. Phialae potoriae Conviviis aptae. Circumferre plena pocula. Candelabra. Vivaria Aprorum. Floridae vestes. Villosae vestes. Vinearum Satio. Arborea pomiferae. Falces. Agricultura. Medicina. Musica. Cassis. Cornua. Acies. Phalanx. Velites. Tibia aenea. Tuba aerea. Molae frumentariae. Atrium. Columnae.

Ludi. Histriones scenici. Equi jugales ludis apti. Pugiles. Vellatura lanae. Fictilia. Plastica. Corticibus arborum scribere. Fabulae Atellanae. Carmina nuptialia. Navis et Navigatio. Rostra navium bellicarum. Anchorae. Piratica. Leges duodecim Tabularum. Jura feccialium. Hasta velitaris. Pilum. Venabulum. Praetorium. Scorpio, tormentum bellicum. Bis in die epulari. Pocula argentea. Servi delicate vestiti. Puellae nude ministrantes. Castra urere. Vivaria cochlearum. Vela navium. Donaria Diis dicare. Sorte Regem facere. Viros doctos alere.

## LIBER IV.

## DE URBIBUS HETRURIAE DELETIS.

Cap. I. Thuscia, provincia Romana. Sub quo Magistratu. Chorographica descriptio. Montes, Valles, Fluvii, Fontes, Silvae, Lacus, Portus, Nemora, Luci, &c. Notabilia in Antiqua Hetruria. Italiae totius brevis delineatio. Urbes et populi veteris Hetruriae. Ut Italiae passim, ita et Hetruriae multae urbes deletae. Veii. Tarquinii. Faleria. Vetulonia. Populonia. Corythus. Vulsinii. Caere. Clusium. Fesulae. Luna. Janiculum. Portus Romanus. Pyrgi. Graviscae. Alsium. Regisvilla. Trossuli. Thermae. Tauri. Cosa. Fregenae. Centumcellae. Castrum Inui. Moeonia. Blera. Polymartium. Manturanum. Hortanum. Herbanum. Turrena. Larthenianum. Nepet. Galesium. Sutrium. Statonia. Tyrus. Fescennium. Ferentinum. Artena. Ocriculum. Veletes. Solonium. Sudertum. Feroniae Lucus. Syrentium. Arae Mutiae. Saturnia. Crustumina. Calletra. Oena. Cortuosa. Contenebra. Flavianum. Phalaris. Lucus Albionarum. Russellae. Tuscinatum. Ad Herculem. Portus Pisanus.



Triturrita. Arnutes veteres. Ad statuas Colossas. Novempagi, aliis Decempagi. Lucinae Fanum. Troilium. Voltumnae Fanum. Forum Claudii. Forum Cassii. Forum Aurelii. Tarchonium. Fossae Papyrianae. Eba. Baracellum. Bondelia. Suana. Vicus Elbii. Manliana. Tegullia. Tifernum Tiberinum. Volci. Amitina. Vesentina. Larnia. Colonia. Senae littori Hadriatico appositae. Hetruria Cistiberina, et in ea Coloniae. Cumae. Nola. Capua. Volsci. Capena. Lucus Capenus. Medullia. Fidenae. Puteoli. Pompeii. Marcina. Hetruscorum populi soboles trans Apenninum. Hetruscorum Coloniae trans Apenninum. Sirmio. Mediolanum. Ravenna. Mantua. Cuprae Fanum. Regium. Parma. Bononia. Brixia. Atria, seu Adria, aut Hadria. Viae Romam, per Hetruriam, ducentes. Villae optimatum Romanorum in Hetruria. Insulae Hetruariae in utroque mari. Ilva. Ebusus. Reliquae insulae enumeratae.

## LIBER V.

### DE FLORENTE HETRURIA VETERE.

Cap. I. Ordo operis, et Scopus. Pisae conditae, &c. Pisani sancti, Pontifices, Cardinales, Ecclesiae successio, viri illustres. Volaterrae. S. Volaterrani, &c. Luca. Sancti Lucenses, &c. Aretium. Aretini sancti, &c. Cortona. Perusia. Sancti Perusini. Pistorium. Sancti Pistorienses, &c. Aquila. Senae. Senenses sancti, &c. Florentia. Florentini sancti, &c. Annotata obiter quaedam. De S. incerti loci in Thuscia. De Umbria, quae pars Hetruariae.

## LIBER VI.

### DE URBIBUS HETRURIAE MODERNIS, AC VILLIS, PAGISQUE.

Cap. I. Villae ac urbes Neotericae. Magistratus Hetruariae supremi, pro temporum conditione, varii.

Urbs vetus. Leonopolis. Balneum Regis. Viterbium. Mons Fiasconis. Burgus sancti Sepulchri. Cornetum. Grossetum. Massa. Politianum. Mons Ilcii, seu Alcinoi. Sarzana, seu Sergiona. Pientia, seu Corsilianum. Collis. Villae, oppida, vici, pagi, castella, propugnacula, Hetruriae.

## LIBER VII.

### DE SERENISSIMA FAMILIA MEDICAEA.

Cap. I. Fabulae portentosae de ortu illius Familiae explosae. Oriunda agro Florentino. Medicaei in aliis Italiae urbibus. Medicaei Beati tres. Ad historicum ordinem revocati. Conjectura de Antiquitate, et adulatio repressa. Stemmatis deductio ex Historicorum monumentis. Stemmatis deductio ex actis privatis. Verius. Antonius. Joannes. Prima familiae relegatio. Averardus. Joannes. Biccus. Joannes sub quo duplex familiae factio. Cosmus Magnus, pater patriae. Bernardinus, et Bernardus. Laurentius. Petrus Franciscus. Petrus Podagricus. Laurentius Magnus, parens literarum. Julianus, Princeps Juventutis. Petrus. Leo X. Pontifex. Laurentius Dux Urbini. Julianus Magnus, Dux Nemorensis, Vexillifer Ecclesiae, Eques Periscelidis Anglicanae. Joannes Cosmi pater. Clemens VII. Pontifex. Alexander I. Florentiae Dux. Laurentiolus parricida. Catharina Franciae Regina. Hippolytus Cardinalis. Cosmus I. magnus Dux. Joannes, et Garsias S. R. E. Card. prior. Petrus. Bernardinus. Jo. Jacobus, Marchio Marignani. Gabriel. Pius IV. Pontifex. Leo XI. Pontifex. Franciscus II. magnus Dux. Maria Francorum Regina. Ferdinandus S. R. E. Cardinalis III. magnus Dux. Cosmus II. magnus Dux IV. Reliqua Ferdinandi successio.

Ita se habet Hetruria Regalis, cujus schema exhibere voluit, ne malignus aliquis in sui honorem curas suas vertat; nam in multorum manus legenda pervenit, et ille etiam tuta tenet, et nescit cur a principe imperatam editionem ministri aulici remorentur. Et scripsit praeterea,

Propertius. Vejentus. Lucumus Galeritus. Caelius Veibenus. Maenalus. Olenius Calenus. Porsenna. Galeromundus. Tolumnius. Anonymus Rex Veiiis obsessis creatus. Cilnius. Maecenas. Arymnus. Marsyas. Capys. Opicus. Picenus. Dardanus. Aventinus. Aelius Volturrenus, a Romanis fractus, et vitam et regnum amisit. Regum Nomenclatura. Reges fictitii rejecti. Cecina non fuit Rex. Sejanus non fuit Rex. Turnus non fuit Rex. Florinus non fuit Rex.

### LIBER III.

#### DE INVENTIS HETRUSCORUM.

Cap. I. Divinatio. Aruspicina. Fluminum expiandorum scientia. Monstrorum procuratio. Caerimoniae. Supinis manibus orare. Parentalia. Salii Sacerdotes. Samothracia sacra. Templa. Arae. Sacrificia. Statuae Deorum. Idola. Urbem condere. Pomoerium. Fossa. Muri. Sacrum Nuptiale. Regnum. Regni insignia et ornamenta. Bulla, Nobilitatis discretio. Equester ordo. Fasces et secures. Lictor. Trabea. Curulis sella eburnea. Anuli. Phalerae. Paludamenta. Praetextae. Calcei militares. Calcei patricii et senatorii. Calcei tragici. Tragoedia. Triumphus. Currus triumphalis. Equi quatuor triumphales. Corona triumphalis. Toga picta. Tunica palmata. Gladiatores circenses et funebres. Philosophia Italica, aut Pythagorica. Sphaera. Geometria. Signare monetam. Claves ostiorum. Serae ostiorum. Phialae potoriae Conviviis aptae. Circumferre plena pocula. Candelabra. Vivaria Aprorum. Floridae vestes. Villosae vestes. Vinearum Satio. Arbores pomiferae. Falces. Agricultura. Medicina. Musica. Cassis. Cornua. Acies. Phalanx. Velites. Tibia aenea. Tuba aerea. Molae frumentariae. Atrium. Columnae.

Ludi. Histriones scenici. Equi jugales ludis apti. Pugiles. Vellatura lanae. Fictilia. Plasticae. Corticibus arborum scribere. Fabulae Atellanae. Carmina nuptialia. Navis et Navigatio. Rostra navium bellicarum. Anchorae. Piratica. Leges duodecim Tabularum. Jura feccialium. Hasta velitaris. Pilum. Venabulum. Praetorium. Scorpio, tormentum bellicum. Bis in die epulari. Pocula argentea. Servi delicate vestiti. Puellae nude ministrantes. Castra urere. Vivaria cochlearum. Vela navium. Donaria Diis dicare. Sorte Regem facere. Viros doctos alere.

## LIBER IV.

### DE URBIBUS HETRURIAE DELETIS.

Cap. I. Thuscia, provincia Romana. Sub quo Magistratu. Chorographica descriptio. Montes, Valles, Fluvii, Fontes, Silvae, Lacus, Portus, Nemora, Luci, &c. Notabilia in Antiqua Hetruria. Italiae totius brevis delineatio. Urbes et populi veteris Hetruriae. Ut Italiae passim, ita et Hetruriae multae urbes deletae. Veii. Tarquinii. Faleria. Vetulonia. Populonia. Corythus. Vulsinii. Caere. Clusium. Fesulae. Luna. Janiculum. Portus Romanus. Pyrgi. Graviscae. Alsium. Regisvilla. Trossuli. Thermae. Tauri. Cosa. Fregenae. Centumcellae. Castrum Inui. Moeonia. Blera. Polymartium. Manturanum. Hortanum. Herbanum. Turrena. Larthenianum. Nepes. Galesium. Sutrium. Statonia. Tyrus. Fescennium. Ferentinum. Ardena. Oriculum. Veletes. Solonium. Sudertum. Feroniae Lucus. Syrentium. Arae Mutiae. Saturnia. Crustumina. Calletra. Oena. Cortuosa. Contenebra. Flavianum. Phalaris. Lucus Albionarum. Russellae. Tuscinatum. Ad Herculem. Portus Pisanus.

Triturrita. Arnutes veteres. Ad statuas Colossas. Novempagi, aliis Decempagi. Lucinae Fanum. Troilium. Voltumnae Fanum. Forum Claudii. Forum Cassii. Forum Aurelii. Tarchonium. Fossae Papyrianae. Eba. Baracellum. Bondelia. Suana. Vicus Elbii. Manliana. Tegullia. Tifernum Tiberinum. Volci. Amitina. Vesentina. Larnia. Colonia. Senae littori Hadriatico appositae. Hetruria Cistiberina, et in ea Coloniae. Cumae. Nola. Capua. Volsci. Capena. Lucus Capenus. Medullia. Fidenae. Puteoli. Pompeii. Marcina. Hetruscorum populi soboles trans Apenninum. Hetruscorum Coloniae trans Apenninum. Sirmio. Mediolanum. Ravenna. Mantua. Cuprae Fanum. Regium. Parma. Bononia. Brixia. Atria, seu Adria, aut Hadria. Viae Romam, per Hetruriam, ducentes. Villae optimatum Romanorum in Hetruria. Insulae Hetruriae in utroque mari. Ilva. Ebusus. Reliquae insulae enumeratae.

## LIBER V.

### DE FLORENTE HETRURIA VETERE.

Cap. I. Ordo operis, et Scopus. Pisae conditae, &c. Pisani sancti, Pontifices, Cardinales, Ecclesiae successio, viri illustres. Volaterrae. S. Volaterrani, &c. Luca. Sancti Lucenses, &c. Aretium. Aretini sancti, &c. Cortona. Perugia. Sancti Perusini. Pistorium. Sancti Pistorienses, &c. Aquila. Senae. Senenses sancti, &c. Florentia. Florentini sancti, &c. Annotata obiter quaedam. De S. incerti loci in Thuscia. De Umbria, quae pars Hetruriae.

## LIBER VI.

### DE URBIBUS HETRURIAE MODERNIS, AC VILLIS, PAGISQUE.

Cap. I. Villae ac urbes Neotericae. Magistratus Hetruriae supremi, pro temporum conditione, varii.

Urbs vetus. Leonopolis. Balneum Regis. Viterbium. Mons Fiasconis. Burgus sancti Sepulchri. Cornetum. Grossetum. Massa. Politianum. Mons Ilcii, seu Alcinoi. Sarzana, seu Sergiona. Pientia, seu Corsilianum. Collis. Villae, oppida, vici, pagi, castella, propugnacula, Hetruriae.

## LIBER VII.

### DE SERENISSIMA FAMILIA MEDICAEA.

Cap. I. Fabulae portentosae de ortu illius Familiae explosae. Oriunda agro Florentino. Medicaei in aliis Italiae urbibus. Medicaei Beati tres. Ad historicum ordinem revocati. Conjectura de Antiquitate, et adulatio repressa. Stemmatis deductio ex Historicorum monumentis. Stemmatis deductio ex actis privatis. Verius. Antonius. Joannes. Prima familiae relegatio. Averardus. Joannes. Biccus. Joannes sub quo duplex familiae factio. Cosmus Magnus, pater patriae. Bernardinus, et Bernardus. Laurentius. Petrus Franciscus. Petrus Podagricus. Laurentius Magnus, parens literarum. Julianus, Princeps Juventutis. Petrus. Leo X. Pontifex. Laurentius Dux Urbini. Julianus Magnus, Dux Nemorensis, Vexillifer Ecclesiae, Eques Periscelidis Anglicanae. Joannes Cosmi pater. Clemens VII. Pontifex. Alexander I. Florentiae Dux. Laurentiolus parricida. Catharina Franciae Regina. Hippolytus Cardinalis. Cosmus I. magnus Dux. Joannes, et Garsias S. R. E. Card. prior. Petrus. Bernardinus. Jo. Jacobus, Marchio Marignani. Gabriel. Pius IV. Pontifex. Leo XI. Pontifex. Franciscus II. magnus Dux. Maria Francorum Regina. Ferdinandus S. R. E. Cardinalis III. magnus Dux. Cosmus II. magnus Dux IV. Reliqua Ferdinandi successio.

Ita se habet Hetruria Regalis, cujus schema exhibere voluit, ne malignus aliquis in sui honorem curas suas vertat; nam in multorum manus legenda pervenit, et ille etiam tuta tenet, et nescit cur a principe imperatam editionem ministri aulici remorentur. Et scripsit praeterea,

Praefationes solennes in plerosque utriusque linguae auctores, Parisiis, Tolosae, Nemausi, Pisis, Bononiae, quarum pleraeque prodierunt, lib. I.

Scotiam illustriorem, seu Mendicabula repressa, lib. I. Mendici quidam Hiberni virulentum libellum suppressis nominibus in illum scripserant, cui ille respondet: prodiit Parisiis superiore anno.

Historia Quadrupedum bisulcorum Ulyssis Aldrovandi, decreto senatus suscepta, et Bonon. edita, lib. I. prodiit Parisiis superiore anno.

Judicium de Scriptorib. Anglis Histor. et sublecta eorum fide, lib. I.

Haec trimestri cura, inter assiduas foris lectiones, domi sollicitudines, aegre moliebar anno salut. MDCXIX. die III. calend. quintiles, aetatis vero anno XXXIX. Si vero quid orthodoxae, catholicae, et apostolicae, Romanae fidei contrarium sit, indictum, incogitatum, nec scriptum velim: ita asperrimam fortunam et durum exilium Deus lenire velit. Utinam! utinam!

Videbatur et operi et aerumnis finem imposuisse, cum ecce novus turbo exortus, speratae quietis tranquillitatem excussit, et e literarii otii portu laceram carinam calumniae fluctibus in altum exposuit; grave enim jurgium inter illum et Anglum quendam causis non levibus natum; cumque res diu protracta, Anglus tempus suum nactus negotium aulicis quibusdam commendavit, qui nunquam destiterunt, donec Thomae, nomine benignissimi principis, et parum negotia ob valetudinem tractantis, aut palinodia praeciperetur, aut Hetruria discessio. Et cum ea quae ipse verissima putabat, revocare nollet, Thomas nec tantum honori suo vulnus infligere, post custodiam Florentinam atque Pisanam, post intentatas in Silva Sancti Romani a vilissimis Anglis insidias, post negata multorum colloquia, ne viderentur principem violasse, tandem bona cum optimi principis venia, aut eo certe dissimulante, Pisis discessit, comitante viro clarissimo Petro Accolto, die XXI. Julii anno MDCXIX. multis et paene omnibus literatis dolentibus, aut factum mirantibus, maxime Francisco Bonciano, Pisarum archiepiscopo, Alexandro Martio Medice, archiepiscopo Florentino, Alexandro Caccia, antistite Pistoriensi, Cosmo Minerbetto, archidiacono Florentino, Curtio Pichena,

secretariorum primario, Camillo Guidio, itidem scriniis praefecto, qui semper amici munus implevit, in ultima illa scena etiam patris personam induit; omnibus Pisanis professoribus multum indignantibus, cum capite suo Hieronymo Summaia, patricio Florentino, ut ex omnium ipsorum literis, peramanter ad illum datis, patet. Sed et ipse magnus dux, et Augusta ipsius mater, haud vulgarem erga illum affectum literis suis patefecerunt. Sed ille omnem in Italia subsistendi curam abiciens Scotiam cogitavit, cumque ex itinere Cardinalem Caponium, legati auctoritate Bononiam regentem, salutare perrexisset, ille, ut erat indole in omnes mitissima, in literatos etiam incredibiliter propensa, leniter coepit hortari, ne virtutis ac literarum domicilium Italiam damnaret, se paratum officia omnia implere, quibus ille in principe terrarum academia commode et honorifice ageret. Ita Thomas, abjecto redeundi in patriam animo, omnes cogitationes convertit ad obsequia principis purpurati, et, quod nunquam antea visum, senatus Bononiensis intra duodecim dies, evocatis ruri senatoribus, illum eminenti loco humaniores literas profiteri voluit; quem locum ab omni memoria viri semper clarissimi impleverunt: in his scripti sunt nobilissimi Antonius Codrus Urceus Brixienis, Paulus Manutius Volaterranus, et Carolus Sigonius Mutinensis, cum suo antagonista Francisco Robortello Utinensi. Atque hic quidem locus, ut honoratus, et multis praerogativis eminentissimus, ita periculorum et inquietudinis plenissimus; nam cum ei locus simpliciter primus ex tot pontificum decretis debeatur, universi doctores contradixerunt, turbas cierunt, juventutem armarunt; sed cum ad multos menses comperendinata esset quaestio, tandem pontificis auctoritate per Julium Sabellum, cardinalem legatum, decisa est.

Ingentius aliunde periculum extitit; nam Anglus ille, faece hominum, ac vilissimis mendicabulis subornatis, Anglis et Hibernis, callidis artibus Thomam detulit tanquam parum Catholicum, et libros haereticos domi habentem, aliisque criminationibus oneratum illustriorem reddidit, siquidem ille absens illustris-



simo purpuratorum principum collegio conquestus indigne se a retrimentiis illis et quisquiliis illis hominum haberi, et fides iis tanquam perfidis et venalibus hominibus abrogata. Tum Thomas literas ad Anglum dedit, acerbas quidem illas, et doloris justissimi plenas, quas ille aulicorum opera adjutus Romam misit, Italico sermone donatas; post octavum deinde mensem, cum quidam purpurati principes eas damnassent, Thomas literis ab illis datis sibi egregie patrocinatus est, et, Romam tendens, ipsum pontificem subiratum colloquio repetito ita placavit, ut ille causam eam Joanni Garsiae Mellino cardinali, et S. R. E. generali vicario, committeret. Et res quidem ea Romae tentata, Bononiae tandem absoluta, reconciliatique approbatis utrinque formulis Thomas et Anglus; sed de toto hoc dissidio opusculum extat, quod tamen nunc abolendum si Anglus quiescat, sin pergat clandestinis insidiis nocere, edendum, ut posteritas cognoscat, quid inter bonam conscientiam et contumeliosam calumniam intersit, discernatque uter alteri convitium fecerit, aut aestimationem inique violaverit. Nunc ergo auditorio eximio ac honorificentissima professione, licet morbis gravibus domo sua fatigata, hic Bononiae profitetur currente anno MDCXXI. mense Martio.

Haec de se Dempsterus. Survixit autem postea usque ad diem proxime sequentem nonas Septembris anni MDCXXV. Interea Bononiae Museo, ubi primariam politioris eruditionis cathedram tenebat, summa cum laude vacavit, aucta ei ad aureos octingentos annua pensione. Patavium ad eminentem juris civilis lectionem sollicite accitus, oblatos pro annuo didactro aureos mille recusavit. A Pontifice Urbano VIII. qui Dempsteri virtutem summopere semper admiratus est, praeclara equitis aurati dignitate, acceptis primum proxenio nummis centum, non sine eodem annuo censu, donatur, insignitur. In Academicorum NOCTIS album descriptus, inculpati animi, uberrimique ingenii exemplis, congressum illum nobilissimum usque ad miraculum coluit, frequentavit. Varias fortunae hoc tempore colluctatus, sapientis Stoici constantiam enixe retulit et expressit; interim tamen calamo non pepercit, scripsit enim

Antiquitates, seu Historiam Bonon. lib. Notas in Accursium, lib. Varia Poemata, et alia pleraque, quae jussu pontificis Romam delata nobiliore tractantur manu, et dignos tanto viro typos exspectant.

Denique execrabili uxoris nequitia concussus, eamque ob rem aerumnosis sub aestuante Canicula itineribus iteratis, Vicentiam pervenit, quod videre est ex epistola ad perillust. et reverendum admodum (sic eum compellat) patrem Donnium Bassianum Gattum, eremitam Hieronymianum, amicorum ac dominorum optimum, cujus verba, ne paucula ex omnibus pereant, memoriae tanti viri consulens, tibi, lector, propono, ex quibus cognoscis quam celeriter, quam sincere egerit, quam periculose illatae occurrerit injuriae, heu frustra! " Dilatum officium non fuit, aut obsequii aut promissi oblivio, sed perpetua inquires, et nusquam eodem loco haerentis error ac transcurio-Senatus Venetus e vestigio SC. fures fugitivos retrahendos judicavit, sed illi, ut rumore perfertur, Alpes superarant. Haec summa est gestorum." Nam vix inde cum rediisset, et Butrium in agro Bononiensi, animum suae tranquillitati restituendi, et corpus itinerum molestiis fatigatum nonnihil reficiendi causa (ut ejusdem utar verbis) secessisset, ibi subita feбри correptus, Bononiamque inde asportatus, animam pie reddidit Deo, annum XXXXVII. agens, omnium studiosorum damno et luctu, sui que relicto amicis grandi desiderio.

Sepultus est ad D. Dominici, ubi cippus ejus hoc insigne praefert elogium :

LUGETE BONI, LUGETE DOCTI.

Thomas Dempsterus inclytus ille vester hic conditur, ubi Historiam, Poesim, Astraeam, Literas satius condi fuerat.

Scotia gloriose genuit, Italia provide rapuit, Felsina pie tumulavit.

Aethere Spiritus, hoc lapide Cinis, scriptis Ingenium, ubique Gloria eminet, colitur.

Tot magna diutius tam arcto claudi limite invidiosum fuerat.

Academia NOCTIS, tanti sui syderis occasum deflens, lachry-

marum vitali rore magis quam celte loquacem,

vobis spectandum exponit lapidem.

Caeterum fuit Dempsterus vir corpore et animo egregius; altitudo illi supra mediocrem vulgaris hominis magnitudinem; coma subnigrior, et cuti color non longe dispar; caput magnum, ac totius corporis habitus plane regius; robur et ferocitas, quibus vel praestantissimum militem praestare posset, reque ipsa saepius se talem exhibuit. Indefessus in legendo, ita ut quatuordecim diei horas librorum lectionem se continuare solitum, mihi saepe retulerit. Mentis acumine satis valuit, sed memoriae tenacitate longe plurimum, adeo ut multoties diceret ignorare se, quid sit oblitio. Nihil adeo abditum in antiquitatis monumentis, cujus non meminerit; non versus poetae alicujus, non sensum alterius scriptoris, seu Graeci seu Latini (aeque enim utrumque norat) quem statim cum longa verborum praecedentium ac sequentum serie verbatim referre non posset: ita ut illustriss. senator Franciscus Cospius, vir per omnes literarum titulos omni comparatione major, Dempsterum magnam bibliothecam loquentem compellere consueverit. Declamationem omni rhetorico numero absolutissimam ea celeritate dictabat, ut scriptorem quantumcunque velocem nihil moraretur, et, quod caput est, absque litura vel leviuscula mille versus et amplius, qua Graecos qua Latinos, quae vocabat *αἰροσχηδιάσματα*, in quovis argumento ex tempore proposito scripturum recipiebat, et ita, si dictasset, ut calamum, vel levissime excurrentem, evincere sponderet; unde, uti de magno illo Stephonio, Dempsteri praeceptore, cecinit poeta non illepidus, "carmen inexhausto fundentem carmine vatem" dixisses. Stylus quidem ei copiosus, confragosus tamen: moribus ferox fuit, apertus omnino, et simulandi nescius, sive enim amore, sive odio aliquem prosequeretur, utrumque palam; consuetudine jucundissimus, amicis obsequentissimus, ita inimicis maxime infensus, acceptaeque injuriae tenax, eam aperte agnoscens ac repetens, caeteroquin pius, religiosus, et in iis locis, in quibus mira pietatis Christianae visuntur exempla, non infrequens.

Haec ego Matthaeus Peregrinus, nec beneficio nec injuria in eum affectus, breviter retuli: sciant posterī isthaec me loquutum inter eos, non qui audiverint, sed qui viderint, attraxerint.

FINIS.





9-11-78



M



M



M



M



M



M



M

DO NOT REMOVE  
OR  
MUTILATE CARD



M



M



M



